iu. const:

The
Robert E. Gross
Collection
A Memorial to the Founder
of the
Lockheed Aircraft
Corporation

Business Administration Library
University of California
Los Angeles

Ao-1668 d.13 9bs

SALMASIUS, Cl. - Dissertatio de foenore trapezitico, in tre
Lugd. Bat., J. Maire, 1640; (CIV) - 820, (108) pp.; vellum;
red and black; slightly spotted; here and there old underlining

An important and interesting work on money-business, as we
as in more recent times by the famous French scholar Salma
maise (1588 - 1653), who went over to Protestantism and bec
Leyden in 1631.
A.o. on banking, stock-exchange, interest, money-lending, r
ing, monopolies, auctions, leases, contracts, bankruptcies,

1 fl.

Spohn.

Böcking

2—

Lib. I. incipit. Pag. 1.
II. Pag. 213.
III. Pag. 493.

Novã Bibliorum versionẽ Belgicã redarguit autor. l. 3. pag. 725
Septuaginta interpretũ autoritat. Hebraicæ veritati æquales.
Ibid. p. 726.

DISSERTATIO
De
FOENORE
TRAPEZITICO,
IN
Tres libros diviſa.

CLAUDIO SALMASIO
Auctore.



LUGDUNI BATAVORUM,
Ex officina IOANNIS MAIRE.
CIƆ IƆ CXL.

PRAEFATIO

Ad

LECTOREM.

TRES in hoc opere defendere aggreſſus ſum, magiſtratum, trapezitam, ac me ipſum. Sic una fidelia tres parietes de eodē tectorio dealbare conſtitui, meum, publicum, & Longobardicum. Magiſtratum defendam, docendo poſſe eum menſas trapeziticas in urbibus quibus præeſt, erigere, & uſuram trapezitis quæ viſa fuerit præſcribere. Trapezitam tuebor, affirmando non illum peccare dum uſuras ſibi à magiſtratu decretas accipit, in exercenda menſa quam è publico conduxit, & ſub iis conditionibus de quibus in lege contractus trapezita conductor, & magiſtratus locator inter ſe convenerunt. Meæ porro cauſæ ipſe optìme ita patrocinabor, ubi oſtendero, rem licitam facere magiſtratum, nec iuri divino & naturali contrariam, qui menſam erigit quam vel ipſe exerceat, vel alteri locet exercendam. Trapezitam vero nihil etiam committere contra humanas aut divinas leges, ſi manceps & redemptor fiat publicæ menſæ, quam ei magiſtratus elocarit. Ergo mea ipſius defenſio pendet à recte defenſis trapezitis, quibus arguor nullo iure ac ratione hanc advocationem commodaſſe. At trapezitarum re-

ctam defenſionem à magiſtratus ipſius facto, ſi licitum iuſtumque probetur, prorſus dependere certum eſt. Nam ſi peccat magiſtratus menſas publicæ mutuationis inſtituendo, & trapezitas conſtituendo; peccat etiam trapezita, qui operã ſuam locat, publico agendo quod iniquum & iniuſtum eſt. Minoris tamen criminis reus eſt quam magiſtratus, qui ipſe auctor eſt actionis cum illicitæ, tum iniuſtæ. Vt publicanus qui tributa exigit, à magiſtratu populo impoſita, non ipſe plebem premit, ſed ille qui exigenda imperat & locat. Ergo potius dicendum: ſi peccat trapezita, omnibus promiſcue, etiam pauperibus, fœnerando ſub pignoribus, huius facti culpam omnem ſuſtinere debere magiſtratum à quo conſtitutus eſt, & huic muneri præpoſitus. Vnde igitur pœne quotidianæ, & tam acerbæ Theologorum contra ſolos trapezitas quiritantiũ declamationes, quos excommunicant, & pro infamibus habent, ſi ita à magiſtratu approbantur, ut auctoritatẽ defugere nequeat, quin pro publicis perſonis habendi ſint, qui eius nomine menſam adminiſtrant, eamque publicam? Forſitan & meum crimen hoc cenſebitur, quaſi eccleſiaſticos cum magiſtratu committam. Quod longe abeſſe à propoſito meo hic profiteor ac proteſtor. Litem potius quæ inter eos eſt componere videri debeo, dum doceo Theologos id quod neſciebant, magiſtratum menſæ eſſe dominum non trapezitam, qui miniſter tantũ eſt, & dum hoc licere magiſtratui

tui facere omni iure, quod facit, oſtendo. Sed & omnino hoc poſtulabat quæſtio quam hic ſuſcepimus tractandam, ratioque diluendæ criminationis mihi inflictæ, ob non temere tantum, ſed etiam improbe, ut incuſabant, defenſam uſuram trapeziticam, ut conſtaret, utrum privati eſſent an publici, qui hodie trapeziticam exercent in provinciis Fœderati Belgii. *Hoc ut ſciretur, non in opertum* Bonæ Deæ *mihi fuit penetrandum, nec vulganda* Cereris Eleuſinæ *epoptica ſacra, ſed publicum negotium, & omnium ferme notitiæ expoſitum, ſimpliciter narrandum ignaris. Quos tam multos fuiſſe, & quos minime omnium oportebat, hoc eſt* Theologos *ipſos, qui non debuerunt ignorare quale id eſſet quod reprehendebant, aut quibus imputandum foret, ego ſane mirari ſatis non poſſum. Præterea multum intereſſe exiſtimavi, ad imbecillas multorũ conſcientias confirmandas, hoc omnibus innoteſcere, ex decreto* Ordinum Generalum, *& magiſtratuũ inſtitutione trapezitas in urbibus ſingulis* Reformatarum, *ac* Fœderatarũ *Provinciarum eſſe conſtitutos, menſaſq; eorum publica auctoritate erectas, non ex privata libidine certorum hominum, lucro ſuo tantum inhiantiũ, quibus conniveret, aut faveret magiſtratus civilis. Poſtremo cum pauperes præcipue, & quicunque inopia temporaria urgentur, ad talis menſæ ſubſidium in ſuis neceſſitatibus confugiant, plebeculæ perſuaderi non debet privatos eſſe, qui hoc munere*

fungantur, ſola conniventia magiſtratus toleratos, remque eos patrare flagitioſam, probroſam, infamia notandam, & excommicatione puniendam. Cum enim magiſtratus, ad levamen ac ſolatium pauperum huiuſmodi menſas à ſe erigi, exerceri, vel exercendas locari teſtetur, nullo modo deceret pauperes Chriſtianos tali miniſterio & munere ſublevari, quod in auctoribus ſuis, vel actoribus, non modo infamiæ pœna plecti debeat, ſed etiam communione ſacræ Chriſti menſæ prorſus videatur indignum. Apud Iudæos qui fœnerato ſumebant ab illis, quibus non licebat fœnerari, ut fratres à fratribus, id eſt, tribules à tribulibus, eidem pœnæ ac cenſuræ notæque obnoxii credebantur, atque ipſi fœneratores. In Titulo Talmudico Sanhedrin cap. III. *inter eos, quibus iure Iudaico teſtimonii dictio non erat, hi ſunt quos inteſtabiles Latini dicunt, numerantur & tales fœneratores. Vir doctus, qui ex Talmude Titulos eos duos edidit, Sanhedrin & Maccot, idē notavit ſtatutum in eum fuiſſe, qui fœnore acciperet pecuniam. Vtrumque enim haberi, tam fœnori dantem, quam accipientem, quaſi tabulis obſignatis abnegaret Deum Iſraëlis. Et profecto, qui nefando miniſterio utitur cuiuſquam, rem aliquam facientis iure divino vetitam, crimen etiam ipſe nefandum committit. Hinc in primitiva Eccleſia non recipiebantur oblationes ab his, quos ſuſpicio erat ex aliquo iniuſto quæſitas lucro, eas Eccleſiæ offerre & con-*

conferre, quamvis ex huiuſmodi collationibus vulgo pauperes & viduæ pupillique alerentur. Οἱ γὰρ, *inquiebant,* παρὰ τῶν τοιούτων δεχόμενοι, καὶ τρέφοντες χήρας, καὶ ὀρφανοὺς ὑπεύθυνοι τῷ κλεπτείῳ τοῦ θεοῦ γενήσονται. *Nunc quod eo nomine à Theologis accuſatus ſum, quaſi patronus improborum hominum, & actus prorſus illiciti & iniuſti defenſor, alia iam mei excuſandi, & purgandi apud eos ratione uti ſtatui facillima, honeſtiſſimaque, atque etiam tutiſſima, ac ſeiuncta omnino à trapezitarum, & ipſius magiſtratus rationibus. Mira etiam pleriſque videbitur, quæ nec minus vera deprehendetur. Non enim hic opus habeo laborare, ut probem Theologis diſſenſionis meæ cauſas ſuper trapezitis, ac trapezitica uſura: illud mihi tantum enitendum eſt, ut oſtendam me non ab ipſis diſſentire. Nec multum conari debeo, ut hoc planum fiat. Res ipſa tantum indicanda eſt, non operoſius docenda. Ex narratione quam ingredior patebit id eſſe verius vero, quod hic aſſero.* Quod illi aiunt, ego aio. Quod negant, ego nego quoque. *Atque hunc tantum inter nos conſenſum, in quo ne cicci quidem diſcrimen intercedit, neque pili, pro diſſenſione maxima, & ad ſummam rei faciente, doctiſſimum Theologum, cui nunc reſpondeo, velle accipi, quis non iure miretur? Ille in Epiſtola, qua mihi gratias agit pro dedicatione, ut ipſe eam interpretatur, libri de Vſuris, cum ad eum exemplaria bina miſiſſem cum*

familiari epiſtolio, quo rogabam ut acceptum illud gratumque haberet munus, ita reſpondet prolixo affectui meo, & propenſæ in illum, ſic certe de me meritum, voluntati, ut dicam impoſturæ, & calumniæ, ſive ſtellionatus pæne mihi per illam epiſtolam ſubſcripſerit. Præfatus eram de conſenſu noſtro in illa de uſuris licitis an illicitis theſi, quem & coram profeſſus fueram, lecto eius Latino, tum recens compoſito, de uſuris tractatu. Reſcripſit quiritabundus, & maximam à me ſibi factam iniuriam mecum expoſtulans, quod præ me ferrem, ipſique adeo imputarem, opinioni eius confirmandæ facere, quæ in mea ad illum præfatione dixerã. E contrario, ſi aſſenſum commodare vellet iis, quæ ibi à me dicta ſunt, cogitandum ſibi eſſe de palinodia Belgice ſcribenda, & de iugulanda ſcriptione ſua latina. *Hæc cum accepiſſem, in ſtuporem prorſum coniectus, cœpi revera ἀδημονεῖν, qui nec quid agerem aut dicerem ſcirem; & quantum falſus eſſem, viderem. Lecta ac relecta tali epiſtola, ubi cavillationibus ſolis vidi certari, quò probaretur illa diſſenſio, quæ in re ipſa nulla cerneretur, memorque adhuc eorum, quæ in opuſculo eius olim mihi cõmunicato cognoveram, breviter reſpondi, me omnibus ſophiſmatibus, quæ ex uſu viderentur, eſſe reſponſurum, ubi epiſtola illa in publicum prodiiſſet. Nam me in fine eius rogabat,* ut ignoſcerem ſi cum tractatus eius Latinus in lucem exiret, non emitte-

mitteretur abſque illius, quam ad me ſcri-ſiſſet, epiſtolæ ἀκολουθία. *Ea nunc demum prodit cũ illa brevi* Theologica *de uſuris Inſtitutione, quam ante trienniũ Brielæ ex auctoris communicatione videram. Ab eo tempore non deſtitit qua per ſe, qua per amicos, omnem movere lapidem, & omnibus machinis typographum aggredi & expugnare, ut ederet illud opus. Omnia fruſtra. Quam differendæ eius editionis rationem habuerit typographus, non dicam; ſed illud dicere debeo, candorem me in doctiſſimo* Theologo *deſiderare, ubi in præfatione ſua teſtatur, non aliter ſe paſſum eſſe ſibi extorqueri opellæ ſuæ & epiſtolæ illius ad me editionem, niſi poſtquam intellexiſſet* refutationem illam, quam poſt biennium integrum ſe expectare iuſſiſſem, *iam tandem eſſe ſub prælo. Quam ſint hæc vera, ipſius conſcientiam perrogo, & conteſtor. An ego reſponderem publicè illi ſcripto, aut refutandum illud ſuſciperem, quod adhuc privatum maneret, nondumque lucem vidiſſet? Promiſeram me tum demum refutationem eius daturum, ubi vulgatum foret. Quod facio nunc. Si ante feciſſem, in mundo mihi ſciebam paratas æmulorum calumnias, quibus me univerſis ordinibus infeſtum criminarentur, carptorem quaſi publicum & coniuratum omnia omniũ dicta ſcriptave, etiam quæ adhuc intra privatos parietes continerentur, dente plus quam Theonino adrodere ac mordere. Nunc ex*

his apparebit, me iuſtæ meæ defenſioni voluntariam manum, ſed operam neceſſariam commodare, ut crimen amoliar, quo me optimus Theologus, & amicus quondam merito ſuo meus, immerito redarguit, quaſi hominibus velim imponere, nos inter nos ſuper hac quæſtione conſentire, cum in totum diſſentiamus. Nec veriora ſunt quæ idem in ea præfatione poſuit, ſe à me hoc impetraſſe, ut promitterem me velle operæ eius Theologicæ à me lectæ, meam antiquariam ſociare. *Non poteram, ſcilicet, Theologiæ tantum, quantum huic argumento tractando neceſſarium eſſet, ipſe implere ac præſtare. Sed nec ſtudiorũ meorum ratio hoc ferebat, ut cuiuſquam Theologico operi meum antiquarium adiungere & ſociare vellem, etiam ſi uſurarium negotium Theologice ipſe perſequi non poſſem. Hoc poſſum hic libere ac vere dicere, ſalvaq; etiã noſtra amicitia, Theologica, quæ in illa Inſtitutione perſequitur, talia eſſe, ut antiquariorum captum non ſuperent. Dicam igitur quid illi tum promiſerim. Lecto eius opuſculo, quædam deprehendi de quibus eum admonui non recta mihi videri. Tum ille reſpondit ſua non eſſe, ſed à Budæo ſumpſiſſe. Falſum eſſe Budæum dixi, &, me poſſe nullo negotio hoc probare, confirmavi. Sub hæc rogavit, ut hanc operam ſumerem, & ſi quæ alia non recte ſe habere in illo tractatu offendiſſem, libere pro amicicia monerem, & in epiſtolam omnia coniicerem, quam operi ſuo*

ſuo eſſet, cum ederetur, adiecturus. Hoc in me recepi. Sed pro epiſtola promiſſa liber exiit grandis, nec unus tantum, ſed etiam alter, cum tertio mox prodituro. Illud erat de aſſibus librariis, factis ſextantariis; deinde & unciariis Italiam bello premente Hannibale. Per ſeptenne tantum ſpatium ſextantarios aſſes illos, & unciarios in uſu fuiſſe Romanis, & poſt illud tempus reſtitutam monetam veteri formæ, ibi ſcripſerat. Quod nemo eſt antiquariorum quin falſum eſſe ſciat. Et vel mediocriter rei nummariæ veteris periti, ſciunt non ſolum non rediſſe ad antiquam formam librariam aſſes illos unciarios, ſed etiam poſtea pondere deminutos fuiſſe, & uſque ad unciæ quartam partem deſcendiſſe. Hinc τετράσσαρον *pro uncia ſub Imperatoribus. Hæc cum illum docuerim in libro de Vſuris, noluit veris concedere, & ſuum illud retinet mordicus de reſtitutione librariorum aſſium, cap. 11. Theologicæ Inſtitutionis. Addit præſtantiſſimus Theologus, diſcendi tum ex me* plurima occaſionem ſibi & orbi litterario gratulatum eſſe, atque etiamnum gratulari poſſe, ſi licuiſſet me habere ὁμόψηφον in principali cauſæ tractatione. *Quoniam ergo non me* ὁμόψηφον *habuit in ſumma rei, ut alibi etiam dicit, omnia illa quæ ſperabat ſe à me doceri poſſe, in ventos abierunt, ac,* Fruſtra, indicta velut, ceciderunt tot bona dicta, doctaque. *Si calculum meum addidiſſem calculis doctiſſimi Theologi*

in

in ſummæ quæſtionis tractatu, bibliotheca vere ἔμψυχος *diceret, & multa à me didiciſſet antiqua ſepulta. Ob hanc unam igitur diſſenſionem doleo me fama tanta excidiſſe, & occaſionem tam bonam perdidiſſe bene de rebus humanis ac litteris promerendi, & nominis mei amplificandi. Quid facerem? Malo meo fato tam nequiter hoc mihi negotium ſucceſſit. Adiungit inſuper me etiam litteris ad ſe miſſis, quando iam in eo eram, ut commentationem meam ordirer, pollicitum eſſe & confirmaſſe,* me omnia eius iudicio & examini ſubiicere eſſe paratũ. *Fieri potuit ut ita ſcripſerim, cum putarem examinatorem illum meum ac iudicem æquiorem futurum, & iuſtiori lance paribus utrimq; momentis iſta eſſe perpenſurum. Vbi aliter eſſe cognovi, ac propendere in partem veritati oppoſitam vidi, tum revocavi quæ dixeram, & alium me oſtendi, quia mutatum meum iudicem in peius ſenſi. Res tamen eadem manet, nec de conſenſu ipſe quicquam nunc muto, diſſenſionemque ab eius ſententia omnem abominor, modo iis iudicibus cauſam dirimendam deferamus, qui hanc inter nos litem non componant, quia nulla eſt, ſed quod res eſt, nullam eſſe cognoſcant ac pronuntient. Talium iudicum, nec Theologos ipſos defugio, examini & arbitrio totam iſtam controverſiam etiamnunc libenter ſubiicio. Iam tempus eſt igitur, ut de cauſa pronuntiaturis inſinuem atq; intimem, quid in cauſa ſit, ut inde melius*

lius cognoſcant, utrum mea diſſenſio à communi ſententia damnanda ſit, an conſenſus probandus. Queritur primum doctus Theologus me in ſumma rei & principalis cauſæ tractatione non eſſe ſibi ὁμόψηφον. De hoc igitur quæramus, & iudices noſtros doceamus. An & hic de principali cauſa qualis ſit, non convenit inter nos? Credo ſane hoc principaliter in quæſtione verſari, utrum uſuræ in genere licitæ ſint, an illicitæ iure naturali ac iure divino. Nec negare hoc poteſt doctiſſimus Theologus. Atqui de hoc nulla inter nos dividia eſt. Prohibitionem uſuræ inter Iudæos, uterque noſtrum conſentit non ex iure naturali deſcendere, ſed ex iure civili ipſorum Iudæorum. Nam in epiſtola quam ad me dedit, pag. CLXV. *mihi ſe largiri fatetur,* uſuræ interdictionem, quæ Iudaicis legibus continetur, ad πολιτείαν ſpecialem Hebræorum ſpectare, *atque ita etiam ſe ſentire profitetur in tractatione ſua de Vſuris. Et pag.* CLXVII, *eiuſdem epiſtolæ diſerte ſe cenſere teſtatur,* Chriſtiano in Chriſtianum uſuras illas debere permitti, quæ olim populo Deo cum alienis erant licitæ. *Ergo pluſquam clarum eſt hoc inter nos convenire, uſuras Iudæis inter ſe illicitas, ex lege Moſis ad ſpeciale ac civile ius Hebræorum pertinere, at quæ licito eadem lege ab his cum alienigenis exercebantur, ex iuris naturalis libertate manare. Nam ut ait Iuriſconſultus leg.* XLI. *D. de verborum ſignificatione:*

tione: Quædam natura turpia ſunt, quædam civiliter & quaſi more civitatis. *Inter illa quæ turpia eſſent natura, numerat furtum & adulterium. At multa quæ turpia non ſunt natura, ubi iure aliquo ſpeciali civitatis rebus prohibitis lege vel more accenſentur, tum incipiunt eſſe turpia, non ſimpliciter & naturæ vi, ſed* civiliter, *ut dicit* Iuriſconſultus. *Idem eſt de uſuris. Eas accipere non eſt turpe natura: ſed ſi more aut iure alicuius civitatis inter vetita reponantur, turpe eſt ire contra vetitum, atque etiam puniendum, ſi pœnam lex tranſgreſſoribus imponat. At uſuræ pro parte illicitæ inter Iudæos, pro parte licitæ. Licitæ quidem naturaliter ſi cum extraneis exercerentur, quia lex civilis, quantum ad extraneos, iuri naturali non derogavit, eas permittendo. At illicitæ civiliter quæ ab indigenis exigerentur: quia hac in parte iuri gentium per ius civile derogatum conſtat. Vbi igitur meus in principali quæſtione à ſenſu* Theologi *diſſenſus, aut ubi, vel qua in re principalis illa quæſtio locata eſt, ſi hic locum ſedemque non habet? In epiſtola innuit* Theologus, *non uſuras omnes iure naturali, & iure divino, eſſe licitas, ſed eas tantum,* quæ improbæ non ſunt, quæ autem vetitæ ſunt, pariter utroque iure illicitas eſſe. *Hæc propoſitio alia eſt ab ea, quæ ſimpliciter ponit uſuras eſſe licitas iure naturali & iure divino. Modum enim reſpicit qui ad ius civile pertinet, non ad ius*

natu-

naturale. Nihil enim de modo uſurarum determinavit ius naturale. Sed nec ius divinum poſitivũ, quo ſpeciali mandato uſuræ Iudæis inter ipſos vetitæ ſunt, cũ ἀλλοφύλοις permiſſæ. Emptionis ac venditionis contractus ex iure naturali deſcendit, ut & mutui datio, & pro eo uſurarũ exactio. Cæterum ius naturale, quo emptio & venditio introducta eſt, ut pretium quoque pro merce exigeret venditor ab emptore, introduxit. Nec enim ſine pretio & merce emptio & venditio conſtat. Non prohibuit autem idem ius naturale, ne quantum maximum quis vellet pretium pro merce ſua acciperet. Nam cum in hac conventione, ut in aliis quæ iuris gentium ſunt, ex contrahentium voluntate & conſenſu negotium peragatur, nihil tam naturali libertati conſentaneum eſt, quam ut pretium merci ſuæ quod velit venditor ſtatuat, emptori autem liberum ſit hoc pretio accipere vel recuſare. Vbi lex porro intervenit, quæ certis mercibus certum pretium conſtituit, ut in pane vendundo, & aliis quibuſdam ſpeciebus vulgo ſolet fieri, ibi tum quod iure naturali licebat, iure vel more civitatis non amplius licet. Idem prorſus liquet eſſe de uſura, quæ tanquam pretiũ & merces eſt pro uſu pecuniæ mutuo datæ. Iure naturali, quo uſuras eſſe licitas inter me & doctiſſimũ Theologum convenit, cuique etiam licet mutuum cum alio contrahenti, quantas velit uſuras paciſci; ita ut liberum ſit mutuum accipienti, ſi maiorem æ-

quo

quo poſtulet qui dat, ſub tali fœnore pecuniam repudiare. Nam ut ait Iuriſconſultus, nemo videtur fraudare eos, qui ſciunt & conſentiunt. *Nec emptor igitur à venditore fraudatur, qui maximum pro ſua merce pretium petit, nec mutuum accipiens à dante, ſi graviſſimas uſuras poſcat. Vtrique enim liberum eſt, aut accipere rem conditione quæ proponitur, aut reiicere. At ſi quando lex aut mos civitatis uſuris iure naturali liberis modum ponat, ut pretio certarũ mercium, eo caſu uſuræ, quæ modum illum excedunt à lege vel more ſtatutum, illicitæ habendæ ſunt atque improbæ, utpote vetitæ: iuſtæ autem ac legitimæ, quas mos aut ius civitatis permiſerit. Non puto ſummum virum & amicum noſtrum diſſentire in hoc à me poſſe, ut me ipſi quoque aſſentiri in eo profiteor, improbas uſuras eſſe illicitas, ſed ibi demum ubi ex iure ſpeciali civitatis improbas cenſendas eſſe conſtiterit, ex earum comparatione quas lex aut magiſtratus ſolas probaverit. At nullo modo poſſum eius ſententiæ accedere ea parte, qua dicit uſuras quæ ſic vetitæ fuerint, id eſt, quarum exceſſus lege tantum prohibitus fuerit, permiſſis interim modeſtioribus, utroque iure pariter illicitas eſſe, naturali ac divino. Quod rationi plane repugnat, & cum theſi ipſa de uſuris iure divino ac naturali licitis, ſicut à doctiſſimo Theologo aſſerta eſt, omnino pugnat. Vſuræ in genere licitæ ſunt iure naturali ac divino. Id eſt,*

quæ-

quæcumque inter contrahentes ex utriuſque conſenſu pacto placitæ fuerint. At ſi modum iis lex poſuerit aliqua, vel mos civitatis, tum quæ ſupra modum illum petuntur illicitæ, improbæ, ac vetitæ ſunt, ſed non iure naturali ac divino. Nam civiliter tantum vetitas eſſe conſtat. Athenis lex Solonis libertatem iuris naturalis circa uſuras, quaſcunq; & quantaſcumque fœneranti liberet accipiendas, confirmavit. Romæ contra ſemper uſuris modus poſitus fuit, ſed varius pro temporum ratione, ex pecuniæ ipſius caritate & copia, quam tempora inducunt. Ergo Athenis nullæ improbæ uſuræ fuerunt, quia nullæ illicitæ aut vetitæ, ſed ſicut iure naturali liberæ ſunt, ita & civili iure ibi permiſſæ. At in civitate Romana, quæ modum his ſtatuit pro tempore varium, quædam licitæ ac legitimæ habitæ, quæ intra modum lege permiſſum conſiſterent; quædam illicitæ & improbæ, quæ ultra modum præſcriptum evagarentur. De Hebræorum republica quid dicendum? Aliud in ea nimirum ius fuiſſe. Nec enim ut Romæ, ita partim permiſſæ ſunt, partim vetitæ, ut ad modum pertineret illa interdictio vel conceſſio, ſed ut reſpectu tantum ὁμοφύλων interdicta eſſet in totum omnis uſura, reſpectu ἀλλοφύλων omnis ſimiliter penitus conceſſa. Hoc eſt ſine modo, ut Athenis mos fuit, & per totum ferme Orientem. Nuſquam enim legitur modum uſurarum de-

terminaſſe Moſem. Inde & Iudæi omnes, omni in ævo, permiſſas ſibi lege Moſis cum gentibus uſuras, ſine ulla modi obſervatione paſſim ſe poſſe exercere, interpretati ſunt. Sed de his latius in ipſo opere. Quæro adhuc, nec invenio, qua in re diſcrepare meam à ſua ſententiam doctus exiſtimet Theologus, cum principalis quæſtio in eo vertatur, an licitæ ſint iure divino ac naturali uſuræ, qua de re nihil inter nos controvertitur. An trapezitæ ſunt, hoc eſt, publici fœneratores, qui diſcidium iſtud inter nos pepererunt? Atqui non principalis hæc quæſtio eſt, ſed particularis ex illa principali diiudicanda. Si uſuræ licitæ ſunt iure naturali ac divino, in illis civitatibus quæ aliud ius habuerunt à naturali, propter modum quo iuris naturalis libertati frænum quaſi iniecerunt, certarum uſurarum prohibitio in his non ex iure naturali profecta eſt, ſed ex civili, hoc eſt, illius civitatis proprio, ut iam diximus, deſcendit. Fœneratorum autem, id eſt, eorum qui fœnus exercent, profeſſio, æque in illis urbibus ubi uſuræ fuere permiſſæ, ſemper admiſſa eſt, ut & mercatorum qui rem ea profeſſione quærunt, id eſt, mercaturis. Fruſtra uſuras permittas & mercaturas, niſi velis eſſe qui utrumque exerceat, fœneratores ac mercatores. In quibus civitatibus reſtrictæ intra modum uſuræ fuere, improbi erant fœneratores, qui modum illum tranſcenderent, & improbi quoque mercatores qui amplius

pre-

pretium exigerent, ubi certum eſſet illi merci lege conſtitutum quam vænalem habebant. At in illis rebuſpublicis, quæ liberas uſuras & merces voluntati contrahentium permiſere, ibi licuit fœneratoribus quas vellent uſuras pro ſua pecunia, & mercatoribus quod vellent pretium pro ſua merce accipere. Fœneratores ubique locorum, olim duorum generum fuere, privati nimirum, & publici. Vnicuique privato ſemper licuit pecuniam ſuam exercere, & ex ea quæſtum facere legitimis uſuris, ubi lex modum earum finiviſſet, aut placitis ubi liberum eſſe ſiviſſet. Hi δανεισταὶ Græcis appellati, Latine fœneratores. Publicos Græcia τραπεζίτας nuncupavit, à menſis quas in foro poſitas cum nummis in his publice expoſitis habebant, ut omnibus fœnerato accipere volentibus, pecunias expenſas ferrent. Latini eoſdem vocant Menſarios, aut Argentarios, atque etiam Nummularios. Privati fœneratores ſimiles ſunt hominibus privatis, qui res in agro ſuo natas, vinum, triticum, oleum, legumina, & alias quaſcumque fruges liquidas aridaſve vendunt, cum plus ex illis colligant quam conſumere domi poſſunt. Ita privati fœneratores pecuniam ſuam, ne ſibi otioſa eſſet, in quæſtu ac reditu habebant, ſi quando ea abundarent. At fœneratores publici erant, ut mercatores nunc quoq; publici ſunt, qui emunt ut vendant, & vendunt ut alia iterum vendanda emant, & ſic indeſinen-

ter merces habent vænales. Ita hi trapezitæ, ſive publici fœneratores, fœnori accipiebant pecunias ab aliis, ut aliis eaſdem fœnori darent, & cum lucro: ac ſic menſam ſuam inexhauſtis nummis inſtructam tenebant, ut mercatores tabernam mercibus plenam, nunquam deficientibus. Demonſtravimus in hoc opere, non gratis diximus neque dictavimus, trapezitas iſtos ſive publicos fœneratores, ubicunque antiquitus admiſſi ac recepti fuere (conſtat autem in omnibus omnino civitatibus receptos & admiſſos, nec ſub gentilitate tantum, ſed etiam ſub Chriſtianitate) publica auctoritate ubique conſtitutos fuiſſe; & alibi populi ſuffragiis creatos, alibi pro viribus patrimonii hoc muneris ſubire coactos. In quibus locis fœnus erat ſine modo relictum, placitas accipiebant uſuras, non tamen infinitas. Nam & in illis ipſis civitatibus, quamvis liceret quantaſvis exigere, ex fori tamen curſu, & pecuniæ annona, intra certos limites, pro tempore alios atque alios, ſponte ſua ſtabant. In illis vero urbibus ubi ex lege modum uſuræ capiebant, non ſolum privatis fœneratoribus, ſed etiam publicis, id eſt, trapezitis præſcribebatur fœnoris menſura. Ex illa igitur generali theſi, quæ uſuras ſtatuit iure naturali eſſe licitas, dependet & hæc altera, qua aſſeritur aut modum uſuris per ſe licitis poſſe aliquem poni civiliter, aut poſſe naturaliter ſine modo relinqui. Cum in multis rebuſpubli-

cis

cis ius civile in libero curſu uſurarum, ut eum natura remiſit permittendo, iuri naturali conſonum fuerit, certum eſt quicunque modus eis ex lege præfigatur, eum non ſolum pro legitimo, ſed & pro æquo ac iuſto debere cenſeri. Ergo & trapezitica uſura, cum inter modos ac genera uſurarum numeretur, iuſta ac legitima haberi debet, ubi talis à lege, vel à magiſtratu legis auctore permiſſa eſt, & trapezita qui eam exerceat publice ab eodem conſtitutus & admiſſus. Nam & privatis quantamcumque uſuram accipere lex aut mos civitatis conceſſerit, eam iuſtam quoque ac legitimam videri oportet. Nec ulla tam gravis eſt aut magna uſura, quin lege præſcripta, iure exigenda videatur. Nihil huc facit differentia uſuræ & fœnoris, quam eruditus Theologus inculcat. In Græcis hoc diſcrimen non eſt. Τόκον vocant omnem uſuram, ſive quæ ex mora, & pro eo quod intereſt, in bonæ fidei contractibus exigitur, ſive quæ pacto, vel ſtipulatione, ut mos Romanis, pro pecunia credita promittitur. Tam privatam, quam trapeziticam uſuram, uno eodemque τόκου nomine nuncupant. Quin & ſeptuaginta interpretes, in vetanda aut permittenda Iudæis in Iudæos aut in gentes uſura, non alio verbo uti ſolent, quam ἐκτοκίζειν. Hebræi quoque נשך neſchech vocant omne genus uſuræ à morſu, nec diſtinguere norunt trapeziticam & privatam, cum & ipſi nominent trapezitas ut

Græci nomine à menſa deducto. Cui licebat privatam accipere, eidem ſi trapezita fieret, trapeziticam capere licitum fuit. Nemo itaque poſſit trapeziticam uſuram cum trapezitis damnandam arguere, neque ex auctoritate ſacræ ſcripturæ, neque ex naturæ principiis, cum utroque iure eſſe licitas uſuras inter me & doctiſſimum Theologum conveniat. Si licitæ enim iure naturali ac divino, cur trapeziticæ erunt illicitæ, cum pertineant ad modi quæſtionem, de quo etiam non diſcordamus quin iure civili qualis qualis aut quantus quantus ſtatutus fuerit, pro iuſto legitimoque haberi debeat? De iſtis ergo trapezitis antiquis fruſtra mecum ſerram duceret optimus Theologus, quia non poteſt quicquam contrarium iis quæ diximus afferre, quin publica auctoritate olim fuerint in urbibus conſtituti. Nec theſin ipſam potis eſt oppugnare, aut infirmare, qua affirmamus potuiſſe huiuſmodi trapezitas publicè conſtitui, quorum fænus, ſive liberum eſſet, ſive modo conſtrictum, prout foret mos & conſuetudo civitatis in qua inſtituta ſit hæc publica fæneratio, quia non videtur cum iure naturali, neq; cum divino pugnare. Si ulla itaque inter nos media venit diſcordia in hoc uſurario argumento, non aliunde orta eſt, quam ex cauſa hodiernorum trapezitarum, quos vulgo Longobardos *appellant. Nec diſſimulat Theologus hoc ipſum eſſe quod nos diviſerit, & diviſos commiſerit. Nam & in*

in Præfatione conqueritur, me, neſcio quo æſtu abreptũ, pro dedicatione declamationem feciſſe pro firmando trapezitarũ ſtatu. *Sciat me nec dedicationẽ, nec declamationem tum facere voluiſſe, ſed præfationem ad illum ipſum qui hoc dicit. In ea autem præfatione iterum ſciat me nullo æſtu fuiſſe abreptum ad defendendos hodiernos trapezitas, niſi qui è deſiderio veritatis tuendæ incaleſceret. Quid ſi monſtro navem illius iiſdem ventis & eodem æſtu ferri, ipſumque eidem ſententiæ quam nunc tueor, prorſus velificari? An poterit excuſare quod tantos fluctus excitarit, & in ſympulo quidem, ut hominẽ hunc demergeret, in omnibus omnino paria cum ipſo ſentientem? Non alio teſte convincam in eadem me cum eo opinione verſari, niſi illo ipſo, qui diſſenſionem meam pro crimine ſummo traducere laboravit. Verba eius hæc ſunt, cap.* III. *Theologicæ de uſuris Inſtitutionis ſub finem:* Ac merito odioſam eſſe negotiativam uſuram quando in lucratoriam degenerat, id eſt, quando homines privati mercaturam non profitentes, nec aperientes officinam, vel tabernam mercatoriam, menſam tantum erigunt uſurariam, qua de ſola pecunia tuto & ſine periculo quæſtum faciunt, atque in eo ſolo negotio induſtriam ſuam occupant. Eſt hoc ſane illiberale, & Reipublicæ pernicioſum, &

iure Iuſtinianeo vetitum. *Hic me prorſus habeat ſibi aſſentientem & adſtipulantem, non debere ferri in civitatibus bene conſtitutis privatos homines menſam erigentes uſurariam, & trapeziticam exercentes ſine auctoritate publica. Sed addam etiam nunquam in ulla antiqua republica ſive Græca ſive Romana ſive barbara, id uſquam obtinuiſſe, ut trapezitæ ulli admitterentur, niſi populi, aut principis, aut ſummi magiſtratus auctoritate conſtituti. Quod adiicit doctus Theologus Iuſtinianeo iure horum privatorum, qui menſas uſurarias erigunt, quæſtum fuiſſe vetitum, ſi gratis non hoc dixit neque dictavit, effugere certe non poteſt quin hariolatus ſit. Non poteſt ſane dicere, hoc docere eſſe. Iuſtinianus trapezitas publicos non ſolum admiſit, ſed etiam multis privilegiis condecoravit, etiam negatis alii mercatorum & negotiantium generi. Privatos etiam fœneratores nuſquam legitur prohibuiſſe, quinimo quo genere uſuræ deberent fœnus exercere, lege qua ex conditione perſonarum modum poſuit uſuris, determinavit, ſemiſſes eis ſtatuendo cum beſſibus fœnerari permitteret trapezitis, ut aliis mercatoribus. At privatorum menſas uſurarias erigentium ac τραπεζιτευόντων, nulla uſpiam mentio extat in iure Iuſtinianeo. Et Vtopicum hoc plane genus eſt, ut Theologo ſua verba regeram. Iterum tamen contra hos privatos trapezitas, qui nuſquam hodie ſunt,*

nec uſquam unquam fuerunt idem urget non eſſe tolerandos his verbis cap. XI. Verum enimvero his non obſtantibus, iuſtæ ſunt cauſæ non tolerandi, ut privati menſas erigant, in quibus promiſcue cuivis petenti mutuum dent ſub uſura. *Iuſtas tantum eſſe cauſas dicit cur non tolerandi ſunt? Ego vel iuſtiſſimas dixerim. Et merito nunquam tales toleratos eſſe conſtat, neque etiam nunc tolerari. In eodem capite doctiſſimus Theologus ſcribit, de magiſtratu Belgii, qui in ſuis civitatibus,* menſas mutuationis publicas erigunt, nullam dari poſſe iuſtam cauſam quare tantum ſit toleranda, & non probanda negotiatio illa, ſaltem ut actus civilis licitus & honeſtus. *Hæc negotiatio quam non ſolum tolerandam, ſed etiam probandam adfirmat, ſaltem ut actum civilem licitum ac honeſtum,* τραπεζιτική *eſt exercitio* veræ, *ut ipſe vocat,* & formalis uſuræ, *quam in fœderato Belgio inſtituerunt ſingularum civitatum magiſtratus ad pauperum ſublevationem. De qua etiam ita ibi pronuntiat optimus Theologus*, piam illam eſſe pauperum ſublevationem, etiam cum negotiatione veræ & formalis uſuræ, quando illud onus (*pauperes*) ſentiunt in ſuum emolumentum. *Ibidem ait magiſtratum in his menſis inſtituendis & erigendis & exercendis*, præſumi liberaturum bona fide

ſuam conſcientiam, nec debere pium & laudabilem conatum ex ſiniſtra præſumptione aliqua, odioſum aut iniuſtum cenſeri. *Poſt hæc dicta quis prohibet, aut quid impedimento eſt, quin abiectis armis iungamus dextras? Quo tantos animorum motus, quaſi agitet diſcordia, ubi unum idemq; ſentitur ac dicitur? Quid opus erat, me trahere in crimen firmati trapezitarum ſtatus & defenſæ trapeziticæ uſuræ, ubi criminator meus eiuſdē culpæ reus, ſi culpa eſt, deprehenditur? Quidquid de trapezitis dixi, de iſtis intellexi quos in ſingulis urbibus magiſtratus conſtituit.: quorum menſa publica eſt: cuius menſæ trapezitæ tantum mancipes ſunt, magiſtratus ipſe locator eſt, vel etiam in quibuſdam civitatibus exercitor per inſtitorem menſæ exercendæ à magiſtratu præpoſitum. Non iam igitur quærendum quam bene huiuſmodi publicarum menſarum conductores pro infamibus vulgo habeantur, & à ſacra ſynaxi removeantur, ſed dicendum non poſſe utrumque merito ſtatui, quin ipſi magiſtratus in eorum perſona notæ infamiam ſubeat, & excommunicationis patiatur pœnam. Quam* προσωπωληψίαν *neſcio an cuiquam bono adprobaturus ſit noſter Theologus, ſi cenſeat magiſtratui qui menſam erigit & locat impune eſſe debere, trapezitæ qui conducit, id pœna infamiæ &* ἀκοινωνησίας *luendum. Sed nec peccare magiſtratum tali menſarum inſti-*

tuto

tuto, aſſentior eruditiſſimo Theologo, etiamſi commodum capiat, & compendium captet ex menſa vectigali, fiſcumque ſuum hoc reditu augeat. Quia ut optime ab eo dicitur. cap. XI. *Theologicæ Inſtitutionis. p.* LXXII. Quemadmodum privati debent, etiã labore manuum ſortem ſuam augere in illum finẽ, ut habeant unde impertiantur indigentibus, ſic magiſtratum augendo fiſcum, præſertim ex uſura illa mutuaticia, curare, ut habeat quod liberalius, ingruente aliqua annonæ caritate, vel alia publica calamitate, impertiatur indigentibus, non dato tantum mutuo, ſed eleemoſyna. *Quieſcat igitur deinceps quantum ad hoc, inter nos omnis ἀψιμισία, ex imaginaria diſſenſione contracta, ſopiatur omnis animorum contentio, & coëant in fœdus dextræ. Ceſſante cauſa ceſſet etiam effectus. Iam hinc inter nos conveniat menſas à magiſtratu inſtitutas, & menſarios ab eodẽ conſtitutos non ſolum tolerandos eſſe, ſed etiam probandos. Vt nec ipſe magiſtratus improbandus, cum menſam publicam ac ſui iuris, & pro privilegio civitati cui regundæ præeſt edicto Ordinum conceſſam, ipſe per ſe exercet inſtitore ad hoc menſæ præfecto. Si quos privatos potuerit deprehendere Theologus noſter, ſibi menſas erigentes nulla interveniente publica auctoritate, etiamſi connivere tali erectioni magiſtratum manifeſtum ſit,*

ſit, non intercedo nec deprecor ne huiuſmodi improbi fœneratores decreto ſenatus Theologici eliminentur è conſepto eccleſiæ, & ignominiæ æternum ſubiugentur. Nunc alia multa ſunt de quibus haud æque poſſum doctiſſimi Theologi ratiociniis calculum ex meo computo adiicere. Sed quoniã in principali cauſa iam ſpiritus concordes gerimus, levia erunt cætera in quibus nõ cõſpiramus, quæ & ipſa his quæ dicturi ſumus quaſi pulveris exigui iactu ſopita facile cõciliabuntur. Scribit in præfatione, Eccleſiarum reformatarum praxin, qua à ſacra ſynaxi fœneratores eliminant, ficulneis argumentis *à me* vellicari, & perperam collidi cum antiquitate, ſeu praxi veteris Eccleſiæ, quaſi illa olim fœnerandi licentiam fecerit Laicis, ademerit vero ſolis preſbyteris & Epiſcopis. *Haud recte videtur oculis ſuis aut mentis ratione uſus vir eximius in illis meis perſpiciendis ac perpendendis argumentis. Vidiſſet enim, ſi acre illud iudicium ſuum adhibuiſſet illis examinandis non de ficus ligno, ſed de robore eſſe detornata: quæ vero ipſe cõtra oppoſuit ac repoſuit, non eſſe ficulnea, ſed iuncea ac fænea. Non ita compoſui Eccleſiam utramque, ut collidi vellem. Scio alia tempora ut alios mores habent, ita aliam diſciplinam poſtulare. Nec aliud requiri ad puritatem religionis niſi conſenſum doctrinæ, ac fidei. Sed nec illud opinor negabit, Eccleſiam*

Chri-

Chriſti & Apoſtolorum temporibus proximam, ut origini ſuæ & fonti viciniorem, ita videri debere puriorem, quam quæ in rivulos longius ſubmotos diducta eſt, quantumlibet poſterorum cura repurgatos. Hoc igitur mirum mihi viſum fuit illius primitivæ Eccleſiæ praxi, cui maxime ſeveritas diſciplinæ placuit, patres qui in ea pietate & ſanctitate florebant, cum uſuram verbo Dei vetitam crederent, nihilominus nullam vel improbis, & modum excedentibus fœneratoribus pœnam aut cenſuram impoſuiſſe eccleſiaſticam, nec eos à ſacra communione removendos cenſuiſſe. Nunc vero ab illis Theologis qui non ſolum licitas iure naturali ac divino uſuras pronuntiant, ſed etiam iuſtas ex ſe eſſe definiunt, eos fœneratores qui publica auctoritate conſtituuntur, & non ampliores quā ſibi præſcriptas à magiſtratu accipiunt uſuras, extorres ab eccleſia fieri, & infamiæ condemnari. An hoc σύχινον argumentum? Robuſtum ego præſto, quod ex firmitate eius apparebit. Mittamus utriuſque eccleſiæ praxeos comparationem. Ex ipſa theſi Theologi qua iuſtas per ſe aſſerit uſuras, atque utrique iuri, naturali ac divino, conſentaneas, conſequitur non poſſe niſi iniuſte à ſacra communione arceri qui uſuras legitimas & à magiſtratu ſtatutas exigunt. Si iuſte arcentur, iuſtius in magiſtratum qui inſtituit talem menſam, & ſtatuit talem menſariis uſuram, huiuſmodi pœna ſanciatur.

Quod

Quod ſi ſolas moderatas Theologus velit eſſe licitas uſuras, quis moderatas facere poteſt præter magiſtratum? Quaſcunque ille iuſſerit aut permiſerit exigere, non ſolum legitimæ habendæ, ſed & moderatæ. Hoc neget ſi poſſit, aut alii tribuat poteſtatem uſurarum temperandarum ac fœnoris modificandi, per ſe in genere liciti, tam naturali iure quam divino. Aut licet magiſtratui moderamen fœnoris lege pro temporibus & cauſis ſancire, interim remittendo, interim intendendo, aut non licet. Si non licet, ideo minime licere dicendum, quia res ſit iure divino vetita & illicita. Quo caſu non impune debet eſſe magiſtratui licentiam alicui danti rei quæ legi divinæ contraria eſt. Sin autem poteſt magiſtratus hoc ſuo iure ſumere, ut quod viſum fuerit fœnus permittat, & quos velit fœnerantes admittat, id eum poſſe ea ſola ratione certum eſt, quod fœnus, & uſura non pugnent cum iure divino. Et de hoc ipſo mihi cum optimo Theologo optime convenit. Quid inde conſequi debeat, clarum eſt. Si ægre fert committi eccleſiam excommunicantem trapezitas à magiſtratu conſtitutos ac probatos, immo ipſum magiſtratum τραπεζιτεύοντα, cum illa eccleſia quæ non eos excommunicabat, palam eſt eam eccleſiam quæ reformatæ nomine iure gaudet, cum Pontificia cuius iugum excuſſit, hac in re melius poſſe componi, utpote quæ eamdem praxin habeat,

quam

quam cū primitiva ac puriore, quæ omnino aliam habuit. Eccleſia primitiva in ſuis conciliorum tam generalium quam localium decretis, ſolis clericis uſura ac fœnore interdixit, non etiam Laicis. Quia id fieri à ſe non poſſe videbat ſine uſurpatione iuriſdictionis civilis, cum fœnus iure civili eſſet licitum, ut commerciis maxime neceſſariū, & ſocietati humanæ utile. Cum Pontificia id auſa ſit prohibere fœnus Laicis quod in ſumma diſciplinæ auſteritate non fecit antiqua, putavi iure à me quæri poſſe, cur Pontificum decreta potius noſtri ſequerentur quam antiquiorū diſciplinam, & praxin, præcipue qui uſuras non ſolum licitas iure divino, ſed etiam iuſtas cenſeant, cum veteris eccleſiæ patres eas repugnare iuri divino crederent, qui ~~tamen~~ eas plebi non vetuerunt. Hæc ~~tamen~~ ſiculnea ſunt Theologo argumenta. Sic ſatis ~~tamen~~ mihi valida ac firma videntur, cum folia ficus pro umbone his obiiciat tantus Theologus. Nec eſt quod aliquis ingerat ſynodis noſtratibus idem ius eſſe in ſuos quod veteribus, ut nimirum canones pro temporum ratione condant, quibus teneantur omnes qui ad eccleſiam pertinent. Veteribus ita tunc viſum, noſtris ſecus videri. Fateor quod iam ante dixi, alios homines alios mores, alia tempora etiam aliam diſciplinam interdum exigere. Sed in illis caſibus hoc tantum obtinere debet, ubi doctrinæ nihil detrahitur, & mandato divino non derogatur. Expreſſe per Apoſtolum

Domi-

Dominus mandavit, debere omnem animam poteſtatibus ſuperioribus ſubditam eſſe, id eſt, magiſtratibus. Nullam enim eſſe poteſtatem niſi à Domino. Quæ autem ſunt, à Deo *ordinatas eſſe.* Dei itaque ordinationi reſiſtere *dicit idem Paulus ad Romanos* XIII. II. qui reſiſtit poteſtati. *Nec ſolum propter metum pœnæ neceſſe eſſe præcipit iis ſubiici, ſed etiam propter conſcientiam.* οὐ μόνον διὰ τὴν ὀργήν, ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν συνείδησιν. *Legibus ergo, & ſanctionibus, conſtitutionibuſque eorum omnes ſubditos obtemperare oportet, præſertim iis, quæ non refragantur iuri divino. Nulli igitur eccleſiæ, multo minus reformationē profeſſæ, liceret hodie canones condere quibus vetarentur tributa, aut vectigalia exigi quæ magiſtratus civibus imponit, quamvis maximum inde gravamen ſentientibus. Sed nec ullis eccleſiæ decretis tributorum exactores, portitores, & publicani eccleſiæ communione iuſte poſſent privari, quin illi* ὑποταγῇ *quæ debetur poteſtatibus à* Deo *ordinatis, renuntietur. Nam magiſtratus ipſe qui tributum aut vectigal imperavit, in perſona portitoris aut publicani quem præfecit exigendo portorio, à communione prohiberetur. Nec aliud in re uſuraria ſtatui debet aut poteſt, quam pro arbitratu ſuo magiſtratui intendere ac remittere pro temporum ratione licet, ita ut vel publicos conſtituere poſſit fœneratores, qui promiſcue omnibus mutuum dent ſub uſura quam ipſe magiſtratus*

giſtratus præſcripſerit. Hos fœneratores in omnibus civitatibus fœderati Belgii auctoritate publica inſtitutos, meros eſſe publicanos in hoc opere probavimus. Huic eorum inſtitutioni à magiſtratu profectæ nemo poteſt contravenire, niſi facere velit contra mandatum divinum, quo vetamur reſiſtere poteſtati quæ à Deo eſt ordinata, id eſt, magiſtratui. Quod minus illis liceat qui uſuras divino iure licitas eſſe contendunt, quā illis qui negant. Nec eſt etiam cur aliquis hic occurrat, eccleſiam primitivam cum clericis fœnore interdixit, legibus ſæculi contrarium quid conſtituiſſe. Nam, inquient, per leges ſæculi clericis licebat fœnori dare, quod ſynodus Nicæna vetuit. Reſpondeo eccleſiam, hoc eſt, collegium, vel ordinem eccleſiaſticum non plus licentiæ ſibi ſumpſiſſe in vetanda eccleſiaſticis, hoc eſt, ſui corporis hominibus uſura, quam quilibet privatus iure ſuo citra ulla legum civilium violationem poſſet uſurpare. Fœnus leges illæ permittunt, non iubent. Poſſem itaq; ipſe hanc mihi legē dicere, & omnibus qui ſub mea ſunt poteſtate eam indicere, ne mutuum dantes uſuram exigamus. Qui non fœneratur, videri non poteſt legi quæ fœnerari permittit, contraire. Nemo unquam putavit cœtus ac cœnobia μοναζόντων, qui in unum conveniebant, ut ſub certa regula, quam ſibi ipſi præſcribebant, vitam à communi diverſam inſtituerent, in leges ſæculi peccaſſe, quamvis non viverent more ſæculi. Quantumlibet ali-

 quis

quis ſtatuat magiſtratui iuriſdictionem in clericos dari, non tamẽ poteſt cogere magiſtratus, ut clerici uſuras accipiant, nec impedire ne eccleſiaſticus ordo prohibeat ſuis, id eſt, clericis uſuras cum mutuum dant exigere. Non magis ſane quã ut carnibus veſcantur, quibus placuerit certis diebus ſe ab his abſtinere. Sed nec in privatos hoc ius eſt magiſtratui, ut fœnus pro pecuniæ paciſci nolẽtes, per vim cogat fœnerari, quia leges, ut dixi, uſuram accipere permittunt, nõ etiã iubent. At ſi eccleſia, id eſt, ſenatus eccleſiaſticus, vel ſynodus ex eccleſiaſticis cõgregata prohibere vellet laicis uſuras, lege civili eis permiſſas, hoc facere non poſſet ſine iuriſdictionis civilis uſurpatione. Si tamen certo conſtaret uſuras lege divina expreſſe eſſe vetitas, tum nemini etiam dubiũ eſſet, quin à ſynodis canones cõdi poſſent, uſuras exigi vetantes, quibus omnes qui ad eccleſiam pertinent, tenerentur. Contrarium Theologus cum quo nunc nobis res eſt, omnino aſſerit, & affirmat licitas eſſe uſuras iure divino, atque etiam ex ſe iuſtas. Tanto ergo minus liceat ſynodo canones ſancire in re uſuraria qui legibus & conſtitutionibus publicis contrarium ſtatuant. In dubium revocat idẽ Theologus quod diximus in Præfatione, eccleſiam primitivam fœnerandi licentiam non ademiſſe laicis, ſed ſolis epiſcopis, presbyteris, & diaconis. Forſitan ubi legerit quæ de eo diſſeruimus in hoc opere, dubitare deſinet. Non tamen hoc mihi promittere auſim. Nam & alia non minus clare à nobis

demon-

demonſtrata, gratis tamen dicta ac dictata, non dubitavit dicere. Nec ergo illi aſſertioni noſtræ fidẽ adrogare poteſt, qua docuimus fœnerantes laicos in primitiva eccleſia nunquam communione ſacra fuiſſe ſubmotos. Non dicam, *inquit,* quæ ab aliis Theologis ipſi Salmaſio indicata didici, à me velim audiat ex conſtitutionibus Clementis *lib.* IV *cap.* V. &c. *Haud ſcio quænam illa ſint, quæ mihi indicata ſe dicit dididiſſe ab aliis Theologis, ut me de ſententia mea dimoverent. Debuit iterum illa hic reponere, ſi tanti momenti ipſi viſa ſunt, præſertim cum publica non ſint, & interſit ea omnibus innoteſcere. Memini quidem nonnulla mihi obiecta a quibuſdam Theologis argumenta, quibus contrarium niterentur evincere, ſed nec oblitus ſum omnia illa validiſſime à me tum fuiſſe refutata. Quas refutationes etiam digeſſi in hac diſſertatione ſuis locis. Nunc nova iſta obiectio nobis exſurgit à Theologo noſtro ex Clementis auctoritate miecta. Quem miror auctorem apocryphum, ab his qui pro ſpuriis habent conſtitutiones illas, utpote veri Clementis minime germanas, opponi certis teſtimonis, ex auctoribus indubitatæ ſidei depromptis, & tot ſynodorum veterum decretis, ex quibus planum fecimus, laicis non fuiſſe uſuram interdictam primis eccleſiæ temporibus, ac proinde nuſquã illos à ſacra ſynaxi eo nomine fuiſſe repulſos. Quin ille ipſe Clemens in canonibus Apoſtolorum,*

 quos

quos ei tribuunt veteres libri, & Arabica antiqua paraphraſis, & Dionyſius Exiguus in ſua verſione, diſerte ſcribit canone XLIV *ſolis Epiſcopo, presbytero & diacono uſuras vetari.* Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος τόκους ἀπαιτῶν παυσάσθω, ἢ καθαιρείσθω. Epiſcopus, aut preſbyter, aut diaconus, uſuras à debitoribus exigens, aut deſinat, aut certe damnetur. *Quos hic ſolos nominavit, ſolis iis interdictam uſuram canone iſto videri neceſſe eſt. Sed ut largiamur Theologo, eam quam protulit Clementis conſtitutionem idoneam eſſe, quæ tot aliorum teſtimoniorum à nobis allatorum auctoritati præiudicet, videamus quid illa velit, & an effici poſſit ex ea quod voluit noſter. Nihil minus ex recta eius interpretatione conſequitur, quam quod ille adſtruxit. Probare inde conatur primorum poſt Chriſtum ſæculorum eccleſiæ praxin hanc fuiſſe, ut* τοκογλύφοι, *id eſt, fœneratores à ſynaxi arcerentur.* Τοκογλύφον enim accenſeri illis, quorum καρποφορίας, ſeu oblationes euchariſticas, non debet recipere Epiſcopus, quo pacto fiebat olim eorum eliminatio à ſacra ſynaxi, videlicet ſcortatoribus, raptoribus, adulteris, ebrioſis, blaſphemis, cinædis, aliiſque eius farinæ hominibus ἀδοκίμοις. *Primum negamus hoc quod ille pro certo ponit & confeſſo, verum eſſe eos omnes, quorum oblationes non reciperentur ab*

epiſco-

epiſcopo, à ſacra ſynaxi fuiſſe reiectos, & eo modo olim factam eliminationē à ſacra ſynaxi. Deinde etiam *falſum eſſe per καρποφορίας eo loco Clementem intellexiſſe* oblationes euchariſticas. *Poſtremo qui τοκογλύφος ibi nominatur, diverſus fuit à τραπεζίτῃ ſive fœneratore publico. Atqui de his hoc loco & tēpore agimus, utrū nempe qui publica auctoritate fœnus exercent, & publicam menſam ad fœnerandum promiſcue omnibus conductam habent, à ſacra communione nunc mereantur arceri, & olim hanc cenſuram eccleſiaſticam meruerint. Hæc ordine demonſtranda ſunt. Ab ultimo incipiemus. Cenſere primum ſe dicit Theologus*, appellatione τοκογλύφου non ſolos illos fœneratores μικρολόγους comprehendi, quales illo nomine intelligi dictat Salmaſius, ſed quoſcunque minorum ac maiorum gentium. *Dictat ſcilicet Salmaſius, qui eam interpretationem nominis Græci non excogitavit, nec ſomniavit, ſed ex optimis auctoribus Græcis deprompſit. At docet Theologus, qui ſine ullo fundamento, ſine ullo firmamento, ſine auctoritate, ſine ratione novas expoſitiones Græcarum vocum pro libidine comminiſcitur ipſis Græcis incognitas, & ab eorum uſu ac more maxime alienas. Audiamus doctorem, ut ubi audierimus, iudicemus an non ipſe dictator verius ſit, quod alios inſimulat, aut hariolator potius.* Si animum, *inquit*, advertas, indicat magis

nomen τοκογλύφος· rem fuiſſe fœneratoribus τοκογλύφοις cum hominibus plebeis, iiſque calligraphiæ ignaris, quibuſcum rationes iniri ſolent, non per γραφὴν, ſed per γλυφὴν, ſeu cælaturam, qualis etiam hodie adhibetur in ligno diſſecto in longitudinem, cuius partem ſervat creditor, partem debitor, qua utraque parte complicata, leguntur cælatæ notæ. Vernacule vocamus de Kerfſtock. *Egregia obſervatio ſi fundum, aut auctorem haberet, aut ſi ullam veritatis notam, vel γλυφὴν præferret. An putat ſummus vir, quia Theologus eſt, ideo ſe eſſe idoneum ſatis, cui ſine teſte, vel iniurato credatur? Quam ridiculum illud de calligraphia, quaſi neceſſe fuerit omnibus patribusfamilias calligraphiam ſcire, ut poſſent tabulas rationum conficere, & in eas referre accepta & data? Nonne hodieque mercatores plebeis & ſcribendi prorſus ignaris, nedum* καλλιγράφοις *credunt, & in libro rationum perſcribunt, quod ſibi debetur, delentque ex tabulis ubi ſolutum eſt?* Καλλιγραφία *genus ſcripturæ eſt, qua libri vulgo deſcribi ſolebant, cui reſpondet quæ apud Arabes dicitur* نسخي Niſchi. *Sed &* ثلثي Xulſi, *vocant ſcripturæ genus grandiori charactere, quo vulgo tituli librorum ſcribi ſolebant. Quo genere capitalium, ut vocantur, litterarum Græci Latinique*

nique librarii totos libros interdum perſcribere conſueverant. Hodieque multa exemplaria Græca, & *Latina ita exarata reperiuntur. Quæ ſpecies proprie* καλλογραφία *apellata eſt. Huic oppoſita* ταχυγραφία, & τὸ εἰς τάχος γράφειν, *quod non ſolũ de ſcribendi genere per notas, unde* & notarii *dicti, dicebatur, ſed etiam de omni vulgari privatorum ſcribendi more, prout eſſet cuiuſque chirographũ. Vidi inſtrumenta litterarũ publicarum compoſita à tabellione ætate Iuſtiniani, uno quaſi ductu continenter exarata, quæ vix legi poſſunt, longis* & *complicatis characteribus, quos Latinos eſſe nemo diceret, ita diverſi ſunt ab illa littera* Romana κεκαλλιγραφημένῃ, *qua libri tum ſcribebantur. Vidi etiam tabulas privati alicuius ceratas antiquiſſimas,* Romano *ſermone,* & *minutiſſimo charactere æque Romano ſcriptas, ſed in tantum differenti à* κεκαλλιγραφημένῳ, *ut Armenius potius videatur, aut Georgianus, quam Latinus. Quam multi hodie ſunt apud nos qui ita ſcribunt, ut nemo aſſequi eorum ſcripturam poſſit? Et tamen iſti rationes ſuas optime conficiunt. Nec puto aliter eſſe de Belgis. In aliquot millibus vix centum reperias qui* καλλιγραφίαν *didicerint, ac ſcite litterateq; ſcribere noverint. Quid in notis moramur? Poteſtne clariſſimus Theologus, qui alios dictare dicit non docere, facere ut ſciamus alio modo quam per dictationes, hunc fuiſſe morem apud Græcos, ut qui* καλλιγρά-

φοι non eſſent, rationes ſuas uſurarias non per γραφὴν ſed per γλυφὴν expedirent in bacillis huiuſmodi per medium ſciſſis, quos Belgæ vocant Kerfſtock, aut Kerfhout? Vel hoc ſaltem oſtendat, hodieque apud ſuos Belgas hanc eſſe conſuetudinem, ut fœneratores nomina debitorum &, ſummas ſortis pariter & uſurarum, lignis ita cælatis committant, quo fidem faciant ea ſibi deberi? In uſu ſunt hæ taleæ, quas & talias proprie inde noſtri vocant, & ex eo verbum taliare quod eſt incidere, inter emptorem & venditorem, quando ab eo emptor quotdiebus ſigillatim ſpecies ad victum neceſſarias ſumit ut panem à piſtore, vinum à copone, & carnes à lanio non repræſentato pretio, ſed in certum tempus dilato, quo convenit omnium ſolutionem ſemel fieri. Harum ἡμιτόμων ſcytalarum Græcis etiam uſus fuit, ut alibi diximus; non ad uſurarias rationes in expenſis & acceptis denotandas, ſed ad huiuſmodi merces ac ſpecies, ut nunc moris eſt. Σύμβολα vocabant. Unde illud Hermippi apud Pollucem:

Παρὰ τῶν καπήλων λήψομαι τὸ σύμβολον.

Ipſe Pollux vult ἡμίτομον fuiſſe nummũ qui huic rei inſerviret, qui ita dividebatur, ὡς ἔχειν τὸ μέρος ἑκάτερον, τόν τε πιπράσκοντα, καὶ τὸν ὠνούμενον ἐπὶ συμβόλῳ τοῦ τὸ μὲν προειληφέναι, τὸ δὲ ἐνοφείλεσθαι. Sed nihil vetat, & ſcutulas per medium diſſectas talem uſum præbuiſſe. Inde

&

& χαράκια vocāt recentiores Græci. Latine teſſeras *liceat vocare. Nemo autē neſcit æra uſuraria, ut vocat Plautus, perſcribi in tabulis & codicibus ſolita tam apud Romanos, quā apud Græcos & Iudæos non ſolū à publicis fœneratoribus ſed à privatis. Græci eas tabulas ἐφημερίδας appellabāt. Vnde ἐφημερίδες δανειςῶν apud Plutarchum in libello de non fœnori accipiendo. Romanis* Kalendaria. *De quibus in tertio volumine de Vſuris Iuſtinaneis agam pluribus. Dictaturæ porro ſuæ ius ac pomerium ulterius etiam extendit Theologus doctiſſimus, & argumentum firmandæ illi novæ expoſitioni τοῦ γλύφων adfert non ſiculneum, ſed plane eiuncidum.* Similiter, *inquit,* olim in ligno γλυφὴν adhibitam fuiſſe ad conficiendas rationes uſurarias, ſuggerere etiam videtur frequentatum trapezitis ξύλον, quod certe aliam videtur notionem habere quam τῆς τραπέζης, atque indicare lignum menſæ impoſitum magis, quam menſam ſeu bancam. *Quid dictare eſt, ſi hoc non eſt? Pœnitet me rem cum Theologo habere. Si ex alio genere ac ordine hominum eſſet, dicerem quæ illo digna ſunt qui talia ſcribit. Quis illi dixit ξύλον Græcis eſſe lignum huiuſmodi, quale imaginatus eſt? At mihi Pollux auctor eſt ξύλον Græcis appellari menſam trapezitæ lib.* III. *cap.* IX. Τὴν ἣ τράπεζαν Δημοσθένης, καὶ ξύλον ὠνόμασεν, ἐκάλουν ἣ αὐτὴν καὶ πίνακα.

Cui potius credemus de vera vocis huius ξύλον *ſignificatione apud Græcos trapeZitas? Antiquiſſimo, ut puto, & doctiſſimo Græco Rhetori, & in ſcriptis Atticorum oratorum verſatiſſimo, potius fidem arbitrabimur, quam Theologo Batavo mediocri admodum litterarum Græcarum notitia tincto. Locus ipſe Demoſthenis, quem reſpicit Pollux, non aliter debere hoc nomen accipi, clare oſtendit. Eſt in priore contra Stephanum, ubi cum menſam Paſionis trapezitæ Phormioni eius liberto locatam dixiſſet, &* μίσθωσιν τραπέζης *appellaſſet, paulo poſt pro* τραπέζῃ, ξύλον *nominavit his verbis:* ἐστὶν οὖν ὅστις ἂν τοῦ ξύλου, καὶ τοῦ χωρίου, καὶ τοῦ γραμματείου τοσαύτην ὑπέμεινε μίσθωσιν; *Præterea hanc appellationem* ξύλου *pro menſa argentarii Atticam, confirmat & quod apud eoſdem Atticos* ξύλον *de ſcamno & ſedili dicitur, nec ligneo tantum, ſed etiam lapideo. Vt* πυξίς *non tantum è buxo vas, ſed etiam aureum, & argenteum, & ex qualibet alia materia ſignificat. Apud Ariſtophanem in Comœdia Equitibus* πρῶτον ξύλον *de primo iudicum ſubſellio:*

---- Εἶτα δ᾽ ὠστιοῦνται, πῶς δοκεῖς,
Ἐλθόντες ἀλλήλοισι περὶ πρώτου ξύλου.

Id eſt, de primo ſedili, vel ſede. προεδρίαν *paulo poſt vocat:*

Εἰς τὴν προεδρίαν πᾶς ἀνὴρ ὠστίζεται,

Sedilia illa ex lapide fuiſſe non ex ligno, omnium Comi-

Comicorum teſtimoniis conſtare Scholiaſtes ibi notat. Idem Comicus in Veſpis:

---- καὶ ςένει,

Ἤν μὴ ἐπὶ τοῦ πρώτου καθίζηται ξύλου.

Heſychius ξύλον πρῶτον *interpretatur*, τὸ βάθρον ἐν τῇ προεδρείᾳ, καὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, καὶ ἐν τῷ δικαστηρίῳ. *id eſt,* ſedem primam in conſeſſu, tam in concione quā in iudicio. *Menſa veterum trapezitarum revera ſcamnū fuit, cui & inſidebant, non adſidebant, in foro poſita. Vnde* ὁ ἐπικαθήμενος τῇ τραπέζῃ, *puer vel ſervus ſive inſtitor quem menſæ ſuæ exercendæ præficiebat argentarius. Ex eo &* Banca *hodie vocatur, cum* Bancum *ſignificet ſcamnum in Europæis linguis. Addit Pollux* πίνακα *etiam vocari menſam* τραπεζιτευόντων, *ut &* ξύλον, *id eſt, ſedile.* Πίναξ *Græcis eſt* σανὶς, *id eſt, tabula. Hodieque* tabulam *vocamus omnem menſam. Trapezitica ſic etiam appellata* tabula mutuationis, *id eſt, menſa. Hæc cum iam olim ex parte docuiſſem non dictaſſem, mirum his acquieſcere non potuiſſe doctiſſimum Theologum, & ſua ſomnia veriora credidiſſe. Vidimus eius de* τοκογλύφων *notione, à dictante potius quam à docente profecta commenta. Nunc noſtram de his commentationem ſubnectamus, ut videat Lector uter noſtrum fabulas magis ex argumento, & magis veriſimiles in ſcena hac litteraria dictare ſciat.* Τοκογλύφος *eſt minutus fœneratorculus, & pri-*

vatus, quem & ὀβολοστάτην iidem Attici vocabant, id eſt, obolarium fœneratorem, *& ἡμεροδανειστὴν, quod diarium fœnus exerceret. Ciceroni in Epiſtolis ad Atticum* tocullio *dicitur, ex voce Græca diminutiva τοκύλλιον, id eſt, uſurula. Ratio nominis τοκογλύφος ab uſuris minutis, & pauxillulis quas ob exiguas pecunias creditas quaſi exculpebant, & extundebãt à miſeris ac pauperculis, quibus in diem fœnerabantur. Vt ſculptores in quacunque materia excavanda, & deradenda, & expolienda, minutias & ramenta cælo ſubinde decutiunt, ac extrahunt: ita puſilli iſti fœneratores, qui tenuiſſimis tantum mutuum dabant, τοκύλλια & τοκαρίδια, ut etiam huiuſmodi parvas uſuras nominarunt, ab his exterebrabant. Hi ſunt, ut dixi, quos & ὀβολοστάτας vocant, id eſt, obolorum fœneratores. Nam στάτης apud Atticos eſt fœnerator, & ἱστάνειν fœnerari. Et στάσιμον ἀργύριον, fœnebris pecunia. Pollux lib.* III. *cap.* IX. *hæc nomina pro ſynonymis recenſet, δανειστὴν, τοκογλύφον, τόκους ἐκλέγοντα ὀβολοστάτην. Ita enim ſcribit de daniſta: οὗτος δὲ, καὶ τοκιστὴς, τοκογλύφος, τοκίζων, τόκους ἐκλέγων, ὀβολοστάτης. Illud τόκους ἐκλέγων proprium huiuſmodi tocullionum ephemerorum, qui totos dies in foro verſabantur, ut cetariis, lanionibus, piſcatoribus, ſalſamentariis, aliiſque cocionibus pecunias fœnerarentur, quibus ad merces emendas egebant, ut eo ipſo die repeterent ſortem*

cum

cum uſura unius diei. Theophraſtus de homine vecorde, foraneis cocionibus, id eſt, ἀγοραίοις *fœnerante :* καὶ εὐθὺς τούτοις δανείζειν, καὶ τῆς δραχμῆς τόκον τρία ἡμιωβόλια τῆς ἡμέρας πράττεσθαι, καὶ ἐφοδεύειν τὰ μαγειρεῖα, τὰ ἰχθυοχωλεῖα, τὰ ταριχοπωλεῖα, καὶ τοὺς τόκους ἀπὸ τοῦ ἐμπολήματος εἰς τὴν γνάθον ἐκλέγειν. *Vbi Atticus ſcriptor* τόκους ἐκλέγειν *de iſtis tocullionibus hemerodaniſtis dixit, qui nummulos, vel obolos uſuræ nomine acceptos, intra buccas condebant. Quod fidem facit præſentarias, & unius diei uſuras pauculas exegiſſe ab his, quibus mutuum dederant. Theophraſtus hic* τόκους *vocat* τοὺς ὀβολοὺς *in uſuram exactos, ut recte Heſychius exponit,* Τόκοι, ὀβολοί. *Sic in eodem Characteriſmo* τῆς ἀπονοίας *ille philoſophus,* ἐν θαύμασι χαλκοῦς ἐκλέγειν, *dicit de eo, qui præſens a præſentibus exigeret paucula æra, pro ſpectaculo præſtigiarum quæ oſtendebantur. Sed intercedit Theologus, & videri ſibi ait Vtopicum plane hoc fœnoris genus, quod hemerodaniſticum cum eruditis appellamus, & diarium fuiſſe teſtamur. Audetque ipſe contra affirmare, nullis unquam legibus aut moribus permiſſum aut frequentatum tale fœnus. Ego potius dixerim in Vtopia natum mihi videri, qui neſciat quod etiamnunc in noſtro geritur orbe, ut interim ei ignoſcamus ignorantiam antiqui & Attici mundi. Iudæos hodieque in Italia, & Germania hoc fœnus ephemeron*

exercere pauci ſunt qui ignorent. In luſtris aleonum etiam frequenter apud nos uſurpatur. Vbi coëunt luſores qui forum aleatorium excalfaciunt, præſto ſunt qui pecunia exhauſtis, ſed perdēdo nondum laſſatis, nummos dent mutuos ea conditione, ut inde non exeant niſi ſorte & uſuris ſolutis, idque in dies ſingulos. Vulgo unus aureus in viginti pro uſura expetitur ad diem duntaxat unum. Immanitatem fœnoris ſi Theologus miretur, & increpet, paria mecum faciet. Ad annum revocata hæc uſura denis & octonis vicibus ſortem exæquat. Non eſt tamen contendenda cum annuo fœnore. Alioquin & locatio talis etiam reperietur legitima & permiſſa, quæ non ſit minus immanis, ſi ad unum diem conducta res illis conductionibus æquiparetur quæ ad annum fiunt. Vidi advocatos togulam aliquando forenſem ad aliquot horas duntaxat conduxiſſe mercede unius aurei ſolidi, hoc eſt, trium florenorum. [ut tunc erat ejus precium] *Si in annum duceretur hæc computatio, merces conductæ togæ infinito ſuperaret pretium eius, ſi quis eam vellet emere. Apud veteres porro, & Græcos, præcipue Atticos, non inuſitatum fuiſſe fœnus illud diarium, locus Theophraſti poterat Theologum docere, & inducere ne Vtopicum putaret. Verba eius hæc ſunt in Charactere* ἀπονοίας, *quæ non integra retulit Theologus:* καὶ τῆς δραχμῆς τόκον τρία ἡμιωβόλια τῆς ἡμέρας πράττεσθαι. *Has voculas* τῆς ἡμέρας *omiſit vir doctus, quas quomodo ali-*

aliquis Græce peritus poſſit aliter interpretari niſi in dies ſingulos, *non plane video. Atque ita recte expoſuit ſuæ ætatis in Græca litteratura doctiſſimus Caſaubonus, cui hac in parte magis accedo credoque, quam Theologo alicui Theologiæ peritiſſimo, ſed vix Græce ſcienti. An vellet* τῆς ἡμέρας *eſſe certa ac conſtituta die? Ita certe in etymo vocis* ἡμεροδανειστὴς, *appellatione* τῆς ἡμέρας *vult intelligi,* ἡμέραν τακτὸν, ἀγοραῖον, κρίσιμον. *Hoc pacto nulla eſſet differentia inter* δανειστὴν *&* ἡμεροδανειστήν. *Nam illa in ætate omnes fere* δανεισταὶ *præſtituta die fœnerabantur. Atqui Diogenes Laërtius in Menippi Cynici vita dicit eum fuiſſe, & vocatum eſſe* ἡμεροδανειστήν. *Si fœnus ab aliorum daniſtarum more diverſum non exercuiſſet, quid opus erat eum iſto nomine inſigniri? Sed notat eum duo genera fœnoris agitaſſe, quæ tum habita maxime inhoneſta ac probroſa, diarium & nauticum. Illud porro novum & inauditum, & Græce etiam ut puto peritioribus quam ego ſum,* ἀγοραῖον *&* κρίσιμον *diem, dici de die ſtato nundinis & iudiciis forenſibus. Certe* ἀγοραῖοι *dies appellati in quibus lege licebat agi, id eſt faſti, vel iuſti, ſed non Atticis hoc nomine dicti. Sed nec* κρίσιμος ἡμέρα *iudicum aut iudiciorum eſt, cum ad medicos pertineat, & morborum ſit iudicatrix. Menander:* κρίσιμος αὐτὴ γῆς. *Quid deinde iudicia cum nundinis habent commune, cum olim nundinæ feriæ eſſent,*

&

& lege Hortenſia demum faſtæ factæ ſint? Varro apud Servium dicit in I. Georgicω̃n, antiquos ideo nundinas feriatis diebus agere inſtituiſſe, quo facilius commercii cauſa ruſtici ad urbem commearent. *Quid porro nundinæ ad Græcos, Romanorum propriæ, mercatus nono quoque die recurrentes? Quid etiam trinundina ad uſuras? Aut diariæ illæ, aut menſtruæ, aut annuæ fuere. Quis* trinundinales uſuras *legit aut audivit? Poſtremo quis quartũ trinundinum, cum* τετραμήνῳ *ſive quadrimeſtri comparavit? Cui lectum eſt fœneratores Græcos pecuniam ſuam illa tantum anni tempeſtate apud agricolas poſuiſſe in fœnore, quæ circiter* τετράμηνος *eſt, puta à ſationis initio ad meſſem? Aliquiſne eſt ex litteratorum cohorte, qui didicerit aut docuerit trientalem eam eſſe uſuram, quæ tertio anno ex centum ducentos efficiat? Hæc omnia ex media Vtopia petita & arceſſita, in noſtrum orbem invehere, & inferre non dubitavit Hollandus Theologus, non docendo, non etiam dictando, ſed plane bariolando. Prohibeor dicere quæ dici convenirent de talibus portentis, Theologiæ pariter reverentia & amicitiæ. Ergo fœnus illud quo Theophraſtus dixit* τῆς δραχμῆς τόκον τρία ἡμιωβόλια τῆς ἡμέρας πράττεσθαι *, id eſt* , exigi ſeſquiobolum in die pro drachma una, *Theologo noſtro uſura eſt, quæ trinundino quarto ſortẽ æquat?* Quod fuit, *inquit*, intra τετράμηνον,

ſeu

ſeu quadrimeſtre, eritque hoc pacto ſub finem menſis locus τῇ ὑπερημερίᾳ, quam tangit Theophraſtus. Quæ neſcio an explicari poſſit convenienter ex alia hypotheſi. *Non Utopica tantum hæc ſunt, ut illi verba ſua reddam, ſed* ἀτοπώτατα. *Scilicet non dabitur explicari quid ſit* ὑπερημερία *apud Græcos, niſi fingamus trinundinũ quartũ, & quadrimeſtre tempus uſuræ illi præſtitutum, quæ tres ſemiobolos in drachmam poſcit, & niſi* τῆς ἡμέρας *apud Theophraſtum accipiamus de quarto trinundino, & quadrimeſtri tempore? Atqui non meminit* ὑπερημερίας *eo loco Theophraſtus, ſed in Charactere* περὶ μικρολογίας, *ubi iſtum deparcum quem* χαρακτηρίζει, *acrem eſſe dicit in exigenda* ὑπερημερίας *pœna, ſi quis debitum die ſua non ſolveret. Et hæc pœna erat tunc,* τόκος τόκου, *uſura uſuræ.* δεινὸς ἦ, *inquit,* ὑπερημερίαν πρᾶξαι, καὶ τόκον τόκου. *Nemo neſcit Græce* ὑπερήμερον *appellari qui ad diem non ſolvit, quaſi qui diem tranſcendat, quam ei creditor ſolvendo præſtituit. Quæcunque igitur debito dies ſit ſtatuta, qui non præciſe ea die ſolvit, in* ὑπερημερίαν *incidit. At* ἡμεροδανειστὴς *appellationis longe alia ratio eſt. Is enim eſt, qui* ἐφ' ἡμέρᾳ δανείζει, *id eſt, in diem unum fœneratur. Sic* ἐφήμερον *dicitur venenum, quod intra unum diem necat, non quod intra* τακτὴν ἡμέραν, *&* ἀγοραίαν, *&* κρίσιμον. *Inde & febres medi-*

ειs ἐφήμεροι *non periodicæ, & ſtatis certiſque temporibus recurrentes, ſed unius diei.* Ἡμεροδανειστὴς *denique ita dicitur,* ὁ πρὸς μίαν ἡμέραν δανείζων, *ut* ἡμεροκαλλὲς *flos vocatur,* τὸ πρὸς μίαν ἡμέραν ἀνθοῦν, *vel* ἀκμάζον. *Ita &* καθ' ἡμέραν *dicitur quod ſingulis fit diebus, non quod certa die. Inde &* ἡμερήσιον, *quod unius diei eſt. Ac de die certa & conſtituta Græci ſolent dicere,* εἰς ἡμέραν ῥητὴν, τακτὴν, εἰς ἡμέραν ὡρισμένην, εἰς ἡμέραν διωμολογημένην. *Dicunt etiam* κυρίαν ἡμέραν, τὴν ἐπί τινι τεταγμένην. *Pudet me in tam protritis & vulgariis morari. Sed quid facerem? Hoc Theologo dandum fuit, ne dictare nos iterum dictitet, non docere, cum ipſe omnium ſit dictantium non docentium ſine controverſia princeps. Sed quid dicet de loco Plauti in Epidico? De quo genere fœneratorum eum interpretabitur?*

Id adeo argentum ab daniſta apud
Thebas ſumpſit fœnore,
In dies, minaſq; argenti ſingulas, Nummis.

Quinam erant iſti qui dabant argentum fœnori pacta uſura nummorũ ſingulorum in ſingulas minas & ſingulos dies? An non ἡμεροδανεισταὶ *illi Atticorum? An aliter hæc licet exponere,* in dies, minaſque argenti ſingulas, *hoc eſt,* τῆς μνᾶς τόκον τὰ δίδραχμα τῆς ἡμέρας πράττοντας? *Nam nummi ibi ſunt* τὰ δίδραχμα,

ut

ut docuimus in libro de Modo Vſurarum. Genus illud improbiſſimum fuiſſe liquet daniſticum omnium veterum teſtimonio, propter infinitam licentiam uſurarum lege Attica permiſſam, & ex ea impunitatem fœnerantium, quæ ſub imperio etiam Romanorum in tota Græcia, & Aſia obtinuit, ut alibi diximus. Atqui hi ſunt daniſtæ privati ſive τοκογλύφοι, *in quos præcipue Patres primitivæ eccleſiæ acerbiſſimis ſolent ſermonibus, & merito quidem, invehi. Eos à trapezitis ſemper fuiſſe diſtinctos, in hoc opere docemus. Quamvis autem in trapezitarum ordine ſint etiã improbi multi, ut in aliis profeſſionibus, quia tamen perſonæ habentur publicæ, non vitio profeſſionis ſunt, ſed ſuo, ſi qui ſunt mali. Sic etiam Tabelliones & Notarii publici falſarii nonnulli reperiuntur. Et publicani multi iniqui, legum contortores, & bonorum extortores, quibus hodierni trapezitæ, ſi qui improbi exiſtunt, ſimiliores videntur. Pollux lib.* III. *cap.* IX. *in principio capitis tractat de trapezitis. Quibus ſtatim ſubiicit de pignoribus & hypothecis, de uſuris communibus & nauticis. At ſub finem eiuſdem capitis de daniſtis perſequitur, privatis nimirum ac diverſis à trapezitis qui publici. Hos &* τοκογλύφȣς, *&* τοκιςὰς, *&* τοκίζοντας, *&* ὀβολοςάτας *dictos notat. Quamvis igitur conſtaret ex conſtitutione Clementis non receptos ad communionem ſacram* τοκογλύφȣς

fuiſſe, quia eorum oblationes non reciperentur, nihil tamen hoc pertineret ad τραπεζίτας *publicos. Hos enim nominatim enuntiaſſet Clemens, non ſub* τοκογλύφων, *hoc eſt, puſillorum tocullionum nomine comprehendiſſet. Illo quippe tempore trapezitæ in toto imperio Romano immenſam vim pecuniarum tractabant, & diſpenſabant, expendebantque, cum omnium generum homines pecunias ad eorum menſam depoſitas haberent, aüt in fœnore poſitas, ipſique omnibus etiam generibus fœnerari ſoliti eſſent. In Euangelio Matthæi nominantur* τραπεζῖται, *cap.* XXV. *in parabola Talentorum:* ἔδει οὖν σε βαλεῖν τὸ ἀργύριόν μου τοῖς τραπεζίταις. *Item in Nazaræorum Euangelio, in Græcum ſermonem ex Hebræo converſo, quod fuiſſe volunt authenticum Matthæi, ex verbis Domini,* γίνεσθε δόκιμοι τραπεζῖται. *Alii igitur ſunt* τοκογλύφοι *Clementis ab iſtis trapezitis. Nunc videndum an omnes, quorum oblationes non reciperentur, ab euchariſtiæ participatione etiam arcerentur.* Καρποφορίας *eas oblationes appellat Clemens. Theologus noſter* euchariſticas oblationes *vocat. Quo ſenſu vix ſcio. An ex quibus euchariſtiæ panis fidelibus diſtribuendus ſumeretur? Non alias ſane euchariſticas oblationes inter Chriſtianos decuit appellari. Scio illum in libro cui titulum fecit Scholam ſacrificiorum, dividere ſacrificia in* εὐχαριστικὰ & ἱλαστικὰ,

ac

ac priora euchariſticarum *etiam* oblationum *nomine appellaſſe. Sed hic aliud eſt. Vt nulla enim apud Chriſtianos* ἱλαστικὰ, *ita nec* εὐχαριστικὰ *præter ipſam* εὐχαριστίαν, *quæ oblatio plane fuit* εὐχαριστικὴ, *&* *inde nomen. At hæc* καρποφορία *Clementis longe alia, nec quicquam habuit cum ſacramento euchariſtiæ commune. Notant Græci Theologi Caini oblationem, id eſt,* καρποφορίαν, *vocari* θυσίαν *in ſcriptura, & Abelis,* δῶρα. *Ita enim ſcribunt:* σημειωτέον ὅτι τὴν Κάϊν καρποφορίαν θυσίαν καλεῖ ἡ γραφὴ, τὰ δὲ τοῦ Ἀβὲλ δῶρα, δηλοῦσα τὸν τρόπον ἑκατέρου. *Quia panis in euchariſtia oblatus* τῷ τῶν δώρων *nomine patribus paſſim nuncupatur, ideo volunt, oblationem Abelis typum habere euchariſtiæ, quia Deo accepta fuit eius oblatio. Atqui in Hebræo una eademque voce exprimitur, &* καρποφορία *Caini, &* τὰ δῶρα *Abelis.* מִנחה *utrumq; dicitur, id eſt, munus vel donũ.* Καρποφορία *autẽ de qua hic loquitur Clemens, non fuit neq;* ἱλαστικὸν *ſacrificium, neque* εὐχαριστικὸν *eo modo quo Iudæi hæc diſtinguebant. Ipſe Clemens lib.* II. *cap.* XXVI. *Quæ ſacrificia, id eſt,* θυσίαι *dicebantur in veteri lege, in nova ait vocari,* εὐχὰς, δεήσεις, *&* εὐχαριστίας. *Quæ verba in primis notanda ſunt.* Αἱ τότε, *inquit,* θυσίαι, νῦν εὐχαὶ, καὶ δεήσεις, καὶ εὐχαριστίαι. *Deinde addit;* αἱ τότε ἀπαρχαὶ, καὶ δεκάται, καὶ ἀφαιρέματα, καὶ δῶρα, νῦν προσφοραὶ, αἱ

διὰ τῶν ὁσίων ἐπισκόπων προσφερομέναι κυρίῳ τῷ θεῷ, διὰ ἰησοῦ χριστοῦ τοῦ ὑπὲρ ἡμῶν ἀποθανόντος. *Non euchariſtica igitur oblatio, de qua hic agitur à Clemente, quia nec ſacrificium euchariſticum. Ex his oblationibus quas* καρποφορίας *appellat Clemens, aliæ primitiarum nomine & decimarum offerebantur à Chriſtianis illius ævi, quæ in uſum cedebant epiſcopi, & aliorum eccleſiaſticorum, ad exemplum* δεκατῶν *&* ἀπαρχῶν *quæ ex rebus Deo conſecratis in antiqua lege Levitis deſtinabantur. Hæ primitiæ decimæque in fructibus præcipue conſiſtebant, ut in frumentis, vinis, oleis, aliiſq; ſpeciebus, de quibus nos alio loco ſumus dicturi. Idem Clemens lib.* II. *cap.* XXV. *de his decimis & primitiis:* τὰ διδόμενα κατ᾽ ἐντολὴν θεοῦ τῶν δεκατῶν, καὶ τῶν ἀπαρχῶν ὡς θεοῦ ἄνθρωπος ἀναλισκέτω. *De Epiſcopo loquitur:* Εἰσφορὰς *eodem libro appellat cap.* LV. *eaſq; duorum generum facit, quæ pro ſacerdotibus inferebantur, vel offerebantur, & quæ pro indigentibus. Vbi ait, etſi Deus Chriſtianos liberaverit oneribus priſtinæ legis, omnibuſque eius cæremoniis, & ſacrificiis, tam euchariſticis nimirum quam propitiatoriis, non tamen immunes eos collationum eſſe voluiſſe, quæ ſacerdotibus debeatur, & quas egentibus elargiri oportet:* οὐ δήπου, καὶ τῶν εἰσφορῶν ὑμᾶς ἠλευθέρωσεν ὧν ὀφείλετε τοῖς ἱερεῦσι, καὶ τῶν εἰς τοὺς δεομένους εὐποιιῶν. *Has* εἰσφορὰς *quæ ad pauperum*

perum neceſſitatem ſublevandam fiebant, εὐποιΐας *vocat, quia liberæ erant, & ex uniuſcuiuſque voluntate pendebant. Ideo* ἑκούσια *vocavit eodem libro, cap.* XXV. τὰ εἰσφερόμενα, *inquit,* ἐπὶ προφάσει πενήτων ἑκούσια, καλῶς οἰκονομείτω ὀρφανοῖς, καὶ χήραις, καὶ θλιβομένοις, καὶ ξένοις ἀπορουμένοις. *At quæ ſacerdotum ipſorum cauſa tribuebantur, ex debito ea tribui dixit, & teneri omnes ad ea pendenda. Ideo dixit,* ὀφείλετε τοῖς ἱερεῦσι. *Hæc ſunt quæ* ἀπαρχῶν, *&* δεκατῶν *nomine proprie nuncupavit. Generali autem appellatione,* καρποφορίας *utramque oblationem, vel collationem indigetavit. Vnde cap.* XXXV. *lib.* II. *hic titulus eſt:* ὅτι παρακελεύονται οἱ νόμοι καρποφορεῖν ὡσαύτως καὶ τὸ εὐαγγέλιον. *Idem lib.* VII. *cap.* XXX. *conſtitutione* περὶ καρποφοριῶν, *tam decimas & primitias quæ offerebantur, vel inferebantur ſacerdotum uſibus profuturæ, quam quæ pauperibus erogandæ, complexus eſt. Illæ in frugibibus omnigenis liquidis & ſiccis, ac pecudum fœtu conſiſtebant, iſtæ in pecunia munerata, veſtitu, & omni ſuppellectile:* ἀργυρίου, *inquit,* καὶ ἱματισμοῦ, καὶ παντὸς κτήματος τῷ ὀρφανῷ, καὶ χήρᾳ. *Cyprianus in libro de opere, & eleemoſyna, de huiuſmodi oblationibus, ac vidua Euangelica quæ duo minuta in gazophylacium miſit:* Cumque univerſa quæ dantur, pupillis & viduis conferantur, dat illa quam oportebat ac-

cipere. *Ideo ſtipem menſtrua die Chriſtiani conferebant Tertulliani ætate, ut ipſe in Apologetico notat cap. de diſciplina Chriſtianorum:* Modicam unuſquiſque ſtipem menſtrua die, vel cum velit, & ſi modo velit, & ſi modo poſſit, apponit. Nam nemo compellitur, ſed ſponte confert. *Hinc intelligas cur ἑκούσια vocet Clemens illam συνεισφορὰν quæ pro pauperibus inferebatur in arcam eccleſiæ. Quem ad uſum conferrent illam ſtipem voluntariam, mox explicat idem auctor.* Diſpenſatur, *inquit*, egenis alendis, humandiſque, & puellis, ac pupillis re ac parentibus deſtitutis. *Hoc eſt, ut ait Clemens*, πένησιν, ὀρφανοῖς, καὶ χήραις. *Atque hæ ſunt etiam καρποφορίαι de quibus hac conſtitutione agit Clemens, ubi tractat quorum recipi debeant oblationes, & quorum non debeant. Quæ erant menſtruæ ſtipis collationes ad pauperes, & viduas alendas, non* eucharíſticæ oblationes, *ut hic eas reddere placuit doctiſſimo Theologo. In cõcilio Ilerdenſi vulgo* oblatio euchariſtica *dicitur de cæna Domini, vel euchariſtia. Idem Clemens καρποφορίας illas explicat eodem capite:* οἱ γὰρ, *inquit*, παρὰ τῶν τοιούτων δεχόμενοι, καὶ τρέφοντες χήρας, καὶ ὀρφανοὺς, ὑπεύθυνοι τῷ κριτηρίῳ τοῦ θεοῦ γενήσονται. *Capite præcedenti κυριακὰς συνεισφορὰς eaſdem appellat*, dominicas collationes. *At cap.* VII. ἐλεημοσύνας *nuncupat*,

cupat, ubi reſpondet illis, qui dicebant ſi non reciperentur ab omnibus, etiam improbis, huiuſmodi collationes, & καρποφορίαι, ſive ἐλεημοσύναι, non ſe habituros quod viduis ſuppeditarent, vel unde alerent egentes in populo. Ἀλλ' ἐὰν λέγητε ὅτι οἱ διδόντες τὰς ἐλεημοσύνας οὗτοί εἰσιν, *id eſt, omnes ſuperiori capite enumerati, quorum vetat Clemens* τὰς καρποφορίας *recipi,* πόθεν αἱ χῆραι ὑπηρετηθήσονται παρ' ἡμῶν, καὶ οἱ ἐνδεεῖς τοῦ λαοῦ διατραφήσονται. *Quas hic* ἐλεημοσύνας *appellat, capite quod præceſſit,* καρποφορίας *vocavit, alibi* εἰσφορὰς, *&* συνεισφορὰς, *&* ἑκούσια τοῖς πένησι χορηγούμενα, *Tertullianus* menſtruam ſtipem. Προσφορὰς *etiam Græci vocarunt, ut Latini paſſim* oblationes. *Qui, &* munera, *&* dona *paſſim nominant. De quibus alius erit dicendi locus. Nunc quoniam de voce conſtat, quæ ſint* καρποφορίαι *apud Clementem, diſcutiendum an quod inde colligit Theologus verum ſit, ita olim fieri ſolitam à ſacra ſynaxi eliminationem, non recipiendo eorum oblationes ſive collationes qui eliminati eſſent. Hoc quidem certum, neminis qui pœnitentiam ageret, aut qui extorris ab eccleſia penitus factus eſſet, hoc eſt, non communicantis, receptas unquam fuiſſe oblationes. Idque docetur can.* XXVIII. *concilii Eliberini, De oblationibus eorum qui non communicant:* Epiſcopos placuit ab eo qui non communicat munera

æccipere non debere. *Hinc certum genus communionis veteri eccleſiæ cognitum fuit, quæ communio ſine oblatione dicebatur,* κοινωνία χωρὶς προσφορᾶς. *Cuius frequens mentio eſt in concilio Ancyrano, & in Nicæno. Quidam ex antiquis interpretibus Latinis eam* προσφορὰν *intellexere de illa oblatione, qua quis offert ipſe. Ita vetus interpres in can.* v. *Ancyrano:* ſi compleverint pœnitentiam triennii temporis, ſine oblatione ſuſcipiantur ad communionem, id eſt, ut ipſi non offerant. *Atque ita in epiſtola Felicis canon Nicænus de lapſis exponitur:* ſeptem annis ſubiaceant inter pœnitentes manibus ſacerdotum: duobus autem annis oblationes modis omnibus non ſinantur offerre. *In Græco eſt,* δύο ἔτη χωρὶς προσφορᾶς κοινωνήσουσι τῷ λαῷ τῶν προσευχῶν. *Dionyſius Exiguus ſimpliciter vertit,* ſine oblatione populo in oratione cõmunicent. *Sed illã* προσφορὰν *non de ea oblatione, qua quis ipſe offert, ſed de illa qua participatur ſacramento eucharistiæ ipſi patres Ancyrani accipiendã indicant, qui quod in multis canonibus dixere* χωρὶς προσφορᾶς κοινωνεῖν, *aliis locis, ubi de perfecta communione loquuntur cui coniunctũ erat oblationis ſacramentum, id eſt, eucharistiæ, hoc vocant,* τῆς προσφορᾶς ἐφάπτεσθαι, *&* τῆς προσφορᾶς τυγχάνειν. *Quod reddit Exiguus,* oblationis ſacramenta contingere, & oblatio-

lationis ſacramenta percipere. *Certum tamen eſt pœnitentibus, cum plene reconciliarentur, utriuſque ius προσφορᾶς redditum fuiſſe, tã oblationis ſacramentorum, quam alterius qua quis offerre quod vellet eccleſiæ permittebatur. Vtraq; oblatio ita ſignificatur alia lectione in concilio Ilerdenſi:* Poſtea moderatione & clementia epiſcopi fidelibus in oblatione, & euchariſtia communicent. *Sed de his fuſe in noſtra de pœnitentia publica commentatione. At illud extra dubium eſt, ut ab excommunicatis nulla recipiebatur oblatio, ita multorum oblationem fuiſſe receptam, qui non eſſent à communione ſegregati. Idque Epiphanius manifeſte oſtendit, de diſciplina & inſtituis eccleſiæ catholicæ. Vbi enim expoſuit crimina ac peccata propter quæ ἀποκηρύξεις ab eccleſia fiebant: ut ἀποκηρύττει nimirum eccleſia,* πορνείαν, καὶ μοιχείαν, καὶ ἀσέλγειαν, καὶ εἰδωλολατρείαν, καὶ φόνον, *&c. ſubiungit poſt enumerationẽ omnium eorum peccatorum quibus excommunio pro pœna irrogabatur,* Προσφορὰς λαμβάνει παρὰ τῶν οὐκ ἀδικούντων, οὐδὲ παρανομούντων, ἀλλὰ δικαίως βιούντων. Oblationes non ab his recipit qui iniuſte agunt, & contra leges committunt, ſed à iuſte vivẽtibus. *Si omnes omnino ἀδικοῦντας, & παρανομοῦντας illo tempore eccleſia à fidelium communione ſeparaſſet, non iſtud addidiſſet, ſed dixiſſet ſimpliciter, neque ab*

iſtis qui excommunicantur ab eccleſia oblationes recipi ſolere. Ideo igitur hæc diſtinxit, quia multa erant παρανομίας & ἀδικίας genera, quibus excommunicatio non infligebatur. Et diſerte Gregorius Nyſſenus in epiſtola canonica ad Latoium ex omnibus delictis quæ ex πλεονεξία, hoc eſt, avaritia quaſi ex fonte ſuo oriuntur, tria ſola hæc eccleſiaſticæ cenſuræ & ἀκοινωνησία fuiſſe obnoxia docet furtũ, ſacrilegiũ, & ſepulchrorum violationem. At de uſura ac fœnore nominatim ſcribit, nullã ei vitio pœnam eccleſiaſticam fuiſſe ab antiquis patribus prædeceſſoribus ſuis conſtitutam. Quod & ipſa conciliorum tam generalium quam localium decreta teſtantur, quibus uſura ſolis clericis interdicta legitur, non etiam laicis. Cæterum cuius rei nulla erat prohibitio ſancita ſynodorum canonibus, nec ulla ei pœna excommunicationis decerni ſolebat. Ex illa ipſa Clementis conſtitutione conſtat, non omnes quorum non vult recipi oblationes, ab eccleſiæ congregatione fuiſſe ſubmotos. Primo loco inter eos nominat caupones. An uſquam legimus hoc ſolo nomine, quod aliquis cauponam exerceret, ab eccleſia fuiſſe eiectum? In eo cenſu reponit, & qui innocentibus carceres replerent, qui & acerbius ſervos ſuos tractarent, advocatos qui malis cauſis patrocinarentur, milites calumniatores, publicanos iniuſtos, carnifices publica auctoritate hoc munere fungentes, iudices iniquos, bonorum ſuorum

rum dilapidatores, ebrioſos, & alios quoſdam, quos omnino compertum eſt excommunicationis pœnam propter illa vitia non ſubiiſſe, quorum tamen non recipiebantur oblationes. In his ergo erant & τοκογλύφοι, non trapezitæ ut iam dixi, ſed privati tocullïones, qui ex fœnerandi licentia & impunitate, quæ tum obtinebat, in pauperes ſumma vi graſſabantur uſurarum immani & infinito modo, cui ſola libido moderabatur. Nec hos tunc conſtat ab oblationis ſacramentis abalienatos fuiſſe, ſed ſolo iure oblationis inferendæ privatos. Idque adeo liquidum lucidumque, ut ab eodem Clemente doceamur viduas eccleſiæ, id eſt, diaconiſſas nonnullas, quas τὰς ἀδοχήρας vocat, non contentas eccleſiaſticis ſtipendiis, ſolitas acerbiſſimis uſuris pecuniam ſuam fœnori dare. Καὶ ἐπὶ πικροῖς, *inquit,* τόκοις δανείζουσι, καὶ μόνου τοῦ μαμωνᾶ φροντίζουσιν, οὐκ ἀρκούμεναι τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ὀψωνίοις. *Cyprianus in libro de lapſis queritur, ut alio loco diximus, plurimos epiſcopos ſuæ ætatis,* eſurientibus in eccleſia fratribus non ſubvenire, negotiationis quæſtuoſæ nundinas aucupari, uſuris multiplicantibus fœnus augere. *Ex Nicæni etiam concilii definitione* XVII. *liquet, epiſcopos, alioſque eccleſiaſtici ordinis viros, illo ævo paſſim uſuras more cæterorũ hominum accepiſſe, quia nimirũ id antea in vetitis non eſſet ut clerici fœnerarentur. Quod tum demum*

pro-

probibitum eſt illa ſanctione Nicæna. At de laicis multo minus, quibus & hoc impunitum remiſit ſynodus, ſolis clericis interdictum. Ille ipſe Clemens, ſi modo eius canones Apoſtolici, ſolis epiſcopis, presbyteris & diaconis fœnore interdicit. Mirari hic aliquis poſſet quæ ratio fuerit eccleſiaſticæ illius diſciplinæ, ut multorum non reciperentur oblationes, qui tamen ipſi oblationis, id eſt, eucbariſtiæ ſacramenta perciperent. Hæc fuiſſe, ſi quid veri auguror, videtur. Nolebant ex iniuſto & improbo quæſtu pauperes eccleſiæ ali, & eccleſiaſticis ſtipendia dari. Illæ enim oblationes ſive collationes privatorũ, erogabantur in alimoniam pauperum, & ὀψώνια eccleſiaſticorum. Præterea quidquid utroque nomine conferebatur à fidelibus, non tantum in frugibus, ut erant primitiæ & decimæ, ſed etiam in ære, ut in menſtrua ſtipe, peculiari benedictione conſecrari ſolebat, in altari prius poſitum & Deo oblatum. Vnde oblationes *Latinis hæ collationes appellatæ, atque etiam* ſacrificia, *ut Cypriano in libro de opere & eleemoſyna, bis verbis:* Locuples ac dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ corbanam omnino non reſpicis, quæ in Dominicum ſine ſacrificio venis, quæ partem de ſacrificio quod pauper obtulit ſumis. *Subiungit exemplum viduæ Euangelicæ, mittentis in gazophylacium duo minuta, quæ ſola in cenſu habebat.*

bat. Græci quoque καρποφορίας, προσφορὰς & θυσίας appellant huiuſmodi oblationes, quæ εἰσφοραὶ revera, vel συνεισφοραὶ fuerunt, ut etiam eas appellant. Conſtat ex Auguſtino huiuſmodi oblationes in altari conſecrari ſolitas & offerri. Ex canone XXXVII. *Codicis eccleſiæ Africanæ, liquet primitias in altari offerri ſolitas,* & ſuam habuiſſe propriam benedictionem. *Non igitur pium aut ſanctum viſum eſt patribus antiquis, Deo rite conſecrari & benedici quæ ex iniuſto lucro quæſita offerrentur. Hunc morem etiam moriſque rationem ex Iudæis hauſerunt, apud quos non licitum fuit eleemoſynas accipi de pecuniis permutatis ex arce publicanorum, neque ex loculis quæſtorum ærariorum, ut videre eſt in libro legum Forenſium. Si domo tamen ſumerent illos nummos tam quæſtor quam publicanus, recipiebantur. Atqui nec quæſtor nec publicani ἀποσωάγωγοι erant. Sic in ea conſtitutione Clementis non recipitur oblatio ab iniuſto publicano.* Ἄδικον *vocat* τελώνην, *qui exigit* παρὰ τὸ διατεταγμένον. *Ergo recepta tum fuiſſet oblatio ab eo publicano, qui non plus exegiſſet, quam quod ipſi conſtitutū erat. Quidni ergo, & à trapezita vel fœneratore publico, qui præſcriptas ſibi lege, vel à magiſtratu uſuras ſolas exegiſſet? At privatorū τοκογλύφων oblationes, qui fœnus improbum exercebant, non erat iuſtum recipi, quamvis ipſi non eſſent ἀσύνακτοι,*

pro-

propter eas quas diximus rationes. Nec carnificum ſolebant admitti προσφοραὶ, *qui tamen propter munus quo fungebantur publice, non excludebantur communione, neque nunc ſubmoventur, quia pretiũ illud ſanguinis eſſet quod offerebant. Et diſerte* τῶν δημίων οὐ δεκτὰς *eſſe* καρποφορίας *Clemens in illa eadem conſtitutione dicit. Quod & à Iudæis traductum. Hinc ſacerdotes Iudæorum, cum Iudas nummos quibus dominum ſuum vendiderat ex pœnitentia in templo abieciſſet, non licere eos in corbanam mitti dixerunt, quia pretium eſſet ſanguinis.* Οὐκ ἔξεστι βαλεῖν αὐτὰ εἰς τὸν κορβανᾶν, ἐπεὶ τιμὴ αἵματός ἐστι. *Ex his apparet quam falſo gloriatus ſit doctiſſimus Theologus de conſtitutione illa Clementis, quam mihi oppoſuit, affirmanti non fuiſſe in primitiva eccleſia excommunicationis pœna cohercitos fœneratores. Locus Epiphanii quã in hoc opere attulimus, iuſtiorem ei gloriandi cauſam obtuliſſet ac dicendi,* Audiat à me velim Epiphanii verba. *Nam in illis ubi de diſciplina ac ritibus eccleſiæ catholicæ agit, inter delicta quæ* ἀποκήρυξιν *ab eccleſia merebantur, recenſet &* τοκοληψίαν. *Sed ne hoc quidem quidquam faciet pro cauſa Theologi. Nam omnis* τοκοληψία *in ea eccleſia communione ſubmovebatur, etiam privatorum, & laicorum fidelium, etiam minima, non trapezitica tantum. Nolit autem Theologus ob modicas uſuras, quas*

ex

ex ſe licitas eſſe vult, quemquam ab eccleſiæ congregatione ſeparari. Deinde *non ſolum qui uſuram accipiunt, abdicatione ab eccleſia punitos ſcribit ibi* Epiphanius, *ſed etiam omnes negotiatores,* πραγματευτὰς. *Quo loco, ut gratum faciam mercatoribus, non libet cum interpretibus, infimos eos omnium exponere qui ibi ab eccleſiæ communione prohibentur, ſed è contrario minoris peccati reos, & minus noxios. Sic enim placet & melius eſt interpretari* ὑποδεεστέρους *in his verbis:* Τοὺς πραγματευτὰς οὐκ ἀποδέχεται ἡ ἐκκλησία, ἀλλὰ ὑποδεεστέρους πάντων ἡγεῖται. Negotiatores non admittit quidem eccleſia, *ad communionem ſcilicet*, ſed tamen minus noxios quam reliquos qui excommunicantur, eos cenſet. *Hic mihi eſſe nunc videtur illius loci ſenſus. Non enim veriſimile eſt* ὑποδεεστέρους, *id eſt, inferiores omnium qui communione privantur mercatores ibi ſtatui, cum & homicidii, & adulterii, & maioris abollæ criminum reos ibi enumeret inter* ἀποκηρυκτέους. *Certe in illa eccleſia quæ fœneratores non admittebat, nec admiſſos etiam fuiſſe negotiatores hinc clarum eſt.* Ergo *& quæ negotiationem dignã communione fidelium exiſtimavit, nec fœnerationem repudiavit.* Gratis *dicta ſibi videri ait* Theologus, *quia ea dictavi, non docui, de* immani diſcrimine inter uſuras Romano iure veteri XII. Tabularũ ſancitas unciarias, & ſemiunciarias,

ſ& inter uſuras Atticis legibus & moribus frequentatas. *Dixi enim, ac verę etiam dixi, ubi deſiit minima ac modeſtiſſima uſura Attica, inde incepiſſe graviſſimam Romanorum. Si aliquid haberet aut afferret doctus Theologus, quo hoc meum dictatum falſum eſſe probaret, faterer ipſum non dictare ſed docere. Sed mihi per quam mirum videtur hominem totius antiquitatis Græcæ Latinæq; minus quam mediocriter gnarũ, velle de his quæ neſcit, tã audacter pronuntiare. Quid ſi eũ convinco vel proprio ipſius teſtimonio veriſſima eſſe, quæ dictavi de illo diſcrimine uſurarum Atticarum, & Romanarum? Duodecium Tabulæ vetabant quemquam unciario fœnore amplius fœnus exercere.* Unciarium fœnus *interpretatur Theologus, quod parit octo & tertiam unam in centum, quo ſors æquatur poſt duódecim annos. Eam intelligit uſuram quam δωδέκατον τόκον Græci appellarent, quæ duodecimam partem ſortis pendit. Hæc aliquanto minor eſt centeſima quæ ἐπογδόῳ τόκῳ Græcorum fere reſpondet, qua pars octava ſortis præſtatur annua. Hæc igitur maxima fuerit uſura Romanorum, qua ampliorẽ exigi duodecim Tabularum lege prohibetur. Oſtendat igitur, ſi poteſt, Theologus, apud Atticos levius aliquod fœnus iſto Romano maximo fuiſſe frequentatum. At docere illum poſſum, & iam docui in libro de Modo uſurarum, longe ampliores multos uſuræ modos Athenis celebratos, nullos minores.*

Ex

Ex Xenophonte oſtendi communem uſuram & ſollennem eo tempore viguiſſe, quem ἔφεκτον τόκον *vocat, id eſt, quæ ſextam partem ſortis exigit, altero tanto ampliorem illa Romana unciaria Theologi, quæ duodecimam tantum expetebat. In menſtruis uſuris* τόκος ἐπὶ δραχμῇ *minima uſura fuit apud Atticos & reliquos Græcos. Hæc eſt centeſima Romanorum. At reperiuntur apud auctores Atticos uſitatæ uſuræ plurimæ modi amplioris,* τόκος ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς, ἐπὶ δυσὶ δραχμαῖς, ἐπὶ τρισὶ δραχμαῖς, *uſuræ nimirum ſeſquicenteſimæ, binæ centeſimæ, ternæ centeſimæ. Atque hæ ternæ centeſimæ trapezitis Græcis vulgo uſitatæ, ut ibi docuimus. Vſque ad quaternas centeſimas quoſdam etiam in Græcia proceſſiſſe, poſſum illi planum facere & cum anatociſmo quidem, id eſt, renovatione uſurarum ſingulis annis facienda, & ad ſortem adplicanda, & in ſequentem annum uſuram uſuræ paritura. Veriſſimum ergo dictatum noſtrum, quo docuimus, ubi deſiit Atticorum uſura minimi modi, inde maximum modum legitimæ Romanis uſuræ incepiſſe. Quid huic doctrinæ Theologus opponat, quam pro dictatione habet nullo fundamento nixa, iam videamus.* Reclamat, *inquit*, Iuris duodecim Tabularum hiſtoria, quæ leges teſtatur non domi natas, ſed Athenis & ex media Græcia arceſſitas fuiſſe, adeoque Atticas revera fuiſſe non Romanas, leges XII. Tabulis in-

inſcriptas. *Si non plus in Theologia ſua ſaperet vir inſignis, quam in iſtis intelligit, pro Theologo fruſtra ſe nobis venditaret. Primum falſum eſt totas duodecim Tabulas è Græcia petitas fuiſſe. Decem tantum inde acceptas omnes auctores volunt. Duæ poſterius adiectæ ſunt ad ſupplementum legum quæ deerant, à Faliſcis arceſſitæ, ut quibuſdam placet. Quid vetat in iſtis duabus poſterioribus legem de fœnore unciario locum habuiſſe? Sed nec opus. Fallitur enim ſi quis putat, priores decem tabulas ex ſolis legibus quas è Græcia mutuas ſumpſere, fuiſſe compoſitas. Partim ex antiquis indigenis qua conſuetudinibus qua legibus fuere concinnatæ, partim ex Græcis & extraneis. Idque diſerte tradit Dionyſius Halicarnaſſeus lib.* x. *ſub finem. Ita enim de Decemviris legum illarũ conſcriptoribus ſcribit:* Οὗτοι οἱ δέκα ἄνδρες συγγράψαντες νόμους ἔκ τε τῶν ἑλληνικῶν νόμων, καὶ τῶν παρὰ σφίσιν αὐτοῖς ἀγράφων ἐθισμῶν προέθηκαν ἐν δώδεκα δέλτοις τῷ βουλομένῳ σκοπεῖν. Hi decẽviri, leges cum ex Græcorũ iure, tum ex patriis cõſuetudinibus cõpilatas, in decẽ tabulis propoſuere cuilibet eas cognoſcere, & examinare volẽti. *Nec ſolũ patrias antiquas conſuetudines non ſcriptas in his legibus receperunt, ſed etiã alias leges à Regibus latas, cum Græcis una in decẽ illas Tabulas digeſſerunt. Vt illã de patria poteſtate in liberos à Romulo ſtatutã Decemviri in quartam Tabulam retulerunt, ut idem*

aſſerit

*aſſerit Dionyſius lib.*11.*Romanarum Antiquitatũ. Ergo & legem de unciario fœnore ex illis* ἐθισμοῖς ἀγράφοις, *in duodecim Tabulas cum Græcis legibus relatam à Decemviris liquet. Nam fœnoris modus ex conſuetudine potius, quam ex ulla certa aut ſcripta lege fere ſemper ubique conſtitutus eſt. Aſconius Pædianus, gravis auctor, notat in divinationem, quadruplatores fuiſſe dictos,* eorum reorum accuſatores, qui convicti quadrupli damnari ſoleant, ut aleę, aut pecuniæ gravioribus uſuris occupatę quam pro conſuetudine. *Hanc conſuetudinem Vlpianus in Demoſthenis Timocrateam* ἰδιωτικὸν νόμον *vocat, ut alibi obſervavimus, & explicavimus. Vix certe poteſt lege ulla definiri modus uſurarum, qui pro temporis ratione ex pecuniæ abundantia aut raritate varius eſſe debet. Hoc plane eſſet quod in fabula habetur, Lunæ veſtem velle aptare, quæ cum ſubinde habitus mutet, nullum illi indumentum commodũ aut concinnum fieri poteſt. Ita ſingulis fere ſeptimanis apud menſam ſive Bancam mercatorum uſura variat. At Decemviri modum eum determinarunt illa lege ad unciariam penſionem, qua ampliorẽ noluerunt exigi. An putat Theologus antequam leges Athenis peterent Decemviri, nullam uſuræ exigendæ pro mutuo Romanos legem aut conſuetudinem habuiſſe? Videatur idem Dionyſius in vita Tullii. Ex ea apparebit fœneratores corpora debitorum qui non eſſent*

ſolvendo, eodem prorſus modo quo Athenis ius erat ante Solonis legem, in ſervitutem abducere ſibi addicta. Ille ut gratiam inopis plebeculæ captaret, promiſerat ſe legem laturum, μηδένα δανείζειν ἐπὶ σώμασιν ἐλευθέροις. *Non tamen promiſſum impleſſe ex eo conſtat, quod lex Duodecim Tabularum id licere non ſolum permiſit, ſed etiam corpus debitoris inter creditores quibus addictum lege foret, ſecari ac partiri. Vel hinc etiam intelligi poteſt, non omnes leges Duodecim Tabularum Græcas fuiſſe & Atticas, ſed multas ex conſuetudine, & iure non ſcripto antiquo Romanorum, compoſitas atque inibi conſcriptas. Nam lex Solonis vetabat,* ἐπὶ σώμασι δανείζειν, *quod lex duodecim Tabularum permittebat, ex conſuetudine quæ ſub Regibus viguit. Iſtam ipſam de unciario fœnore legem duodecim Tabularum, quis niſi omnis Atticæ, & Romanæ antiquitatis imperitus, Atticam & Græcam fuiſſe poſſit credere? Quid tam contrarium quam ius Atticum Romano in hoc uſurario negotio? aut tam diverſum quam lex Attica Solonis à Romana duodecim Tabularum? Statuerat Solon,* τὸ ἀργύριον στάσιμον εἶναι, ἐφ᾽ ὁπόσον ἂν βούληται ὁ δανείζων. Pecuniam fœnori licere dari in quantas liberet uſuras fœneranti. *Decemviri vero lege illa in duodecim Tabulas relata ſanxerunt, nequis amplius unciario fœnus poſſet exercere. Hac lege Duodecim limitantur uſuræ, illa Attica ſine modo in infinitum*

tum liberæ relictæ ſunt. Apparet & tales in uſu fuiſſe Romanis ante legem Duodecim Tabularum. Eat nunc Theologus ac neget, quod affirmavimus, verum eſſe de diſcrimine uſurarum Atticarum, & antiquarum Romanarum. Dictatorem porro merum ac miſerū eum eſſe, non doctorem, in explicando illo unciario ſœnore iam faciam, ut omnes intelligant. Duæ ſunt criticorum, & iuris doctorum ſententiæ ſuper unciarii ſœnoris ſignificatione. Quidam, iique numero pauciores, eamdem cum centeſima uſuram unciariā eſſe cenſuerunt. Plerique illud eſſe fœnus volunt, ac recte quidē volunt, quod unum in centum denarios annuum exigit uſuræ nomine. Theologo potior viſa eſt ſententia, quæ ſtatuit unciario ſœnore duodecim in centum annua præſtari. Si quærerem ab illo cur veriorem hanc opinionem putarit, nihil haberet quod diceret, niſi dictitaret, vel dictaret, hoc ſibi placere. Neutri tamen potuit ex his opinionibus aſſenſum præbere, ſed tutius tandē cenſuit in media quadam ſentētia ſe poſſe quieſcere In ea ergo quieſcat quantum & quamdiu voluerit, nunquam eius quietem turbavero. Sed quænam illa eſt interpretatio, quæ tam ſecuros tutoſque ſomnos ſuo auctori ac dictatori poteſt præbere? Malle ſe dicit exiſtimare unciarium fœnus dictum & dicendum eſſe, quod parit octo & tertiam unam in centum. Sciat hoc quod mavult non eſſe melius, & ex duabus primo quidem deteriorē elegiſſe opinionem: de-

inde ea relicta deterrimam ipſum excogitaſſe, de qua nulli docto in mentem venire poterat. Certum eſt, nec ullus eruditorum id ignorat, more Romano in ratione uſurarum ineunda, ſortẽ quamcunque ad centenarium numerũ ſolitam fuiſſe referri, & uſurarum appellationes omnes à partibus aſſis ac denominationibus ſumi. Ex omnibus uſurarum generibus ac modis, & appellationibus, poteſtne ullam proferre doctus Theologiæ doctor in qua uſura quæ nominatur, numerum integrum non efficiat ſed fractum, ut hic unciaria eius uſura reddit annuos in centum octo denarios cum tertia parte? Percurrantur ac percenſeantur omnes uſuræ ab aſſis partibus nuncupatæ, & ad centenarium numerum revocatæ à minima ad maximam, integros numeros reddere cunctæ reperientur, nulla in partes fractum. Vult Theologus unciarium fœnus ex eo dici, quod duodecimam partem ſortis pariat pro uſura. Cur igitur ad centenarium numerum hoc revocat? Nunquam poterit hoc pacto numerus rotundus conſtare, quin per minutias fractionum moleſtiſſimas ac moroſiſſimas ſit extricandus. Hac numerandi uſuras annuas ratione Græci uſi ſunt, ſed eas ad minam, hoc eſt, centenarium denarium non deduxerunt. Sic ἐπίτριτον, ἐπιτέταρτον, ἐπίπεμπτον, ἐφεκτὸν τόκον dixere. Ita ergo & δωδέκατον dixiſſent, quale fœnus unciarium fuiſſe placet Theologo. Mirum eſt quod idem me etiam illius ſen-

ſententiæ ſuæ adſtipulatorem per vim & ingratiis eſſe cogat, qui nunquam de eo cogitavi. Quid quod, *inquit*, ipſe Salmaſius pro nobis pronuntiare videtur? *Deinde locum ipſum citat ubi mendoſe excuderunt operæ*, duodecimam ſortis partem, *pro* duodecimam aſſis partem. *Si ſcire velit quomodo pro ipſo pronuntiem, adeat me ad caput* VII. *libri de Modo uſurarum, & tunc ipſe renunciabit mihi an cũ eo ſentiã.* Ridicula *autem utraque expoſitio unciarii fœnoris, tam illa quæ duodecim in centum ſortis pro uſura adſignat, quam quæ octo cum tertia parte. Sed hæc poſterior falſiſſima, & ſibilis omnino excipienda.* Non *alia igitur reſponſione explodi debet, quia nec ratione, nec auctoritate ulla firmatur. Dormientis quippe ſomnium magis videri debet, quã vigilantis dictatum. Priore illa interpretatione unciarium fœnus idem videretur cum centeſima uſura. Cur non igitur hæc unciarii fœnoris denominatio ad media uſque Latinitatis tempora duravit, ſed centeſima paſſim apud auctores, etiam iuris, reperitur pro unciaria? Cur binas, ternas, quaternas, & quinas centeſimas dixerunt, cum poſſent appellatione ſumpta ab aſſis partibus, id eſt, unciis multiplicatis has pariter multiplicatas centeſimas nuncupare? Si unciaria uſura centeſima eſt, certe ſextans uſura erit bina centeſima, quadrantarium fœnus idem cum terna centeſima. Et trientes ſimiliter uſuræ eadem omnino cum quaternis centeſimis.*

Quarum quaternarum centeſimarum cum immanis modus Ciceroni viſus fuerit, dum regebat Aſiam pro Conſule, & ad centeſimas ſingulas uſuram eam in provincia ſua reduxerit, an veriſimile eſt trientes uſuras eaſdem fuiſſe cum quaternis centeſimis, ubi trientarium fœnus ut valde modicum Alexander Mameæ ſui temporis fœneratoribus indixit, ut pauperes ſublevarentur? Atqui Theologus trientale fœnus ex centum tertio quoque anno ducentos efficere ſcribit in Præfatione. Plane iuxta illam ſuam hariolationem, an ſomniationem, de unciario fœnore octo & tertiam in centum reddente, hoc eſt, duodecimam ſortis partem. Ita ergo & triens quod quattuor uncias habet, eſtque tertia pars aſſis, tertiam quoque partem ſortis uſuræ nomine ſolvet. Sic trientale hoc fœnus idem eſſet cum ἐπιτρίτῳ τόκῳ *Græcorum. Quod nemo unquam ſanus opinatus eſt. Scaliger quidem* τόκον ἐπίτριτον *Græcorum cum trientibus uſuris Romanorum confudit. Sed* ἐπίτριτον *explicat eodem modo quo Romani ſuum trientarium, de fœnore quattuor in ſortem centenariam annua reddente. At hic Theologus* ἐπίτριτον *ita exponit, ut expoſui de tertia parte ſortis in uſuram annua exigenda, ſed omnino male hanc uſuram* ἐπιτρίτην *eamdem facit cum trientali Romano fœnore. Procedamus ergo in hac uſurarum interpretatione ex his dictatis Theologicis, ut conſtet an aliquid in illis ſani ſubſit. Vncia-*

ciarium fœnus eſt, quod duodecimam ſortis partem pro uſura in annum dependit, quia duodecim ſunt unciæ in aſſe, ad quem aſſem quæcunque ſors revocari debet. Quod eſt falſiſſimum. Sed ponamus ita eſſe. Ergo ſextantes uſuræ ſextam partem ſortis ponent, quadrantes quartam, trientes tertiam, quincunces, non quintam ſed in duodecim quinque. Immane hoc fœnus, quod tamen modeſtū Perſius appellat, quincunce modeſto. *Sed longe immanius ſemiſſium. Quas tamen maxime communes & valde modeſtas fuiſſe uſuras apud Romanos, ex Iuriſconſultorum libris planum eſt. At iuxta Theologi ſententiam ſemiſſes illas dici oporteret, hoc eſt, ſexunciarias vel ſexunces uſuras, quæ quinquaginta in centum poſtulant. Pergamus. Bes octo ſunt unciæ. Ergo beſſes, vel beſſales uſuræ erunt iuxta dictata Theologica, quæ octo in duodecim accipiunt, hoc eſt, in centum ſexaginta ferme ac ſeptem, plus minus. Atqui ſub hac uſura fœnerari mercatoribus & trapezitis permiſit Iuſtinianus. Tranſmiſſis quæ in medio poſitæ ſunt dodrantibus ac dextantibus uſuris ex eadem ratione interpretandis, deunces certe tantum valebunt, quantum vndecim unciariæ uſuræ. Nam in deunce undecim unciæ. Iuxta Theologi ergo dictationem deunces uſuræ dicentur, quæ undecim in duodecim ſortis exigunt. At ſecundum eos qui unciarium fœnus pro centeſima definiunt, undenæ erunt centeſimæ. Quæ enim ratio dictat,*

ut

ut unciarium fœnus duodecim in centum poſcat, & deunciarium, hoc eſt, undecim unciarum uſura, undecim tantum pro centum flagitet? Ex utraque hac opinione Scaligerana, & Theologica iſta abſurditatum prodigia neceſſe eſt conſequi, ſi porportionem ſequi in his appellationibus velimus. Sed nec ipſe noſter Theologus ſibi conſtat. In Præfatione trientale fœnus *interpretatur quod tertio quoque anno de centum facit trecentos nummos. In ipſa Inſtitutione cap.* IV. *ubi ex Molinæo exponit Iuſtinianeas uſuras, trientem eſſe dicit tertiam partem centeſimæ, quæ in viginti quinque annis æquat ſortem, & parit annua quattuor in centum. Sed forſitan putaverit* trientalem *uſuram aliam eſſe à triente. Pudet me ac piget talium, præcipue cum à Theologis proficiſcuntur qui alios dictare dictitant non docere, cum ipſi ne dictent quidem, ſed augurentur, hariolentur, ac ſomnient. Veriſſima autem ſunt ſive dictaverimus illa, ſive docuerimus, quæ diximus de unciarii fœnoris ratione. Nec mirum videri cuiquam debet, tam leve fœnus lege duodecim tabularum fœneratoribus fuiſſe ſtatutum. Præſertim ſi quis cogitet ſtatum Romanæ Reipublicæ qualis illo in tempore fuit. Nec navigationibus nec mercaturis erant dediti. Solis inopibus ſoli divites fœnerabantur. Ex cenſu cum equites, tum ſenatores fiebant. Ergo hi omnium ditiores qui honoratiores. At tales decebat pro dignitate qua*

erant

erant conſpicui, nullas omnino accipere uſuras à pauperibus quibus mutuũ dabant. Nam & ſub imperatoribus aliquando legimus interdictum ſenatoribus ne uſuram acciperent. Iuſtinianus minimas illis permiſit, ut & cæteris illuſtribus, id eſt, trientes. Præterea tribuni plebis, qui hoc ſibi negotii ex officio credebant dari, ut tutarentur inopes adverſus divitum & patriciorum potentiam, leges fœnebres rogabant, quibus quam minimus uſuræ modus ſtatueretur, quo plebeculæ gratificarentur. Et hac ratione ipſi etiam Decemviri *ne quis unciario amplius* Romæ *fœnus exerceret ſanxerunt, & eam legem in duodecim* Tabulas *retulerunt. Poſtea iidem* Tribuni *plebis ad ſemunciarium fœnus verſuram redegere, ut* Tacitus *ait.* Poſtremo *eodem auctore, quoniam inferius quo deſcenderet non habebat uſura, ab iiſdem penitus retita. Quod tamen vel nec omnino fuit, nam alii auctores diſſentiunt, vel non diu tenuit.* Tacitus *porro qui* ad ſemunciam *Romæ aliquando verſuram redactam ſcripſit, cur non* ad ſemiſſes *dixit?* Nam *eo tempore* ſemiſſes uſuræ *frequentiſſimæ, & auctoribus illius ævi ſæpe nominatæ, & in antiquis ſaxis crebra earum mentio. Si unciaria uſura centeſima eſt, ut cenſuit Scaliger cum Adriano, quorum ſententiam potiorem habere libet* Theologo, *iuxta eam expoſitionem ſemunciarium ſœnus idem ſuerit cum ſemiſſali.* Cur *igitur* ſemuncias *pro ſemiſſibus dixit* Tacitus*? At-*

que

qui ſemis *aſſis eſt dimidia pars, id eſt, ſex unciæ, ac* ſemuncia *unciæ dimidium. Quis igitur credat exceptis Theologis uſuram à ſex unciis denominatam eamdem eſſe cum ea, cui nomen dedit dimidiata uncia? Vnciariarũ uſurarum mentio etiã in iure Digeſtorum, ut docuimus, non dictavimus in libro de Modo uſurarum. Eamque eſſe uſuram quam Seneca* haud milleſimam *vocat, ibidem oſtendimus. Cæterum unciaria, ſicut eam interpretari Theologo dictatori non doctori libet, plane eſt beſſalis Iuſtinianea, quæ duodecimam ſortis uſuræ vice exigit.* Δικέρατος τόκος *illo ævo dicebatur hæc uſura, qua binæ ſiliquæ in aureum ſolidum expetebantur. Aureus autem illius ſæculi viginti quattuor ſiliquas habuit. Sic duæ ſiliquæ duodecimam partem efficiunt aurei, quod eſt fœnus unciarium Theologicum, & beſſalis uſura Iuſtiniani. Ad centenarium numerum ſi revocetur id fœnus, in centum ſiliquas dabit octonas cum tertia parte ſiliquæ. Ita ſemunciarium fœnus eadem analogia ex Theologi expoſitione trientali fœnori Iuſtiniani prorſus reſpondet, quæ uſura eſt illorum temporum* μονοκέρατος, *quæ in centum reddit quattuor ſiliquas cum ſexta ſiliquæ parte. Hæc ſi intellexiſſet Theologus quo loco explicat Iuſtinianeas uſuras, cap.* IV. *Theologicæ Inſtitutionis, non tanquam diverſa uſurarum genera poſuiſſet, quæ plane ſunt eadem. Iuſtinianus vetuit ne illuſtres perſonæ fœnori dantes, ultra tertiam par-*

tem

tem centeſimæ in quocunque contractu quacunque ex cauſa ſtipularentur. Idem Imperator nemini licere voluit agricolis fœneranti, ultra vigeſimam quartam partem ſortis annuam ab his uſuræ nomine accipere. Diſcat nunc ex me Theologus hanc uſuram, quæ vigeſimam quartam partem ſortis in uſuram poſtulat, eamdem tunc omnino fuiſſe cum ea, quæ tertiam centeſimæ uſuræ partem exigit. Nam vigeſima quarta pars ſolidi ſiliqua eſt. Siliquæ unius uſura in ſolidum aureum ſortis petita μονοκέρατον τόκον facit, vel tertiam partem centeſimæ illius quæ tunc temporis obtinuit, id eſt, trientem uſuram. Si dicat hoc ſe ab aliis ita didiciſſe, reponam & cum aliis eum ſic erraviſſe. Poſſem & illum docere, ſi patientem vel doctrinæ, vel dictationi meæ aurem accommodaret, in extremo poſt Iuſtinianum Conſtantinopolitano Imperio, centeſimam non aliam fuiſſe uſitatam & cognitam, quam quæ in ſeptuaginta duo numiſmata ſortis, duodecim uſuræ nomine flagitat, revocata ad auri libram ſortis ſumma non ad argenti, ut olim. Nam mina centum drachmas habuit, cum libra auri illo tempore ſeptuaginta ſolidos aureos haberet. Ergo tunc temporis centeſima dicebatur, cum duodecim aurei in libram auri, id eſt, in ſeptuaginta duos ſolidos, in uſuram dabantur, qui eſt ἔφεκτος τόκος antiquæ Græciæ, cum centeſima antiqua paria ferme faciat cum ἐπογδόῳ τόκῳ. Sed de his plura in libro

bro de uſuris Iuſtinianeis. Adeo autem nihil amiculo ſuo cōdonare ac parcere voluit ſummus Theologus, ut vel minimas ~~*maximas*~~ *criminationum cauſas captaverit ac converrerit ex libro meo, per quas me pice nigriorem redderet. In his & leviſſimas culpas, ſi modo & culpæ ſunt, pro graviſſimis delictis mihi non dubitavit impingere.* Hinc non ferendum eſſe auri Batavæ, nedum Chriſtianæ, affirmat, *quod ego non veritus ſim pronuntiare,* me malle fœneratorem dici quam ſutorem vel ſartorem. *Iam de hoc me purgare & cauſas reddere meæ optionis conatus ſum in iſto libro de trapeZitico fœnore, cum ab amicis accepiſſem omni ſermone & occaſione hoc iactare Theologum, & eo nomine grandem mihi concitare conari invidiam. Nunc cum etiam ſcripto id conſignarit & conteſtatus ſit, & non ferendum hoc eſſe Batavis, nedum Chriſtianis, arguat, nonnulla adiiciam quibus invidiam illius dicti & crimen amoliar. Cur Batavos hic à Chriſtianis diſtinguat, non video. Si Batavi Chriſtiani ſunt, quod Batavus ferre non poterit, nec poterit Chriſtianus. Si de Batavis non Chriſtianis intelligit, haud ſcio cur eorum auris ferre non poſſit, quod dixi me malle eſſe fœneratorem quam ſutorem vel ſartorem. Sed iſtam Batavam aurem quæ non eſt Chriſtiana omittamus, vel ad Chriſtianam auſim provocare nihil me dixiſſe quod non Chriſtianus vel optimus, optime poſſit audire ac ferre. Vnuſ-*

quiſ-

quiſque iudicio ſuo fruitur. Cur meum mihi liberum non relinquit amicus Theologus, cum ei ſui libertatem, atque etiam licentiam, non adimam? Per me licebit, totos dies in ſutrino, parva ſella lignea tripede deſideat, atramento ſutorio infectus manus, linum picatum ac ſetatū per commiſſuras pellium iungendarū tranſmittens, & putre ac vetus corium ſubinde dentibus admordens. Non illi invideo hanc fortunam, nec hanc optionem. Permittat ipſe interim mihi ut malim, ſi ad alterutrum eligendum condemnatus eſſem, redemptam à magiſtratu publicam menſam per famulos meos, ut hodierni faciunt trapezitæ, & antiqui fecerunt, exercere. Dum miniſtri vicem meam id muneris agitarent, ego interea ſtuderem, & libris vacarē, qua legendo, qua ſcribendo. Nihil autē me miſerius ac miſerabilius foret, ſi cogerer ſutorias operas ac fortunas totum diem quā longus eſt, propriis manibus fungi. Nō igitur ἐν δοιῇ μοι θυμὸς, *quin potius eligam trapeziticam, ſi eligendi neceſſitas huius vel illius muneris mihi imponatur. Sed infames trapezitæ, & excommunicati. De hoc nunc quærimus an iure ſint. Non iure eſſe, mecum fatebitur Theologus, ubi ex me didicerit, mancipes eos eſſe ac redemptores publicæ menſæ, germanoſque publicanos. Quis non autem mallet ſe dici & eſſe publicanum, quam ſutorem aut cerdonem? Si antiquitatis iudicio ſtemus, fœneratores honeſtiores*

(??????) *ſuto-*

ſutoribus vel quia ditiores. Equites Romani plurimi non ſolum publicani fuere, ſed etiam fœneratores. Non legi ullum ex illis unquam ſutrinæ aut pelliſuinæ artes didiciſſe aut factitaſſe. In ſordida arte iſti verſantur. At fœneratoria, inquiet, odioſa. Sane & publicanorum etiam ac portitorum quæſtus in odia hominum incurrit, ut ait Cicero. Omnis tamen hodie Chriſtianitas, ne de Batavis aliquid dicã, honeſtiores habet publicanos quam ſutores. Aeq; odioſi tamen hi, quam fœneratores. Certe hominum improborum, ſæpe ipſi non improbi, odia in ſe concitant. Publicanus etiam iuſtus & æquus, nihilque præter conſtitutum ex præcepto Iohannis accipiens, inviſus eſt illis à quibus portorium exigit, quia inviti fere omnes ſolvunt, quod debent. Malos eſſe qui non ſponte ſolvunt tributa & vectigalia quis dubitet, quamvis ſæpe mali non ſint qui ea nomine magiſtratus exigunt? Malis nominibus, cum appellantur ut reddant alienum, quis miretur odioſum eſſe fœneratorem? Mitto fœneratorem. Quam multos videmus gratuita amici pecunia utentes, ubi illa ad diem reddenda eſt, pro inimico habere qui ſuum repetat? Quod ſi ad conſcientiam nos vocet Theologus, an putabit furunculum ſartorem trapezita illo eſſe meliorẽ, qui fœnus non exercet amplius licito, & ſibi à magiſtratu aut lege permiſſo? Inter mille veſtifices vix unum reperias quin furtificas forfices exerceat. Quod nemo

neſcit

neſcit, niſi qui nunquam eorum opera uſus eſt. Probum trapezitam ſi cum probo ſartore componamus, ſic me tamen mallem eſſe trapezitam quam ſartorem, nedum præoptem furunculi ſartoris munus ac ſortem quam δοκίμου τραπεζίτου. Si labor optione, & iudicio fallor, hoc meum eſſe erratum fateor, ſed quod non tantum nec tale videri debeat, ut ferendum non ſit auri Batavæ, multo minus Chriſtianæ, ut mihi Theologus vir & amicus, ſed paulo iniquior amico, vitio vertit. At leviculum iſtud peccatum putandum præ illo magis infando, quod ab eodem mihi intenditur atque impingitur Theologo. Hoc reſtabat ſcilicet, ut etiam fermentum hic papiſticum mihi obiiceretur ab illo, qui ſcire potuit ac debuit, me longiſſime abeſſe ab iſta ζύμῃ. Abſit ut ſolis epiſcopis & presbyteris relictam velim τὴν ἄνωθεν σοφίαν qua πνευματικοὶ ſint atque audiant, cum interim ſufficere cenſeam laicis fidelibus & Chriſtianorum vulgo, ut ſapiant ad normam τῆς ψυχικῆς σοφίας, quam Apoſtolus Iacobus iudicat ἐπίγειον eſſe ac δαιμονιώδη. Quæ de epiſcopis & presbyteris dixi, eadem dicta volui, & intellecta de paſtoribus & miniſtris eccleſiarum reformatarum, quos ad exemplar & normam primorum eccleſiæ Chriſtianæ epiſcoporum ac presbyterorũ, quales ab Apoſtolis inſtituti ſunt, properare oportere exiſtimo. Omnes quidem qui Chriſto ſacramentũ dixerunt, eniti debere

certum eſt ad illam perfectionem, ad quam Chriſtus omnes invitat. Sed ſi quis eſt, qui id conari debeat inter Chriſtianos, cũ omnes teneantur, illi maxime hoc debent, qui gregem ipſum regendum ducendumque acceperunt, ut aliis exemplo præeant. Qui docent cæteros, magis ſciunt, aut ſcire neceſſe habent, quid facto ſit opus. At ſervus qui voluntatem domini ſui ſcit, nec eam facit, gravioribus plagis dignus eſt. Omnis tamen conatus humanus ſine divino auxilio vanus eſt. Atque ut aliquis ſpiritalis evadat, ſpiritu Dei indiget. Non omnibus conceditur, & quibus datur, non omnes illum eadem menſura & modo accipiunt, quia nec datur omnibus idem. Scio maiora chariſmata interdum data fuiſſe laicis de grege, quam ipſis paſtoribus, & epiſcopis. Nunquam igitur id cogitavi, relictam ſolis epiſcopis & presbyteris τὴν ἄνωθεν σοφίαν, *ut ſcilicet ſoli ſint* πνευματικοὶ *& ſpiritales, ne quid dicam nunc de illa* ἄνωθεν σοφίᾳ *quomodo in verbis Apoſtoli accipi debeat. Sed certum eſt maiorem in his virtutem requiri, quamvis perſæpe minorem præſtent. Nam multi ſibimetipſis deſunt, ſeque deſerunt, nec tantum conantur quantum debent, dum non intelligunt, quale chariſma à Deo acceperint. Nonne ſufficere Theologo debuit, quod poſt omnia concluſi,* ad altiores virtutes adſpirare non poſſe omnes qui ad eas invitari videntur? *Inficietur ſi poſſit hoc eſſe verum.*

Res

Res ipſa teſtis eſt non omnes poſſe. Subiunxi ſtatim, debere quidem id fieri, verum non quærimus iam quid fieri debeat, ſed quid poſſit. *An non hoc ſatis illi viſum eſt ad quæſtionem quam tum tractabamus, utrum uſuræ eſſent inter Chriſtianos tolerãdæ an tollendæ? Quod hic ſic à nobis dictum eſt, prudentius eſſe autumat, quam quod ſupra dixeramus,* ut non omnes poſſunt ad illã normam ſpiritalem ſapientes eſſe, ita nec fortaſſe debere. *Atqui ſi fatetur non omnes poſſe, fateatur etiam oportet non omnes debere. Si ſingulos ſpectes, unuſquiſque pro virili eo adſpirare debet, quia omnes Deus eo vocavit. Si generaliter omnes, & Dei ſuper his determinationẽ conſideres, ſane nec omnes electi, nec qui ſunt, omnes ad eamdem formam & normam. Rationem ibi reddidi ex Arabico proverbio,* ſi omnes homines ſapientes eſſent, mundus in ſolitudinem ac vaſtitatem redigeretur. *Hoc clarius explanandum eſt. Prima & maxima virtus ſpiritalium continentia tum fuit. Qui primis eccleſiæ ſæculis ad eam ſpiritalem ſapientiam contendebant, hanc primam affectabant. Ut enim mundo bona fide renuntiarent, quæ plurima ex mundo impedimenta poſt ſe trahunt, noſque invitos ſæculo alligant, ante omnia nuptias vitabant. Inde uxor, inde liberi, inde eorum tuendorum & alendorum cura, inde rei familiaris augendæ ſtudium. Inde cætera*

vincula ſæcularia, & tentationes. Atqui eorum temporum ea conditio fuit cum quotidie pro nomine Chriſti nomen eius profeſſis extrema quæque eſſent patienda, ut habentibus uxores, liberos, bona, omnia ea nihili facienda eſſent, quicunque vellent Chriſto digni diſcipuli videri. Vix tamen poterat fieri quin multos eæ res retinerent, aut pigriores ſaltem redderent ad currendum quo Deus vocabat. Tutius ergo & expeditius faciliuſque tum viſum fuit plurimis, non illas ſarcinas arceſſere, quam abiicere ſemel impoſitas. Multi etiam tamen ſub hoc onere deprehenſi non eo tardabantur, nec tentabantur. Verum hoc difficilius, & niſi Deus adſit, pæne impoſſibile. Si qui non poſſent evolare liberi ex illis vinclis, quos bonorum ſcilicet cura retinebat, & vitæ cupido devinctos attinebat, hi ψυχικοὶ interdum appellati. Hi ſunt qui animam ſuam ſervare ſtudebant. Πνευματικοὶ è contrario partim illi, qui omnibus quæ habebant relictis, vitam ponere pro Chriſto ſatagebant, partim illi, qui vel priuſquã tuba perſequutionũ inſonuiſſet, de nihil habendo providebant, ne ad agonem pro Chriſto ſuſtinendum impedirentur. Iſti ad hoc ſuum propoſitum continentiam ſibi maxime neceſſariam ducebant, nuptiarumque vitationem. In ea certè nihil per ſe perfectionis ponendũ liquet, ſed tendẽtibus ad perfectionẽ per eam maxime liberũ & facilẽ curſum dari certum eſt. Et hæc quidem donum Dei eſt.

Mul-

Multi tamen in ea aſſequenda, vel à Deo impetranda non tantum ex ſe præſtant, quantum deberent. Sed nec omnes poſſunt ad eam adſpirare. Immo ſi Dei generalem diſpenſationem ſpectes, ac determinationem, nec debent, eo reſpectu quod Deus aliter ſtatuit, nec omnia uni chariſmata dedit, nec omnibus eadem. Si omnes continentes eſſent, quia omnes eſſe poſſent, & omnes eſſe deberent, quæ de adventu ſecundo Chriſti ad iudicandos vivos & mortuos venturi illo tempore quod Deus præfinivit, quæque de ſæculorum συντελείᾳ determinavit, exitu & effectu carerent, nec ex voluntate Dei, quam vel ante omnia ſæcula ſibi propoſuit, implerentur. Vnius quippe ſæculi res eſſet, populus continentium. Et iam pridem defeciſſet genus humanum, ſi cunctis hominibus idem propoſitum continentiæ obſervatum fuiſſet, & ſi illud exequi potuiſſent ac debuiſſent. Atque hæc ratio eſt quam ibi attuli, quare non poſſent omnes ad eamdem perfectionem ſapientiæ ſpiritalis eniti, nec fortaſſe deberent. *Nunc tollo illud* fortaſſe, *& abſolutè dico,* non debere, *ea contēplatione quam eo loco ſignavi, & hic explicavi. Alia ratione omnes debent ad perfecta niti & contendere, quia ſinguli tenentur in quantum poſſunt, officium ſuum facere. Nam quo vocantur atque invitantur omnes, unuſquiſque eo pro ſe contendere neceſſe habet, ut vires cuique valent. Nihil*

quippe cauſæ dari poteſt, cur alius debeat, alius non debeat, quod rectum & perfectum eſt, capeſſere. Quod attinet ad diſcrimen ψυχικῶν & πνευματικῶν, ut Apoſtolo intellecti ſunt, ſi id neſcivit, ſcire debuit Theologus, niſi ſciens cavillari voluit, alios eſſe πνευματικοὺς & ψυχικοὺς, quorum meminit Paulus in Epiſtol. 1. ad Corinthios cap. 11. ab illis ſpiritalibus & animalibus, de quibus ibi intelleximus. Malo tamen ipſum imprudentem erraſſe, quam prudentem mihi impoſuiſſe quod erraverim. Et profecto immaniter peccaſſem, ſi in tota illa ſpiritalium & animaliū diſtinctione, de qua in priore de Vſuris volumine diſputavi, pſychicos illos deſignaſſem de quibus Paulus ibi loquutus eſt. Pſychicus ille Pauli, non percipit quæ ſunt ſpiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter iudicatur. *Egone de tali pſychico intelligerem qui ſpiritum Dei non habet, neque poteſt quæ ſpiritus ſunt cognoſcere, ut vel Chriſti nomine ac profeſſione dignum illum cenſeam? Procul abſit à me, ut hoc argumēto, quod mihi Theologus falſo improperat, hominibus pſychicis ſuggerere propoſuerim ſapientiæ ſpiritalis, quæ neminem Chriſtianū non decet, faſtidium. Lecta illa Pauli epiſtola quilibet, vel non Theologus, poteſt advertere ψυχικοὺς ab eo appellari qui Chriſti fidem repudiabant, & averſabantur euangelii prædicationem. Hæc*

eſt

eſt ψυχικὴ σοφία, quam & ἐπίγειον καὶ δαιμονιώδη vocat Apoſtolus Iacobus, ſapientia nempe humana, quæ ſtultitia eſt apud Deum, & cui è contrario ſpiritus Dei ſtultitia eſt. Prædicari à ſe, aliiſque Apoſtolis dicit ibi Paulus, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus eum, quæ Deus nempe revelaverat per ſpiritum ſuum. *Hæc ſapientia Dei eſt quæ Chriſtum revelavit, quam ubique in eadem epiſtola opponit ſapientiæ humanæ quæ eum non cognovit.* Quam ſapientiam, *inquit*, nemo principum huius ſæculi cognovit, ſi enim cognoviſſent, nunquam dominum gloriæ, *vel* maieſtatis, *ut in alia verſione legitur,* crucifixiſſent, *id eſt, Chriſtum. Ergo pſychici illi ſunt qui dominum gloriæ non cognoverunt, & quibus ſapientia illa divina, & ſpiritus Dei, per quem Chriſtus revelatus fuit, ſtultitia erat. Contra πνευματικοὶ, quibus Deus Chriſtum ſuum per ſpiritum revelaverat, quique eius fidem eodem ſpiritu faciente receperant. Chriſtiani igitur πνευματικοὶ Paulo in ea epiſtola, ψυχικοὶ autem à Chriſto averſi & doctrinam eius averſati, quia ſtultitiam eam putabant. Omnes autem fideles eo tempore, qui Chriſto nomen dederant, eiuſdem ferme generis & ordinis erant quantum ad inſtitutum ac propoſitum vitæ, morumq; diſciplinam, non ſolum quantum ad*

fidei doctrinam. Nam ut ex actis Apoſtolorum conſtat cap. IV. nemo egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum, dividebantur autem ſingulis prout cuique opus erat. *Omnes igitur tunc temporis fideles vocati* πνευματικοὶ, *quia per ſpiritum Dei Chriſtum filium eius cognoverant, atque euangelii doctrinam receperant: omnes infideles & increduli* ψυχικοί. *Omnium illorum idem votum, eadem vita, mortem pro Chriſto in quem crediderant, non refugere nec metuere, & iuxta eius præcepta ad Apoſtolicam normam vivere optare. Poſtea inter ipſos Chriſtianos ubi totus orbis, aut magna ex parte, Chriſti religionem amplexus eſt, differentia fieri cœpta eſt* πνευματικῶν, *&* ψυχικῶν. *Vtrique Chriſtiani, utrique fideles, tam* ψυχικοὶ *quam* πνευματικοὶ, *ſed iſti* κατ᾽ ἐξοχὴν *ita appellati, qui ad antiquũ, & Apoſtolicũ Chriſtianorum vivendi morẽ, ſuam vitam componere ſtudebant, qui ſæculo renuntiabant, omnibuſque ſæcularibus negotiis, artibus ac profeſſionibus, ut ſe totos Chriſto manciparent, & eius legi iugiter meditandæ ſine ullo impedimento vacarent. Duplicis huius* πολιτείας *in eccleſia Chriſti non ſolum veteres patres, ſed etiam Philo in libro* περὶ ἀγωγῆς χριστιανῶν, *meminerat,* τῶν πνευ-

ματι-

μαλικῶν, καὶ τῶν ψυχικῶν. *Hi* κοσμικοὶ *etiam dicti, qui in ſæculo verſabantur, negotiabantur, mercabantur, fœnerabantur, artes quæſtuarias exercebant, & alia munia civilia obibant, ut latius diximus in ipſo opere.* Ψυχικῶν *appellatio eo ſenſu, quo hic eam dici notamus, & in libro de Vſuris uſurpavimus, apud antiquos patres paſſim ſumitur. Montaniſtæ, & alii quidam hæredici orthodoxos hoc nomine notabant, quod novas Paracleti prophetias recuſarent, qui ieiunia crebra indicebat, & ſecundas nuptias damnabat. De qua re videndus Tertullianus iam Montaniſta in libro de Ieiuniis adverſus Pſychicos, quorum* exteriores & interiores botulos *increpat quaſi libidinis & gulæ intemperantium, quod non abſtinerent à ſecundis nuptiis, & non tam frequenter ieiunarent, & ſemijejunia in diebus ſtationum pro plenis ieiuniis obſervarent. Clemens Alexandrinus Stromateo* IV. *de Baſilidianis:* Μὴ τοίνυν ψυχικοὺς ἐν ὀνείδους μέρει λεγόντων ἡμᾶς οἱ προειρημένοι, ἀλλὰ καὶ οἱ Φρύγες, ἤδη γὰρ καὶ οὗτοι τοὺς τῇ νέᾳ προφητείᾳ μὴ προσέχοντας, ψυχικοὺς καλοῦσιν. *Hi ſunt ex hæreſi Montani, Docet autem eo loco Clemens* ψυχικοῦ *appellationem non ſemper vitio dari, & interdum ab Apoſtolo hoc nomine deſignari qui gratiæ participes fiunt.* Τοὺς Φιλιππησίους, *inquit,* συμμετόχους τῆς χάριτος καλῶν πῶς αὐτοὺς συμψύχους, καὶ ψυχικοὺς καλεῖ. *At in epiſtola* I. *ad Corinthios.*

cap.

cap. 11. ψυχικοὶ *Apoſtolo dicuntur, gratiæ ſpiritalis illius exſortes, quæ Chriſtum credentibus inſinuat, & Chriſtianos facit. Et recte Græci interpretantur eo loco* ψυχικοὺς *de illis, qui omnia dant humanæ ratiocinationi, nihilque per fidem recipiunt, ſed ea tantum probanda cenſent, quæ ex naturæ principiis demonſtrata fuerint, & à ſenſibus ac mente rationali percepta. Hinc* τὸ ψυχικὸν *definiebant Gnoſtici, quod* αὐτεξούσιον *eſt,* καὶ ἐπιτηδειότητα ἔχει πρὸς πίστιν, καὶ ἀφθαρσίαν, καὶ πρὸς ἀπιστίαν, ἢ φθοράν. *Ita* ψυχικὸς *huiuſmodi, ſi gratia* πνευματικῇ *donetur, induere poteſt* ἀφθαρσίαν, *& fieri ſpiritalis, id eſt, Chriſtianus. Si relinquatur in ſenſu ſuo, & ſapientia humanæ rationis, qua putat ſe abundare, non* πνευματικὸς *evadit, ſed in interitum carnis datur, ut* κατὰ σάρκα ζῶν, *& mere carnalis & animalis. Chryſoſtomus explicat* ψυχικὸν, *qui nondum illuminatus eſt fide per ſpiritum, ſed ſolo rationis, & naturalis, ſive humanæ prudentiæ lumine imbutus eſt. Et dictus eſt* ψυχικὸς ἀπὸ τῆς ψυχῆς λογικῆς, *quæ hominis propria eſt, ut* animalis, *ab hac ipſa anima rationali, non à bruta atque irrationali, qualis eſt beſtiarum, quæ animalia, id eſt,* ζῶα, *inde dicuntur. Bene Beza Eraſmum reprehendit, qui* ψυχικοὺς *in iſto Pauli loco accipiebat de his, qui affectus humanos ſequebantur. Nam & cæcitatem mentis argui ab Apoſtolo in his* ψυχικοῖς, *non contumaciam*

duntaxat affectuum, quam & ipſi ſapientes κόσμικοὶ damnabant. Mentis cæcitatem Beza intellexit eam, quæ ad ſpiritalia cæcutit, eaque pro ſtultitia ducit, utpote nondum inſpirata nec illuminata τῇ ἄνωθεν σοφίᾳ, quam & hic θεοῦ σοφίαν Apoſtolus vocat, quæ Chriſtum revelavit. Cui opponit, τὴν ἀνθρωπίνην σοφίαν, quæ σύνεσις ἀνθρωπίνη Chryſoſtomo dicitur. Sic πνεῦμα τοῦ θεοῦ quo divina apprehenduntur, τῷ πνεύματι τῶν ἀνθρώπων, & πνεύματι τοῦ κόσμου, quo humana percipiuntur, τὰ τοῦ ἀνθρώπου, oppoſuit. Vocat & νοῦν χριστοῦ ſpiritum illum Dei qua Chriſtum novimus & habemus. Huius mentis carentiam ψυχικοῖς exprobrat Paulus, cum abundarent ea quæ homini, quatenus uſum rationis habet, competit. Inepte & inſcite Exercitator ſacer de ea mentis cæcitate ψυχικῶν intelligit, quam Hebræi נפש הבהמית, quæ eſt anima brutorum, vel animalium, quam ſentientem vocant, vel ſenſitivam philoſophi. Quia animales ad verbũ reddidit ψυχικοὺς vetus interpres, ab anima nempe rationali ita appellatos, putavit ſic ab eo dici animales, ut animalia vocantur Latinis quæ τὰ ζῶα Græcis ſunt, & Hebræis בהמות, id eſt, beſtiæ, ab anima ſentiente quam habent ſolam. Inde argumentum Critici. Ψυχικοὶ Apoſtoli, ſunt animales interpreti vulgari, animalia ſunt ἄλογα ζῶα Latinis. Ergo ψυχικοὶ Paulo de his qui habent animam κτηνώδη

acci-

accipiendi ſunt, id eſt, נפש הבהמית. *Sic* vermina, & vermes *ad* XII. *Lucæ ex* παρανομασίᾳ *pro iiſdem interpretatur,* & verminari & vermiculare. *Et in loco Ioſephi* ἄγγελον *qui nuncius eſt, angelum facit, eumque in bubonem transformat. Hiccine eſt qui cæteros pro Grammaticis habet, & per conttumeliam ita cognominat? Merito ſane, & quaſi ſuo iure, cum ſit ipſe nimirum maximus philoſophus, inſignis iuriſconſultus, ſummus ſummorum theologus. Quidni pari modo medicus etiam eximius habeatur? Quantus autem ſit præterea grammaticus, & præcipue in Helleniſtica lingua, nos alibi docebimus. Animalia porro bruta patiuntur privationem & cæcitatem mentis rationalis, quia rationis ſunt expertia. Homo rationalis, &* ψυχικὸς, *id eſt, animæ particeps rationalis, patitur privationem & cæcitatem mentis ſpiritalis. Hæc eſt quæ à Dei ſpiritu deſcendit, & qua mens rationalis illuminatur, per quem Chriſtus cognoſcitur. Qui eum non noverunt nec receperunt,* ψυχικοὶ *ſunt,* τῇ ἄνωθεν σοφίᾳ *carentes, ſola* ἀνθρωπίνῃ σοφίᾳ, *quæ &* ἔξω σοφία *dicitur, præditi. Atque etiam iidem* σαρκικοὶ *Paulo dicti, &* κατὰ σάρκα ζῶντες, *ac proinde* ἀπὸ τῶν πνευματικῶν *diſtincti, qui per ſpiritum Chriſti doctrina initiati fuerant. Hæc eſt* ἐπαγγελία πνεύματος, *quam* διὰ τῆς πίστεως *fideles accipiunt, ut eſt in epiſtola ad Galatas. Eodem tamen Apo-*

ſtolo

ſtolo teſte inter eos qui Chriſti fide imbuti erant, etiam ψυχικοὶ *habebantur, &* σαρκικοὶ, *pro ratione profectus quam in doctrina ac fide Chriſti fecerant. Nam ſequenti cap.* III. *primæ ad Corinthios,* πνευματικοὺς *appellat, quaſi* τελείους, *qui ſummam in ea doctrina attigerant, iiſque opponit* νηπίους, *quibus ut infantibus lac immulgendum fuit, non ſolidior cibus dandus. Ita enim ſcribit,* καὶ ἐγὼ ἀδελφοὶ οὐκ ἠδυνήθην λαλῆσαι ὑμῖν ὡς πνευματικοῖς, ἀλλ᾽ ὡς σαρκικοῖς, ὡς νηπίοις ἐν χριστῷ. *Vbi vocat* νηπίους ἐν χριστῷ, τοὺς ἀτελεῖς ἐν διδαχῇ, καὶ πίστει χριστοῦ. *Arabs etiam interpres recte exponit,* ἐν χριστῷ, *in fide Chriſti. Ideo dicit, ſe lac illis propinaſſe tanquam tenerioribus, non cibum miniſtraſſe. Quidam ita diſtinguebant illum locum, ac legebant:* ὡς νηπίους ἐν χριστῷ γάλα ὑμᾶς ἐπότισα, καὶ οὐ βρῶμα. *Atque ita apud Theophylactum. Verum de his alibi.* Σαρκικοὺς *ea de cauſa Corinthios præcipue increpat, quod eſſent inter eos qui dicerent, ſe eſſe Pauli, alii autem de Apollo gloriabantur. Inde contentiones ac diſcidia inter eos rixæque oriebātur. Quæ* πνευματικοῖς *ac* τελείοις *non cōveniebant, ſed carnalibus & infantibus in Chriſti fide. At inter* νηπίους ἐν χριστῷ, *ac* τελείους, *id eſt,* πνευματικοὺς, *etiam gradus alii ſunt maioris aut minoris profectus ac veluti perfectionis. Vt inter virilem ætatem, quæ perfecta eſt, atq; infantilem, pueritia intercedit, adoleſcentia, & iuventas. Ita*

ergo

ergo Chriſtiana ſapientia ſuos habet numeros quaſi perfectionis, prout quis minus aut magis in ea profecit. Hinc primitiva eccleſia duas πολιτείας *agnovit Chriſtianæ vitæ quæ laudarentur,* τῶν πνευματικῶν, *&* τῶν ψυχικῶν. *Illi in contemplativa vita quæ tota ſe mancipat Deo verſabantur, iſti in activa, & negotioſa. De quibus quæcunque dici poſſent, ac deberent, diximus in ipſo opere. Hi* ψυχικοὶ *non ſunt exſortes & expertes divinæ gratiæ, & ſpiritus Chriſti, ut ex loco Clementis, quem ſupra citavimus, apparet, etſi non ad æquale ſpecimen contendant perfectionis ut* πνευματικοί. *At* σαρκικοὶ *omnium deterrimi, qui* ζωματικοὶ *etiam dicuntur, &* χοϊκοί. *Hi nomine tantum tenus Chriſtiani. Diſciplina etiam eccleſiaſtica qualis olim viguit, oſtendit plures eſſe gradus* πολιτείας *Chriſtianæ pro cuiuſque vitæ inſtituto & moribus factiſque. Alii nihil unquam committebant propter quod deberent limine eccleſiæ, & communione ſubmoveri. Hi erant* ψυχικοὶ, *quibus ratio naturalis, ſpiritu quoque Chriſti, cuius fidem acceperant, illuminata, dictabat ſecundum præcepta quæ Chriſtus ſuis dedit eſſe vivendum, & mandata eius, in quantum poſſent, omnia obſervanda. Alii ſi forte peccarent præ fragilitate humanæ naturæ, ea tantum peccata admittebant, quibus pro pœna communio denegabatur ad tempus, donec pœnitentiam tali culpæ ab eccleſia indictam exegiſſent. Qua exacta reconciliabantur.*

Hi

Hi etiam in ψυχικῶν numero reponendi. Et ſanis ſimiles ſunt qui aliquando ægrotant, quibuſque ex morbo recreatis ſanitas poſtmodum reſtituitur. In his locum habuit, δεσμὸς & λύσις, vinculum & ſolutio. Quæ ſeparatio temporaria reſpondet Iudæorum נדוי *quo ἀποσυνάγωγοι fiebant. De qua nos alibi. Aliorum huiuſmodi erant commiſſa, propter quæ introitus eccleſiæ, & communio cum fidelibus in perpetuum, id eſt, quoad viverent, iis interdiceretur. In fine tamẽ vitæ recipiebantur. Non χωρισμὸς, aut ἀφορισμὸς, ac ſimplex δεσμὸς, in his ſeparandis ab eccleſia uſurpabatur, ſed ἀνάθεμα. Quod eſt Hebræorum* חרם, *δεσμὸς ἄλυτος, vinculum non reſolvendum. In medio quadamtenus poſiti hi videntur τῶν ψυχικῶν, καὶ τῶν σαρκικῶν, vel χοϊκῶν. Ex his χοϊκοῖς reperiebantur etiam multi, quos nec pœnitentiæ ulla cura in peccatis ſuis, nec reconciliationis tangeret, quique ita viverent, ut certius oſtenderent ſe non eſſe Chriſtianos, quamvis nomine eo gauderent. Et tales hodie infinitos eſſe conſtat. Eiuſdem eccleſiæ perfectiora quaſi membra fuere, quos ait Epiphanius ſolitos eſſe; etiam ſuo tempore, omnia quæ haberent vendere, ac dare pauperibus. Primo memorat ἀποκηρύκτους, & excommunicatos. Deinde eos quorum oblationes non reciperentur, quamvis ipſi in communionem recipi ſolerent. Tertio loco illos, qui caverent quicquam committere quamobrem communione ſub-*

moverentur, qui exacte diſciplinam obſervabant, quos ἀκρέμονας, vel ἀκρήμονας appellat, quaſi ſummi gradus compotes Chriſtianos, qui omnino non iurabant, qui nemini convitiabantur, nemini maledicebāt, non mentiebātur, & in reliquis plane agebant ex præcepto Dominico, vitamq; ad illud exemplar componebant. Malim tamen ἀκρίβεσιν eo loco legere quam ἀκρέμοσιν. Et eſt facilis lapſus. Nam β & μ antiquis nonnullis codicibus manu exaratis, eamdem fere figuram habent. Οὐ πάντῃ ἐστὶ, ἀλλὰ παρὰ τοῖς ἀκρίβεσι φυλάσσεται, τὸ μὴ ὀμνύναι ὅλως, μηδὲ λοιδορήσασθαι, μητὲ καταρᾶσθαι ἐκ προστάγματος αὐτοῦ τοῦ σωτῆρος, μήτε μὴν ψεύσασθαι ὅσον κατὰ τὸ δυνατόν. Vocat ἀκριβεῖς qui mandata in quantum poterant Dominica exacte cuſtodiebant. Supra iſtos adhuc collocat, & in perfectionis gradu ſupremo reponit, qui bona ſua venderent, ut darent pauperibus. Multos extitiſſe tales in eccleſia illius temporis ibidem ſic notat: οἱ πλείους ἐστὶ πιπράσκουσι τὰ ὑπάρχοντα, καὶ διδόασι πτωχοῖς. Hi ſunt quos κατ' ἐξοχὴν πνευματικοὺς vocarunt patres antiqui, qui Apoſtolorum ſectā æmulari omni ope contendebant. De his etiā intellexi, cū dixi non poſſe omnes ad ſpiritalem converſationem, & πολιτείαν adſpirare, nec debere. Vt plurimum & hi continebant, ac ſæculo renuntiabant. At ſi deberent omnes bona ſua divendere & pauperibus redactam inde pecuniam erogare, ne quidem invenirentur

rentur

rentur qui bona illa emerent. Aut ſi reperirentur aliqui, deberent rurſus & illi eadem vendere, ut pauperibus ea largirentur. Et quis finis? Si ipſa bona ſic diſtracta, id eſt, fundi & ædes, pauperibus eſſent donanda à divitibus qui illa poſſident, vices verterentur, & pauperes fierent divites. Rurſus iſti pauperes iam divites facti, neceſſe haberent ex præcepto omnia quæ poſſiderent itidẽ vendere, & non habentibus dare. Et mirificus hic eſſet ludus, vel mimus potius ſine clauſula, ſed exitu sẽper carens. Diſpenſationi poſtremo divinæ quæ pauperes ac divites eſſe voluit, hoc plane contrarium eſſet, ſi univerſi tenerentur omnes exequi perfectæ illius vitæ numeros, quæ ſpontaneam adfectat paupertatẽ, ac ſæculũ res ſuas ſibi habere iubet. Cæterũ nec omnes pauperes ſalvari conſtat, nec omnes divites dãnari. Nõ enim omnes divites mali, ut nec omnes pauperes boni. Da divitẽ cuius arca pateat pauperibus, hunc meliorem præſtabo & ad viam ſalutis magis ſuccinctum & paratũ, quam pauperem murmuratorem, alieno inhiantem, habentibus aliquid inimicum, ac ſuæ inopiæ mala miſerantem. Sed de his alias, & in hoc ipſo opere plura poſuimus explicandæ noſtræ ſententiæ, quæ veræ, antiquæ, & Chriſtianæ doctrinæ ac diſciplinæ per omnia reperietur conſentanea à rectè ſentientibus. Haud ſcio quid naſi habeat amicus Theologus, aut quantum odoræ vis in illo ſit ſitum, ſed illud ſcio etiam ſi totus eſſet naſus, non potuiſſe illi ſubolere quod ſe odoratũ eſſe

prædicat. In fermento fortaſſean tunc erat totus, cum illa ſcriberet, ideo odos inde fermentaceus nares ei percuſſiſſe videtur. Si τὴν ἄνωθεν σοφίαν ſolis epiſcopis & presbyteris relinquerẽ, ſolos debere eos eſſe Chriſtianos dicerem. Non enim alia Apoſtolo ἡ ἄνωθεν σοφία, quam qua Chriſtum per fidem adprehendimus. Rurſus, ſi ſufficere Chriſtianorum vulgo crederem, ut ſaperent ad normam τῆς ψυχικῆς σοφίας, negarem debere eſſe Chriſtianos laicos. Etenim ψυχικὴ σοφία Paulo ea dicitur, qua homo ſola fretus ſua ſibi naturali ratione, eaque contentus, virtutem illam ſpiritus, qua Chriſtus credentibus inſinuatur, reſpuit, refutat, ac ſpernit, & pro ſtultitia ducit. Parcius igitur in poſterum Theologus amicis ſuis obiectare meminerit religionis eius infuſcationem, de cuius ſinceritate εἰς δύναμιν retinenda, non ipſi, quamvis Theologo, concedere parati ſunt. Poterã plura in iſto eius opere de uſuris quæ non recte cepit, recte carpere, ſi tanti eſſet, aut ſi otium ſupereſſet, vel ſi hæc ipſa Præfatio iã ultra legitimos limites evecta & evagata non eſſet. Cũ enim omnia ex alieno ferme habeat illa inſtitutio Theologica, interdũ tamẽ ea exſcripſit quæ non intelligebat, aut eos qui ipſi rẽ non intellexerant, ad verbũ deſcripſit. Paucos quidem errores habet ſuos, ſed ſuos fecit, dum probarit. Inde eſt quod prima pagina, uſuram de qua ſcribit, idem eſſe quod uſum vult. Non eſt tamen uſus, ſed merces pro uſu. Vſũ quippe habet pecuniæ mu-

mutuaticiæ debitor, uſuram pro ea creditor, quamdiu pecunia ſua non utitur. Non melius eſt quod ibidem adiicit, hunc medii temporis uſum frequentius interuſurium vocari, voce uſuræ ſumpta æquipollenter pro fœnore. Neſcit quid ſit interuſurium, ut nec illi fortaſſe unde ſumpſit, nec quatenus ab uſura diſtat. Uſura certa eſt merces pro pecunia fœnerata pacta, ut in centum tot denarii vel annui, vel menſtrui, vel diurni. At interuſurium eſt uſura omnis medii temporis quod interceſſit à mutui datione uſque ad ſolutionem. Qui debet uſuram plurium annorum, menſium & dierum, omnis illa uſura vocatur interuſurium. De qua nos plura in tertio volumine de Vſuris Iuſtinianeis. Nihili etiam eſt quod ἐργαστηριάρχας interpretatur opifices, cum ſint tabernarii, & inſtitores. Ita enim opifices diſtant à tabernariis, ut officinæ opificum à tabernis mercatorum, quibus præerant inſtitores Latine appellati, Græce ἐργαστηριάρχαι. Nec illud rectum eſt quod uſuram Longobardicam, qualem hodie accipiunt trapezitæ publici, triplo maiorem eſſe contendit nautico fœnore, quale à Iuſtiniano ſtatutum eſt in pecuniæ traiecticiæ contractibus. Quo fidem facit Theologus ſe non intellexiſſe, quænam eſſet centeſima illa nautico fœnori à Iuſtiniano præſcripta. Intra unum quippe annum ſenæ & amplius centeſimæ eo modo capi poterant. De quo nos alibi. Sed nec ad theſin an uſuræ ſint iure divino licitæ, magno

opere pertineant omnes illæ uſurarum diſtinctiones à canoniſtis petitæ, incidentis, negotiativæ, formalis, compenſatoriæ, atque etiam, ſi diis placet, mentalis. Mirum tot ac tantas à canoniſtis excogitatas ac proditas fuiſſe uſurarum differentias eo tempore, cũ iam nollent ullam uſuram eſſe licitam. At apud veteres Græcos & Romanos, cum maxime ferveret δανειστικὴ ἐργασία, harum uſuræ appellationum nulla vola extitit, nec veſtigium. Apparet tot diſcrimina à pontificii iuris doctoribus fuiſſe inventa, ut ſaltem aliquam uſuram licitam eſſe ſub alieno nomine perſuaderent, cum pontifices uſuram ſimpliciter & abſolute iure divino eſſe vetitam decreviſſent tam laicis quam clericis. Quæcumque etiam adiecit Theologus de reditibus perpetuis, temporariis, & ad vitam conſtitutis quæ à Molinæo habet cum pulviſculo corraſa, quid opus erat ea hic recoqui, quæ peti poſſunt ab ipſis fontibus? Sed nec quicquã faciunt ad theſin an iure ſint licitæ uſuræ. Certũ quippe eſt ſi uſuræ iure divino vetitæ ſunt, nec has oportere videri licitas, quæ nihil diſtant ab uſuris, ut aiunt, formalibus niſi appellatione. Sed de his in libro de Iuſtinianeis uſuris. In Theologicis autem expoſitionibus multis non felicius ſucceſſit ſua noſtro Theologo δυστυχία, quam in antiquariis pleriſque. Quo colore enim defendet ſuam illam interpretationem verborum Lucæ VI.XXXIV. ἵνα ἀπολάβωσι τὰ ἴσα, ut recipiant ſortem cum iuſtis uſuris? Quis unquam

Græ-

Græce peritius illi conceſſerit, τὰ ἴσα, vel τὸ ἴσον ἀπολαβεῖν, idem eſſe quod ultra ſortem aliquid recipere, cum omnino ſit tantundem recipere, quantum dederis? Hoc enim ἴσον. Sic vocatur in canone quodam Africano. Decem pondo auri & decem pondo argenti ἰσοστάσια ſunt. Decem drachmæ argenteæ, & decem denarii aurei, ἰσάριθμα. Sex oboli & una drachma, centum drachmæ & una mina, ſunt ἰσοδύναμα. Dicuntur ἴσαι ψῆφοι cum ſententiæ, vel ſuffragia utrimque paria ſunt. Atque ita de cæteris. Hanc eamdem tamen expoſitionem probavit nuper male feriatus quidam iuris doctor, cuius omnia ſcripta ac dicta κόπρον magis olent quam κύπρον, cui placet nimirũ τὰ ἴσα ἀπολαβεῖν eſſe idem genus recipere cum uſuris, rationemque addit ſe dignam, & peritia in Græcis ſua. Quia δανείζειν apud Lucam hoc appelletur, καὶ ἐὰν δανείζητε. Hac eadem ratione probari poſſet Iudæis etiam fœnus in Iudæos permiſſum fuiſſe lege Moſis, quia in ſacra ſcriptura veteris teſtamenti, & præcipue in ~~Levitico~~ Deuteronomio, iubet Moſes Iudæum δανείζειν fratri pauperi & egeno. Docuimus alibi δανεισμὸν ſæpius Græcis de mutuo gratuito dici, & τοκισμὸν de fœnebri. Vtopicum etiam plane eſt, nec hoc tantum, ſed etiam ἄτοπον quod noſter Theologus aſſerit, Iudæis non omnes inter ipſos vetitas fuiſſe uſuras, ſed tantũ improbas, neq; iiſdem cum gentibus omnes licitas, ſed tantum modicas. Hoc vero πλεονέκτημα Iudæis tantum con-

ceſſum

ceſſum eſſe;ut terræ ac poſſeſſiones eorum in terra Chanaanitide ab uſuris exemptæ eſſent. Quod quid ſit nemo eſt qui poſſit explicare. Sunt alia multa quæ alii operi ſunt reſervanda. Alioquin altera præfatio, vel iſti æqualis, foret pertexenda, vel hæc ipſa altero tanto amplianda. Hæc cum ita ſint, ex antiqua tamen amicitia noſtra quicquam imminutum nolim, modo ferre poſſit has liberas veraſque reprehenſiones, cum falſas eius & iniquas tam æquo tulerimus animo. Quo pede igitur nata & inita eſt inter nos notitia, & uſus exinde amicitiæ convaluit, neque per me nunc ſtabit quin eodem curſu ac tenore porro pergat. Sin aliter eius eſſe ſententiam cognovero, ad id quoque meam, ſi potero, accommodabo, patiarque vel invitus, ut in hac re pariter, ſicut in principali quæſtione, concordes maneamus, ut minus iam familiares quã antea ſimus, ſi nos ut fuimus eſſe ille amplius nollet. Quod tamen abominor, & Deus quantum ad hoc mentem illi det meliorem, id eſt, molliorem. Nam meam bono loco eſſe, immo vel optimo, ſi quidquam vere de me poſſum promittere, quandocunque affectum in me, qualem olim expertus eſt, & benevolentiam priſtinam requiret, hic veriſſime affirmo. Scribebam Leydæ Idibus Aprilibus, CIↃ IↃ C XL.

Clau-

CLAUDII SALMASII
De
TRAPEZITICO FOENORE,
Diſſertatio.

LIBER PRIMUS.

QUum ante annum, & quod excurrit, primum de Uſuris volumen publici facerẽ iuris, non divinavi, ſed ſcivi, futurũ, ut in varias illud opus multorum hominum incurreret reprehenſiones. Quod in aliis ſoleo coniecturis, ſi quando non fallunt, ut mihi gratuler ita coniectaſſe, me in iſta minime falſum opinionis fuiſſe, non eſt fortaſſe quod exultare debeam. Maluiſſem utique, ſi hoc fieri potuiſſet, ut omnium mereretur approbationem, quod à me tum exivit. Hoc difficile eſſe qui tantummodo putant, mihi videntur errare. Nec enim rerum natura id capit, nec humanum fert ingenium, ut aliquid dici ſcribive poſſit, quod univerſo hominũ generi adlubeſcat. Ut præviſa autem minus feriunt, ita ei qui peccaverit eam purgandi ſui facultatẽ adimunt, qua incidiſſe ſe diceret in eiuſmodi errorem, non errandi oc-

caſionem ſponte ſua quæſiſſe. Nam quæ prævideri queunt, ut plurimum illa & vitare licet. Quæ porro vitare, ſi velis, poſſis, ſi ea admittas, extra ſpem veniæ te futurum etiam apud æquiſſimos rerum æſtimatores, debes ſcire. Non ignorabam, odioſam hanc eſſe materiam, præcipue apud illos quibus hactenus perſuaſum fuit, vetitas eſſe uſuras tam lege Moſis, quam Chriſti præcepto. Nec ſic me defendam, quaſi me caſus, non propria voluntas, ad id argumentum explicandum detulerit. Ita quidem incautum ex occaſione improviſa in eam ſcriptionem delapſum eſſe me poſſim dicere, ut tamen invitum ad id acceſſiſſe excuſare nequeam. Præterea potui ſic eam materiam tractare, ut pluribus placerem. Verum ex animi mei ſententia ſcribere potius putavi, quam plurium plauſum captare. Degeneres ſpiritus iſta puſillanimitas deceat, qua quodcunque fecerint, & quomodocunque, tam anxie culpari metuunt, quam avide cupiunt laudari. Recte quidem utrumque ab his fieri faterer, ſi ex merito cum illud fugerent, tum iſtud ambirent. Sed quod pluribus arridet, non ſtatim rectius. Hinc niſi ſcribas, quod ad palatum eorum faciat, quibus fatuus eſt plerumque guſtus, ſtatim paratæ lites & calumniæ.

lumniæ. Si è contra ea litteris mandes, quæ tales qui ſunt probare poſſint, tam immodica illico ab illis præconia exoriuntur, ut intelligas eos ſenſum propriũ in alienis ſcriptis expreſſum ſic velle laudare. Horum ego pariter & illorũ ſecurus, quia ex æquo falſas laudationes, ut iniquas reprehenſiones, ſperno, quid mihi videretur, ſimpliciter, ſed & fidenter, expoſui. Omitto qui ex aliis cauſis pro genio & captu ſuo nonnulla leviora in meo ſcripto damnarunt. His hominibus ſolum equidem contemptum pro clypeo poſſem opponere. Ne tamen querantur ſe neglectos, faxo ut rationem aliquam ſui me habuiſſe cognoſcant, dum refellentur. Quod alias ego tam in hoc opere quam in aliis ita facere conſtitui, ut maledicta ſua non parvo ſibi ſtetiſſe confeſſuri ſint. Non aliud tamen à me pretium maledicentiæ ſuæ ferent, quam ut convincantur maledixiſſe, contrariis omnibus meis dictis, factis, ſcriptiſque, vita deniq; ac moribus, refutati. Nunc mihi rem eſſe velim cum illo hominum genere, pio proboque, qui uſurariam nundinationem ita improbant, ut interim non inficias eant debere aliquas eſſe licitas uſuras. Eas concedunt verbo divino utriuſque teſtamenti nequaquam eſſe contrarias. His

ut me purgem, omnimodo contendere debeo. Reconciliare mihi illos facile poſſum, ſi attentos ſe præbeant iis quæ ad mei defenſionem dixero. Auſim etiam præſtare, rei ipſi, ubi eam mea opera ſatis intellexiſſe ac percepiſſe viſi fuerint, æquiores eos futuros. Cum illis autem nullam unquam mihi pacem aut ulla fœdera intelligo futura, qui omnem omnino uſuram eo præiudicio damnant, quaſi nullam permiſſam eſſe verbo Dei inter omnes conſtare debeat. Hi Canoniſtæ ſunt, & Pontificii iuris doctores. Sed tales cum primo ſatis animoſe Chriſtianis fœnore interdixiſſent poſtmodum coacti ſunt, neceſſitate ita urgente, miſeras uſuras, quas foribus excluſerant, per feneſtram admittere. Sub alieno quippe & arceſſito nomine fœnus permiſerunt, quod ſub propria appellatione vetuerant. Quid enim aliud, quæſo, ſunt reditus illi annui, quos emptionis ac venditionis nomine obvelarunt, quam uſuræ, & quidem graviores quam quas veteres proprie ſic vocarunt, & libere exercuerunt? Sed alibi plenius oſtendam, quod ex parte iam monſtravi, nihil aut parum, pro bono charitatis Chriſtianæ, huiuſmodi doctores præſtitiſſe, ſubrogando annuos reditus in locum uſurarum legitimarum quas

veteris

veteris prudentia iuris permiſit, & prima Chriſtianitas agnovit. Sapientius itaque feciſſe videntur & conſultius, qui hoc iugum importabile ab Eccleſia Chriſti, ac cervicibus plebis nomẽ id profeſſę, amoliti ſunt, quod Chriſtũ illi minime impoſuiſſe certum eſt. Ad illos igitur mihi ſermo ſit, qui cum fateantur uſuras iure divino eſſe licitas, ita tamen licitas volunt, ut non ſint pauperibus oneroſæ, ſublevandæque potius inopiæ faciant, quam deprimendæ ac mergendæ. Non video mihi laborandum eſſe, ut hos in meam ſententiam pertraham, aut ut ego in illorum concedam. Utraque eadem eſt. Qua in re ergo invicem diſſentiamus, videndum. Nam quod aiunt, id quoque aio: quod negant, illud etiam nego: Uſuras eſſe licitas, nec pugnare cum verbo divino, quæ quidem intra modum ſint, nec modeſtiam excedant, quo exceſſu pauperes opprimantur. De modo igitur ſolum lis eſt. Qualis ille debeat poni, aut à quibus, maxime puto in quæſtione verſari. Quin minimus ſit ponendus, non eſt dubitationis. Sed quæri merito poteſt, quouſq; deſcendere debeat, ut minimus ſit, & tamen iuſtus videatur. Non enim æquitas vult, ut par ubique locorum ratio eius habeatur, & omni tempore. Nihil iniquius

 foret

foret iſta æqualitate. Ubi & quando pecunia abundat, cæteræ autem merces, resque ſoli, raræ ca æque, ſi ſtatuatur in illo tempore & loco fœnus unciarium & ſemunciarium, numquid minor alius modus infra hunc dari poteſt? Vix certè queat. Intra annos ducentos ſi ſemunciario detur pecunia, intra centum ſi unciario fœnore præbeatur, uſuræ ſortem æquant. Si quis huic eidem fœnori, quod iure fatearis minimum, locum velis eſſe in aliqua regione ac civitate ubi res nummaria admodũ anguſta ſit, in magna rerum aliarum abundantia, nonne iniuria fieret pecuniam habentibus, ſi minimo iſto fœnore eam expendere lege cogantur? Et profectò eos cogere lege ulla fruſtra poſtulares. Nemo unquam pecuniam ſibi eſſe fateretur, quam ſic pateretur à ſe exire in alterius commodum, nullo ſuo aut tam exiguo compendio. Gratis multi mallent ſuas opes elargiri. Sic enim laudem ferrent benignitatis & charitatis, quæ nulla foret, ſi vel tantillum lucrum vice mercedis exigeretur. Perſpicuum eſt itaque, minimum illum uſurarum modum pro temporibus & locis alium eſſe debere. Et qui maximus videri poſſit, & impendio graviſſimus in pecunioſa civitate, hanc ipſam pecuniæ abundantiam

ibi efficere, ut quammaxime levis videatur uſura talis. Huic quæſtioni ſuccedit altera, quæ tamen ex priore facile ſolvitur, quinam debeant uſuris modum imponere. Si liquet ponendum eſſe ex copia & inopia rei nummariæ, quæ in aliqua civitate pro tempore exiſtit, tum & illud liquido conſtabit, non ab aliis poni oportere quam qui vires civitatis optime noverint, & cum hac ſcientia etiam auctoritatem coniunctam habuerint, efficacem adducere ex minimo modo ad maximum, & ex maximo ad minimum rem fœnebrem deducere, quandocunque ſcilicet ratio temporum ac nummorum id requiret. Quis autē præter magiſtratum hoc potis efficere, de quo iam quærimus? Nec enim, ut puto, Theologi id ſui muneris ac ſuarum partium eſſe defendent. Satis habeant, ſi magiſtratus per illos edoceatur, rem ſe licitam facturum, permittendo uſuras, quas liqueat non vetari lege divina. Ubi hoc ab illis tenuerit, & conſtiterit ita ſe rem habere, tum de modo ipſo nihil, quod ſtatuat, Theologiæ relinquendum eſt, ſed id totum ſæculari poteſtati concedendū. Unde enim & quomodo Theologus, quamvis peritiſſimus, diſpiciet, quis modus fœnori in urbe ſua conveniat, qui æſtimare ac metiri neſciet

pecuniæ ac cæterarum rerum modum, quæ in civitate ſunt? An ad ſingula quotidie inquiret, quando cives urgebit rei nummariæ caritas, aut quando eius copia abundabunt? Sit ergo magiſtratus, hoc præſtare, quod optimè poteſt ex prudentia ſua, ac iure debet ex auctoritate. Qua in re non puto me habiturum diſſentientes, ſaniores, doctiores, atque æquiores Theologos. Propter hoc igitur non eſt quod laborem Apologiam pro me conſcribere, quam in prioris libri præfatione pro fœnore inſtituerã. Aliud maius eſt de quo inter me atque optimos Theologos minime convenit. Quin immo vel hoc potiſſimum nomine reus à quibuſdam poſtulor, quod non contentus uſuras aſſerere, etiam fœnus licitum adſtruam. Ita illi diſtinguunt hæc nomina, cum profeſſionem iſto denotari cenſeant, priore illo id ſolum quod intereſt cuiusquam ſua pecunia carere alteri commodata. Nolunt itaque, quemquam id ex profeſſo agere, ut pecuniam ſuam exerceat, & ex ea lucrum faciat locata fœnori. Quid ergo volunt optimi viri? Nempe eam collocari in agris non ſterilibus, ſed fœnus ex ubertate frugum grande reddituris. In merces impendi, negotiatori tantum lucri allaturas, ut vel impermiſſi fœnoris menſuram exu-

exuperent. Officinam inde inſtrui artis quæſtuoſiſſimæ. Qui hoc non poterit, aut qui agricolationi operam dare non ſuſtinebit; qui mare metuet, & mercator ad Indos currere non audebit, an pecuniam potius in fluctus proiiciet, quam ex ea fructus ipſi veniat? Egentibus eam dividat, ex Chriſti mandato, ut perfectus ſit. Si quis eſt qui tale facinus perpetrare in animum inducat, ſecurè per me licebit, & audacter uſuras damnet. Si omnes hoc idem nunc facere Chriſtiani inſtituant, tum fœnus ac uſuræ exulent, & alias petant terras, ubi libere currant: hic non habebunt ubi pedem ponant. Sed ſub tali, ut nunc eſt, Chriſtianitate, talibus eius inſtitutis ac moribus, qua ratione, vel quo colore, verbi divini miniſtri & interpretes, lucrũ ex pecunia coëmptis agris aut mercibus probabunt, ex ipſa per ſe pecunia eo modo locata quo agri ſolent aut ædes, improbabunt? Si proximum in reditu habere, & lucrum ex eo facere, me charitas prohibet, quocunque modo eum exſpoliem & expilem in meum compendium, perinde erit. Rem emptam mihi centum aureis, illi vendo ducentis, & amplius, ex mercaturæ tam probatæ quã licitæ ingenio. An hoc perfecta charitas exigit? Si nimis avare arti meæ

pretium ſtatuam, & opificium ex ea proximo, quem æque ac me ipſum, ſi Dei præcepta fecero, diligere debeo, carius quam mihi conſtat, divendam, an charitatis leges implebo? Si fructus ex agro meo altero tanto quam quanti eſt impendium quo eos extudi, promercales habeam, hoccine eſt charitatis officium? Reliqua ſic ponantur, & ad eamdem charitatis normam ſimiliter exigantur. Tum iubeat Theologia, ſi per omnia ſibi conſtare volet, non ſolum uſuras faceſſere, ſed etiam mercaturam, & omnes artes quæſtuarias. Id facile patiar, & calculum rationibus eius meum addam. Sed ſi privato licebit abſque offenſa verbi iuriſque divini mercaturæ inſiſtere, ac publice eam profiteri, omne genus artes quæſtum lucrumque pro fine expetentes, exercere, quidni & pecuniam fœnore locandam pro arte ac profeſſione habere, ſi aliud non poteſt promittere? ſi aliunde non poteſt vivere? ſi artem denique aliam ac negotiationem non tenet, unde ſe tueatur? Nihil hic paratragœdior. Sed nec rhetoricari perperam poſſum videri. Si res ipſa quippe pro ſe vocem profundere poſſet, ſi ipſa veritas verba facere, nō aliter loquerentur. Si ad antiquitatē provocamur, vicimus. Nec Græcam dico tantum aut Romanam,

ſed

ſed vel Chriſtianam. Apud Græcos & Romanos fuiſſe, qui ut mercatores quidam ſunt publici, ita publicè fœnus, idq; auctoritate publica exercerent, notum eſt. Ariſtoteles, quo auctore plerique capitales uſurarum hoſtes ſuam ſententiam falſo tuentur, ita *μεταβλητικὴν* omnem præter naturam eſſe cenſet, ut tamen in ſua republica omni locum det. Eius *μεταβλητικῆς* cum tres ſpecies conſtituat, mediam claſſem fœnebri nundinationi aſſignat inter quæſtuarias artes, & mercaturam. Ut proinde neceſſe ſit, eam non inter maxime turpes profeſſiones ab illo collocari quam medium ex tribus locum obtinere vult, ſi infra mercaturam, certè ſupra artes ſellularias. Idem in Oeconomico inter rationes, quibus pater familias reditus ſuos augere vulgo ſolet ac poteſt, tria genera quæſtus numerat, licita certè & honeſta. Nec enim alias tantus philoſophus ea pro legitimis afferret. Ex illis tribus unum eſt argenti fœnus. Vocat *πρόσοδον τὴν ἀπὸ ἀργυρίου*. Primo quidem loco nominat, *πρόσοδον τὴν ἀπὸ γῆς γενομένην*. Eam omnium optimam ac præſtantiſſimam facit. Secundo, *τὴν ἀπὸ τῶν ἄλλων ἐμπολημάτων*, vel ut vulgo legitur, *ἐγκυκλημάτων*. Qua appellatione intelligit omnes quarumcumque mercium aut artium nego-

negotiationes. Tertia, ut dixi, eſt ex argento in fœnore poſito. Qui vero Plutarchum allegant, ut ex eius auctoritate non eſſe fœnerandum nobis probent, iam alibi demonſtratum eſt, eos glaucoma ob oculos mentis obiecta parum vidiſſe quod putarunt ſe videre. Non enim libellum ille ſcripſit, cuius argumentum ſit, non licere fœnerari, ſed περὶ τοῦ μὴ δανείζεσθαι, non eſſe fœnori accipiendum. Ibi reprehendit illorum temporum divites, qui malebant fœnori accipere pecuniam ab daniſtis, eorumque perpeti contumelias, acerbè mutuum cum uſuris repetentium, quã ſuperflua quæque ex bonis ſuis vendere, ac ſic ſe honeſtiore modo ex anguſtiis rei familiaris expedire. Remitto tales ad Græcæ linguæ peritos, ut ab his diſcant, aliud eſſe δανείζειν, aliud δανείζεσθαι, & ne in poſterum quod patientis eſt pro agente accipiant. Sic enim accipere confundunt cum dare. Qui utuntur Catonis teſtimonio, quo ſcilicet arguant, peiores habitos fœneratores furibus, quia hi legibus Romanis dupli tantum condemnarentur, cum fœneratoribus quadrupli pœna imponeretur, ſatis à nobis alio loco in primo volumine confutati ſunt. Ad ordinem nunc pertinet, ut hic iterum hoc repetamus, quo eos

denuo

denuo confundamus, quia magnum in Catonis nomine ac ſententia momentum reponunt fœnoris adverſarii. Sed iterum hoc ſciant, cavillatoriũ illud cenſoris priſci eſſe dictum, cui pondus ineſſet, ſi non longe magis infame uſuræ genus libentiſſime ipſe exercuiſſet, nempe Nauticum. Hoc primum. Deinde, ſi verum eſſet omnes fœneratores eo modo puniri ſolitos, cum certum ſit, vel minimæ rei furem ita fuiſſe punitum. At fœneratores non alii pœnam quadruplionis luebant, quam qui modum à lege præſcriptum fœnori exceſſiſſent. Impune igitur id conſtat fuiſſe illis qui fœnus exercerent iure permiſſum. Sed & horum etiam ordo æque honeſtus Romæ fuit, ac publicanorum, vel etiã magis. Legimus apud Suetonium, in vita Veſpaſiani, *patrem eius Sabinum quadrageſimæ publicum in Aſia exercuiſſe, imagineſque ei à civitatibus poſitas, ſub titulo, quo indicaretur, recte illud munus ab eo adminiſtratum*, καλῶς τελωνήσαντι. Subiicit idem auctor, eum poſtea apud Helvetios fœnus exercuiſſe, ibique diem obiiſſe. Publicum ibi fœneratorem egiſſe, ac cuilibet pecuniam ſub uſuris, qui de reddenda cavere idonee poſſet, dediſſe, ſignificat. Huiuſmodi publicos fœneratores, τραπεζίτας vocarunt

ac

ac δανειστὰς Græci. Honeſtioris ordinis ac loci habitos eos, qua Græcis veteribus, qua Romanis, alio loco in volumine De Uſuris Iuſtinianeis docebimus. Cuius rei illuſtre argumentum illud eſt, quod eis tanquam perſonis publicis, idque munus publica auctoritate ſuſtinentibus, iniuratis crederetur, ut Notariis ac Tabellionibus, qui publicas conficiebant litteras. Atque id illis datum non ſub imperatoribus tantum gentilibus, quod mireris, ſed etiam Chriſtianis. Si quis pecuniam denegaret quam trapezita vel fœnerator ſe dediſſe intenderet, non alia inficiator probatione ad fatendum debitum & ſolvendum adigebatur, quam manu Argentarii, qui in tabulis ſuis expenſam illi unde petebatur, talem ſummam ſe tuliſſe ſcripſerat. Cum ſolius & unius teſtimonio fides in iudicio haberetur, & in rem quidem ſuam affirmanti, quanta prærogativa pollens antiquitus hoc genus fuerit, inde colligi poteſt. Nam ne ſenatoriæ quidem dignitatis viri teſtimonium admitti in quacunque cauſa ius erat, ſi ſolus id diceret. Ἑνὸς ἡ μαρτυρία οὐκ ἐστὶ δεκτὴ ἐν οἱαδήποτε δίκῃ, κἂν συγκλητικὸς ᾖ. Hinc Tabellioni hac in re confertur & componitur ab Harmenopulo, quia utriusque, quantum ad hoc, par prærogativa & fidei

fidei auctoritas, ut ſine aliis teſtibus ſcripturæ ſuæ veritatem probanti in iudicio credatur tam tabellioni quam trapezitæ, ſive fœneratori. Nolo tantum ipſe mihi tribui quantum olim his tribuebatur, ut ſine teſte credi mihi poſtulem. En ipſius Harmenopuli verba, ſive eius veteris ſcholiaſtæ, ut in veteri codice notatũ reperi ad lib. 1. Tit. VI. quibus id quod dixi prorſus evincitur. Ἰστέον, ὅτι ἀρκεῖ μόνος ὁ ταβελλίων ὁ γράψας τὸ συμβόλαιον πρὸς μαρτυρίαν ἐν τῇ συγκρίσει τῶν προφερομένων συμβολαίων. Ὁμοίως καὶ ἐπὶ τραπεζιτικῶν λόγων, ἀρκεῖ ὁ γράψας, καίτοι γε εἷς νοεῖται. *Sciri oportet, quod ſolus Tabellio ſufficit qui inſtrumentum conſcripſit ad teſtificandam eius veritatem in comparatione inſtrumentorum quæ in iudicio proferuntur. Similiter & in trapeziticis rationibus, ſatis eſt is qui eas ſcripſit, etſi unus intelligatur.* Ne novum cenſeas, hoc illis indultum privilegium ſub extremo Romano Imperio, ſcias ab antiquo tale habuiſſe, & apud Atticos quidem ipſos, ut teſtis eſt Iſocrates in Trapezitico. In ea oratione declamat quidam, & queritur, ſe circumſcriptũ fuiſſe magna pecuniæ ſumma à Paſione fœneratore, ſive trapezita tunc temporis Athenis Atticis notiſſimo. Quod genus, inquit, hominum amicicia multo-

multorum florens, potens, gratioſum, propter vim pecuniarum quas tractant, & fidem quã ex arte & profeſſione habere exiſtimãtur. Hinc facile eſſe à talibus circumveniri ibidem ait, ſi improbi velint exiſtere, & fidem fallere, cum litteræ apud eorum menſam conficiantur, & cum his contrahatur ſine ullis teſtibus. Periculoſum itaque eſſe, nanciſci huiuſmodi adverſarios, quibus in re ſua ſolis citra aliud teſtimonium fides haberi ſoleat. ἐστὶ δὲ, inquit, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, πάντων χαλεπώτατον, τοιούτων ἀντιδίκων τυχεῖν. τὰ μὲν γὰρ συμβόλαια πρὸς τούτους ἐπὶ ταῖς τραπέζαις ἄνευ μαρτύρων γίγνεται. τοῖς ἀδικουμένοις δὲ πρὸς τούτους τοιούτους ἀνάγκη κινδυνεύειν, οἳ καὶ φίλους πολλοὺς κέκτηνται, καὶ χρήματα πολλὰ διαχειρίζουσι, καὶ διὰ τὴν τέχνην πιστοὶ δοκοῦσιν εἶναι. Poſtrema hæc verba notanda ſunt: *Et propter artem boni viri, ac fide digni exiſtimantur.* Ars ergo tunc illa & profeſſio habita honeſtiſſima, cum fide digni exiſtimarentur qui eam exercerent. Non repetam hic quod alibi ſatis adſtruxi, hos trapezitas, ſive mẽſarios, Argentarioſve eoſdem fuiſſe cum publicis fœneratoribus, ne qui ſint parati id negare, ob ſuam antiquitatis Græcæ Romanæque imperitiam. Hos Argentarios multis etiam aliis privilegiis munivit & con-

condecoravit Imperator Iuſtinianus, ratione artis quam profiterentur, omnibus & præcipue inopibus utilis, quibus pecunias darent mutuas ſub uſuris legitimis. Cum enim cæteros cuiuſcunque mercis aut artis negotiatores ab omni militia arcẽdos cenſuiſſet, fœneratores à ſola armata prohibuit, ad reliquas admiſit. Quam longe hæc abeunt, & procul abſunt à nova novitiaque Canoniſtarum iuriſprudentia? Sub vetere Romana & Chriſtiana, ſcripturæ privatæ fœneratoris in iudicium prolatæ ſine ulla alia probatione teſtium fides habebatur. Tantum abeſt ut infames haberentur. Hodie iure Canonico, non antiquo ſed novo, non ſolum improbi inteſtabileſque ſunt, ob infamiam qua notantur, ſed etiam mortui à ſepultura arcentur, nec vivi menſa Chriſti digni putantur, proque excõmunicatis & *αὐτοκατακρίτοις* cenſentur. Unde hic tantus rigor, & diſciplinæ auſteritas? Si auctoritate antiquæ ac primitivæ Eccleſiæ niteretur, nihil ego contra obniterer. Atqui cum diſciplina vigeret in Eccleſia ad exemplum ſeveritatis vel graviſſima, cum pro minimis peccatis pœnitentia publica imponeretur, nullam eiuſmodi pœnam legimus irrogatam fœneratoribus, ne ſi quidem fœnoris

modum à lege ſtatutum exceſſiſſe convicti forent. Multominus ſi intra modum legitimum fœnus exercerent, animadverſione digni viſi. Ideo autem per eam diſciplinam nulla fœnerantibus impoſita pœna, quia nulla eius negotiationis prohibitio in antiquis Græciæ conciliis qua generalibus qua localibus erat poſita. Si enim ſacri Conciliorũ canones prohibuiſſent tunc uſuram Laicis, non dubium quin & Eccleſiaſtica cenſura ex eorumdem canonum ſanctionibus erga fœnoris illiciti profeſſores ſtatuta fuiſſet. At manifeſtum eſt ex Gregorii Nyſſeni Canonicis Epiſtolis, nullam ab eius anteceſſoribus patribus conſtitutam fuiſſe pœnitentiam publicam quam agere deberant feneratores. Idque ipſe diſertis declarat verbis. Quod ab antiquioribus non erat factum, ne à ſe quidem fieri debere, aut poſſe, ut uſurarios ab Eccleſiæ communione arceat, & pœnitentiæ petendæ obnoxios pronuntiet, ibidem aſſerit. Solis clericis uſura interdicta paſſim Synodorum veterum decretis legitur. Unam excipio Eliberitanam, de qua inferius pluribus agemus, ut & in tertio volumine de Uſuris Iuſtinianeis, cum praxin ac diſciplinam veteris Eccleſię, qualis circa uſuras & uſurarios fuerit, explicabimus.

mus. Cæteræ omnes tam occidentis quam orientis Synodi, præſertim quæ intra quartum ſæculum celebratæ fuere, ſolis clericis interdictas uſuras, Laicis ſinunt liberas. Permittere autem his uſuras, vel planiſſime inde colligi poteſt, quod in fœnerantes è plebe homines nullas conſtituere pœnas, & quod Clericos ſolos expreſſim nominando, qui fœnerari prohibentur, Laicos ſe non comprehendere, ſatis clare ſic teſtantur. Iuſtinianus denique qui quattuor primis conciliis generalibus eamdem tribuendam ſanxit auctoritatem, quam ſacræ ſcripturæ deberi ait, non uſuras Laicis omnium ordinum permiſiſſet, ſub certo modo quem ipſe ſingulis præſcripſit, reſtrictas, ſi prohibitas eas plebi Chriſtianæ ſupraſcriptorum conciliorum decretis putaſſet. Qui iuris utriuſque, Canonici ac civilis titulum hodie una profeſſione involvunt, & uno eodemque tempore utramque lauream qua doctores inſigniuntur, accipiunt, magnam partem conciliare ſatagunt ius pontificium Canoniſtarum cum Iuſtinianeo. Hoc ut ipſis belle procedat, malunt Iuſtinianum male interpretari, quam fateri ſe doctores eſſe duarum iuridicarum profeſſionum ex adverſo inter ſe pugnantium. Præfracte

itaque nonnulli ex his negant, Iuſtinianum uſuras Laicis permiſiſſe, cum Canoniſtas viderent tam rigidos ac crudeles in prohibendis eſſe. Quam id falſum ſit, & quã temere, & ſine bono exitu, hanc conciliaturam aggreſſi fuerint, non latet peritiores ac prudentiores iuriſconſultos. Non melius certe hoc eis ſucceſſit, quam illis medii ævi philoſophis, qui Ariſtotelem cum Platone ita conciliare ſtuduerunt, ut unum idemque ſenſiſſe utrumque, imperitis perſuadere conarentur. Alii, qui ſciunt, non poſſe negari, quin ſub Imperatoribus Chriſtianis uſuræ paſſim licitæ Laicis fuerint, cum tamen alterius iuris æque doctores clueant, Iuſtinianeo contrarii, zelo quodam indiſcreto ducti, & ſcientiæ experte, iuri Canonico magis favent, eique ſe totos adplicant. Ius autem Canonicum non alia ratione uſuras vetuit quam quia in utroque teſtamento eas vetari crederet. Hanc enim rationem ubique Pontifices allegant. Quam ſit hoc verum, non hic diſputamus, de quo alibi abunde diſſeruimus. Nec ſane opus eſt ea hic recoqui, ubi agimus cum illis Theologis, qui in dubium hoc non revocant, ſed plane concedunt, neutrius teſtamenti pagina prohibitas uſuras videri. Quinetiam ultro faten-

tur

tur, non eas repugnare iuri naturali, nec ſacris litteris. Tota nunc in eo ſita eſt controverſia, cum uſura in genere licita ipſis lege divina ac naturali videatur, an trapezitica eodem iure frui debeat. Placuit quippe quibuſdam iſtorum, dividere Canoniſtarum ſententiam, & cum illi in totum omnem uſuram damnarint, hi noſtri non omnẽ, ſed ſolam trapeziticam improbant. Huius trapezitici fœnoris gratia, quod illud viſus ſum probare & admittere in præfatione prioris de Uſuris voluminis, maximi apud bonos viros ſuſtinui criminis notam. Etſi adhuc grandiorem impingere parati ſint dicam, & me vel maxime eo titulo infamare pergant, quod infamis ſuo iudicio uſuræ uſum propugnare videar, non propterea deſiſtam ab incepto, ſed requiram ab his rationes cur ita ſentiant. Eas ſi modeſte proponent, modeſtiam nec in reſponſione mea deſideraturos præſto. Sin aliter animati erunt, faxo etiam dicant ſibi rem fuiſſe cum eo qui clavum clavo poſſit retundere. Videant vero quantum ab his diſſideam, & quanta libertate, quod mihi verum videtur, adverſus eius oppugnatores defendam. Quod pro infami traducunt & improbo, ſed & pernicioſo, uſuræ genere,

id ego, ſi cum modo exerceatur, audeo maxime utile pronuntiare. Niſi quis velit dicere, puteum perennem, qui in publico omnibus patet, minus utilitatis civibus adferre, quam qui in privatorum domibus ſcatent latentque. Si unuſquiſque apud ſe fodere puteum poſſet, & aquam inde affatim haurire quæ nunquam deficeret, nulla in publicum ſaliente lympha quiſquam opus haberet. Quid mihi fiet, quid alii pauperiori, ſi aqua careo, cui nullus domi puteus ſit, nullus fons? An ſiti potius me patiar tabeſcere & areſcere, quam aliunde petam quo eam extingam? A vicino ſcilicet precario poſcam, aut amico aliquo, cuius in area aquæ vis ex puteo exundabit, aut ciſterna? Quid ſi ille nolit dare? Quid ſi domi eius nemo fuerit tum, cum ſitis mihi fauces tenebit? Quid ſi mihi aliqua ex cauſa vel ille amicus, vel ille vicinus, qui aquæ dives eſt, ſubiratus fuerit & offenſus? An oſtiatim circumire omnes domos debebo, etiam ignotorũ, etiam moroſorum, ut aquam invenire poſſim? Interea ſitio, & maiorem ardorem ex labore quærendi colligo, qui etiam forſitan fruſtra ſumendus. Quod ſi in publico fons perpes ebulliat, aut iugis puteus ſcaturiat, quamlibet

pro-

profundus hic ſit, & multo reſte movēdus, unde poſſim, quotieſcumq; me adiget neceſſitas, aquam trahere, nonne paratior inde copia, & magis ex proclivi ſuppetet, non ſollicitanti vicinos, nec fruſtra amicos aut cognatos interpellanti? Quid aliud eſt fœnerator publicus, ac trapezita, quam puteus inexhauſtus, in publico omnibus patens, petituris inde ſiti ſuæ, hoc eſt, inopiæ, qua ad tempus urgentur, ſubſidium ac levamentum? Nemo inde inanis recedit, quicunque poteſt ſecurum reddere de reddendo quod acceperit. Si quis autem adeo ſit inanis, ac defectus facultatibus, ut nihil habeat quo præſtet ſecuritatem trapezitæ, fateor talem inopiam non egere mutuo, ſed eleemoſyna. De qua nos paulo poſt. Fateor etiam, non tali auxilio adiuvandæ hominum miſeriæ opus fore ſi omnes charitatem quam debent proximo ſuo præſtarent. Nemo Theologus repellat à ſe petentem mutuum, ſi alii ordines eum cum repulſa reiicient. Audio iam ſeſe excuſantes cum hoc dicto, quod ſuffecturæ ſuæ opes non forent, ſi cogerentur omnibus dare, ac neminem refutare. Accipio excuſationem, & verum eſt, niſi omnibus hoc idem iniungatur oneris, ut ad ſe venientibus auſcultent, eoſque adiu-

 vent,

vent, non unius ordinis copias ſatis omnibus inopibus facturas. Quod igitur remedium excogitabimus? Ad mendicos quidem quod attinet palam eſt, ſtipe data ſublevandos eſſe qua publice qua privatim ab his qui poſſunt & habent unde id commode fiat. Ad reliquos vero omnes quod ſpectat, qui non ſunt ex ordine mendicantium, quique ſe pro talibus haberi nollent, qua via eis opitulabimur? Temporaria ſi quis prematur pecuniæ penuria, qui emendicata uti erubeſcat, in promptu aliud nihil eſt, niſi ut mutuum ab aliquo petat. Quis erit ille aliquis? Quam multi erunt circumeundi, priusquam voto eius fortuna reſpondeat? Pone uſuras, ſic ſatis operæ & laboris inſumet priuſquam inveniat, qui petitioni eius indulgeat. Niſi det fideiuſſores ac ſponſores, niſi pignoribus & hypothecis caveat, precis irritus diſcedet. In his etiam examinandis an idonea ſint, multum temporis conteretur. Poſt omnia, niſi placeat debitor, ad alium amandabitur. Eadem tædia apud alium illum perpetienda, & fortaſſe etiam idem faſtidium cum repulſa fuerit ſubeundum. Quis erit tandem finis petendi & quærendi? Tolle porro uſuras, nullæ ſunt hypo-

thecæ

thecæ tanti, nulla pignora, neque fideiuſſiones, ut quiſquam carere ſua pecunia ſuſtineat, præſertim ſi res ipſi alias oſtendas in quibus cum redituro fructu poſſit eam collocare. Si lucrum vero ex pecunia permittatur, ut ex alia quacunque merce, tum plures reperientur qui non recuſent hunc queſtum facere, & nummos ſuos opus habentibus elocare. Cæterum, ſi ſolos privatos ad hoc genus capturæ admittas, neminemque velis eſſe qui ex profeſſo hoc ipſum agat, & publice id profiteatur, in eas anguſtias redigentur plerique pauperum, ut fruſtra contritis aliquot divitum liminibus, nihil à quoquam extorqueant. Alii ex his præſentem pecuniam non habent. Alii etſi in numerato habeant, ad alios uſus deſtinatam recondunt. Alii tali nolunt dare. Alii malunt in arca ſterilem ſervare, quam cuiquam expenſam ferre. Eam alii reſervant ad caſus inopinatos, aut quia potius ducunt in agris mercandis vel prædiis urbanis condere, expectant occaſionem bene emendorum. Opus etiam eſt tempore & exploratore, cuius indicio cognoſcat quinam ex divitibus paratam & in promptu habent pecuniam, quam mutuam ſub uſuris dare velint. Mille moleſtiæ devo-

 randæ

randę ſunt, antequam qui nummos non habet, & valida eorum laborat inopia, queat illos vel grandi fœnore pacto expiſcari. Qui ſolos mercaturam agitare iuberet vini aut frumenti, quibus hæ res in agro ſuo naſcuntur, quanta ab eius imperio inſtaret omnibus vivendi difficultas, & ad victum neceſſaria emendi? Eſſe oportet qui hoc unum agant mercatores, quorum horrea & apothecæ vinariæ ſemper refertæ ſint, & expoſitæ omnibus vinum aut triticum inde petituris. Hoc ut porro ſit, iidem illi vini triticique negotiatores neceſſe habent ſubinde illud emere ab agricolis ac vinitoribus. Idem de aliis rebus, artibus, opificiis ac mercibus dici debet. Quidni ergo & de pecunia quæ fœnori datur, & ad hoc exerceri à fœneratoribus debet, ut nemo eos adeat quin menſam nummis habeant inſtructam cuilibet petenti ſuffecturam? Privatis non ſemper ſuppetit quod dare poſſint, etiam ſi velint. Aut iam occuparunt fœnore ſuam pecuniam cum ad illos accedo, aut cauſam habent aliquam non dandi mihi. A trapezita, ut dixi, nemo qui cavere poſſet de reddenda, vacuus abibat. Ne quidem à privato alia quam iſtac conditione nummus moveri olim poterat, neque nunc poteſt. Iſtis diſcuſſis, nunc examinemus,

nus, cur probis Theologis quidem, ſed parum rerum peritis, adeo damnanda viſa ſit uſura trapezitica, ut eius negotiatores, non ſolum pro infamibus habeant, ſed à ſacra communione omnimodo removendos ſciſcant. An poſſunt oſtendere, cum concedant uſuram non pugnare cum verbo divino, iſtam ſolam expreſſe in eo eſſe prohibitam? Nunquid afferent ex ſacris antiquorum conciliorum canonibus, uſuram quidem privatis Laicis eſſe permiſſam, ſed publicam eius negotiationē interdictam? Ne id quidem queant. Et ridiculum eſt, ſi non vetor quod æris habeo id in fœnus dare, ſemel atque iterum, & quotieſcunque ſuperfluum habuero, in vetito autem reponi, ne ſemper hoc agam, & hoc unum, & ubique. Mercatura laudatur quæ profeſſionem hanc unam agnoſcit, propter utilitatem nimirum. Cur cum non minor ſit fœnoris utilitas cum modo agitati, profeſſio eius impeditur, & propudioſa probroſaque ducitur? An ita exiſtimant, ſacræ ſcripturæ auctoritate adducti? Si uſuram putamus ab ea non prohiberi, planum eſt, nullam eſſe prohibitam niſi quam leges politicæ vetant. At leges civiles veterum, immo & quæ ex iure gentium deſcendunt, non ſolam privatorum uſuram

ad-

admiſerunt, ſed etiam trapeziticam. Immo vel hanc præcipue. Qui mercaturam dicit, non intelligit id quod agit Titius aut Męvius, dum quod ipſi in fundo ſuo natum eſt vinum, aut triticum, vendi curat, ſed quod facit earum ſpecierum negotiator, qui eas emit ut vendat, & omni tempore habet ad vendendum paratas, & expoſitas. Sic qui *uſuram* & *fœnus* Latine nominat, non tam privati alicuius hac voce deſignat negotium, quamvis & hoc quoque, quam eius cui propria hæc negotiatio, hoc eſt trapezitæ & fœneratoris. Quare hoc? Quia nimirum frequentiſſima olim penes trapezitas tam Romæ & in Italia, quam in terra Græcia hæc fœnerandi ratio. Græci quoque cum τόκον, τοκισμὸν & τοκιστικὴν abſolutè appellant, *fœnerationem* ſive fœnebrem profeſſionem trapezitæ intelligunt. Ut Ariſtoteles cum in Politicis τοκισμὸν de tribus μεταβλητικῆς generibus, ſecundam eius ſpeciem recenſet, haud dubie fœnerandi artem denotat, cum primam faciat mercaturã, & tertiam quam opifices & operarii agitant, quæ μισθαρνικὴ appellatur. Quem τοκισμὸν hîc appellavit, paulo ante ὀβολοστατικὴν vocat, quæ nomen habet ab ὀβολοστάταις, propriaq; eſt nummulariorum, ſive argentariorum, ac trapezitarum.
Memi-

Memini quidem, me ſupra notare, eumdem Ariſtotelem inter genera redituum quibus rem ſuam amplificare patres familias ſtudent, tertium ab eo memorari, τὴν πρόσο-δον ἀπὸ ἀργυρείου, quod argentum eſt in fœnore collocatum. Quo loco agnoſcit quidem & in privatis ſtudium augendæ rei familiaris per uſuram. Sed hoc ipſum coniunctum fuit cum ratione trapezitarum. Nam qui pati nollent pecuniam apud ſe manere otioſam, ne vacaret, eam ad argentarios deferebant, eoſdemque trapezitas; qui libenter eam accipere ſolebant, & pro ea uſuras legitimas ſolvebant domino, quamdiu ea uterentur. Utebantur autem, donec opus haberet, ac eã repeteret creditor. Nunquam autem cuiuſquam pecuniam quæ ad ſe deferretur recuſabant. Quinimo quærebant undique qui vellent penes ſe nummos deponere ſub uſuris. Quia enim menſam perpetim inſtructam nummis habere debebant, ut eſſet unde petentibus mutuum poſſent dare, idcirco ab aliis ſumebant fœnore, quod aliis darent. Qui ſuperfluam itaque ac vacantem habebant tum in arca pecuniam, non expectabant dum ad ſe venirent qui mutuaticia ea indigerent, ſed ultro accedebant trapezitas, & ad eorum menſam ar-

argentum ſuum ponebant, ne ſterile ſibi eſſet. Ibi fructificabat. Hinc ſolutiones apud antiquos Romanos fieri ſolitas legimus, duobus modis, vel *ex arca*, vel *ex menſa.* Qui domo ſolvebat, ex arca ſua pecuniam ſumere intelligebatur, quæ ibi ſine fructu recondita ſervabatur. Qui ex menſa numerationem faciebat, duplici modo eam facere ſolitus. Aut enim à menſario accipiebat fœnore, qui pro ipſo ſummam quam deſiderabat, & cui numeratam illam vellet, dependebat. Tunc debitor talis ſummæ menſario exiſtebat. Aut pecuniam ipſe habebat apud menſam depoſitam. Ex qua ſumma quantam ſummulam vellet pro ipſo numerabat menſarius, qui tãto minoris exinde manebat debitor. Hoc *ſcribere* ac *perſcribere* dicebatur, & inde *ſcriptura menſæ.* Nam in ſuas tabulas referebat menſarius quantum cuiq; reſolviſſet ex numero nummorũ apud menſam ſuam poſitorũ aut quantũ ipſe pro alio expendiſſet ac numeraſſet. Qui per menſarium itaque ſolvebat, accepta ab eo mutua aut reddita quam mutuo acceperat pecunia, *de menſa ſolvere* dicebatur. Nec aliter moris fuit apud Atticos, Græcos, Aſiaticos, Syros, & omnes orbis eo in tempore nationes. Hæc eſt menſa de quâ in parabola minarum

apud

apud Lucam; ubi rex ille, qui minam unam dederat famulo, à quo ſervata fuerat, ac ſine fructu in ſudario repoſita, quod eam ſic redderet ſibi, ita illum increpat: *Et quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, & ego veniens cum uſuris utique exegiſſem illam?* Alii famuli eiuſdem regis, qui minas pariter ab eo acceperant, ad menſam fœneratoris eas depoſuerant, & ex decem minis ſortis primus totidem minas uſuræ nomine lucri fecerat, alter quoque ad quinque quæ ipſi datæ erant minæ, quinque ſimiliter ex uſura menſæ addiderat. Sic rara tum fuit uſura præter trapeziticam, aut niſi cum illa. Dabant enim fœnore ex æquo, & accipiebant. Inſignis locus eſt apud Clementem Alexandrinum in primo Stromateo, ubi vult, Chriſtianum ἀγαθὸν ἐργάζεσθαι, id eſt, bonũ operari. Id ex verbis Apoſtoli interpretatur, adlaborare in veritate indaganda, ut eam alios doceamus nimirum. Sed & ad hanc benefaciendi per doctrinam voluntatẽ requirit, ut altera accedat, qua elargiamur de noſtris facultatibus iis qui indigent. Hoc ut procedat, monet etiam ἐργάζεσθαι, id eſt, pecuniam ad menſam ponere, & eã exercere, ut ex eius uſuris bene faciendi copiã nanciſci queamus. Dicit enim ibi Apoſtolus, in Epiſt. ad Epheſios

ſios cap. IV, ἐργαζόμενος τὸ ἀγαθὸν ταῖς ἰδίαις χερσὶ ἵνα ἔχῃ μεταδιδόναι τῷ χρείαν ἔχοντι. *Magis autem laboret operando manibus ſuis quod bonum eſt, ut habeat tribuere neceſſitatem patienti.* Ἐργάζεσθαι ἀργύριον Græci dicunt, ut Latini *exercere pecuniam* de his qui eam fœnore locant, unde & ἔργον ipſa uſura. Sed & ἐργασία apud Lucam, ut ad locum dicturi ſumus. Non puto de ea ἐργασίᾳ verba Pauli eſſe accipienda. Clemens tamen ita videtur interpretari, loco ſuprafcripto: Μᾶλλον δὲ κοπιάτω ἐργαζόμενος τὸ ἀγαθόν. Ἐργάζεσθαι δέ ἐστι τὸ προσεκπονεῖν, ζητοῦντα τὴν ἀλήθειαν. σὺν γὰρ τῇ λογικῇ εὐποιίᾳ, ἵνα ἔχητε μεταδοῦναι τῷ χρείαν ἔχοντι καὶ τῆς κοσμικῆς περιουσίας καὶ τῆς θείας σοφίας, βούλεται καὶ ἐκδιδάσκεσθαι τὸν λόγον, καὶ εἰς τὰς τραπέζας τὸ ἀργύριον βάλλεσθαι δεδοκιμασμένον ἀκριβῶς εἰς τὸ ἐκδανείζειν. Vult utroque genere nos beneficos ac munificos eſſe, docendo imperitos, & mutuum dando egenis. Ut habeat quis, unde hoc ultimum facere poſſit, menſis pecuniam elocandam eſſe præcipit. Niſi enim hoc modo redivivus nummus ex fœnore pullularet, ſtatim fons eius exareſceret, ac liberalitatis nervi deficerent. Habeo ἐνθήκην viginti millium florenorum, qui otioſi in arca mihi cubant. Si inde omnibus petentibus

egenis

egenis elargiri ſatagam, non diu hoc facere potero, quin protinus exhauſtæ facultates benignam voluntatem & munificum animum deſerant. Sed ſi eam ſummam fœnori ad menſam dedero, remanente ἐνθήκῃ, quaſi fonte quodam inexhauſto ex uſuris, poteſtatem habebo ſublevandi inopes. Ita intellexit Clemens. Quem vides ex eo non improbaſſe menſas trapezitarum. Sed nec Chriſtus, qui in parabola talentorum vel minarum ſervum illum nequam nuncupavit qui domini pecuniam defoderat, non ad menſam poſuerat. Quod de menſa fœneratoris accipiendum. Neutrum igitur tunc inter Chriſtianos prohibitum fuit, & pecuniam ſuam fœnori ad menſam dare, & menſam exercere tam ad accipiendum quam ad dandum publice fœnori argentum. Et uſitatiſſima tunc hæc ratio fuit dandi pecuniam in fœnus ad menſam trapezitæ. Receptiſſimus itaq; & illo tẽpore mos menſarum habendarum trapeziticarum. Quicunque mutuum ſine fœnore poſceret, apud amicos aut propinquos id quæritabat, præſertim ſi ad aliquot tantum dies eam pecuniam expeteret. Nam ut uſuræ tunc erant menſtruæ, retenti vel ad biduum nummi, de menſa accepti, to-

tius menſis uſuram debebant. Erat quidem uſitatum illo ævo diariũ fœnus, ſed in minoribus ſummis & pro pauperculis ſordidiſq;, ut in libro de Modo notamus. Hinc apud Comicos mutuum à fœnore diſtinctum, quia mutuum ab amicis ſine fœnore ſumebatur, fœnore autem accipiebatur pecunia ab daniſta, ſive trapezita. Sic intelligendi illi verſus Plautini ex comœdia Pſeudolo:

BA. *Fuit occaſio, ſi vellet, iam pridem, argentum ut daret.*

CA. *Quid ſi non habui?* BA. *Iam haberes, invenires mutuum,*

Ad daniſtam devenires, adderes fenuſculum,

Surripuiſſes patri.

Tres modos inveniendi argenti hic exequitur, mutuum ab amico ſumere, ſine fœnore nimirum: cum fœnore ab daniſta: & patri ſurripere. Clarius in Aſinaria:

Supplicabo, exobſecrabo, ut quemque amicum videro,

Dignos indignos adire, atque experiri certum eſt mihi.

Nam ſi mutuo non potero, certum eſt ſumam fœnore.

Fœnore, ab daniſta: *mutuo*, ab amico. Et ita ſẽper apud comicos Latinos in comœdiis pal-

palliatis, ab amicis mutuum ſine uſuris ſumitur: à trapezitis vel argentariis, qui daniſtæ ſunt, fœnore. Ex his quæ hic diximus, quæque alibi dicemus, plane liquet, hanc veteris ſæculi Græcis Romaniſque uſque ad infima fere imperii tempora uſurarum viguiſſe conſuetudinem, ut nulla earum frequentior fuerit atque uſitatior ratio quam per trapezitas vel daniſtas, quos & *fœneratores* paſſim appellant Latini ſcriptores. De his intelligendus publicis fœneratoribus locus Lampridii in Alexandro Severo, ubi docet, eum principem *uſuras fœneratorum contraxiſſe ad trientes penſiones, conſulentem pauperibus*. Alphius *fœnerator* apud Horatium unus ex illis erat. Plura loca auctorum Romanorum poſſem proferre, quibus hoc probaretur. Sed de his alibi, ubi oſtendam, fuiſſe & fœneratores qui tamen menſam non exercebant, cum & ipſi non aliud profiterentur niſi fœnus. Privati erant, qui ære ſuo ita negotiabantur, ut mercatores quod habent æris, mercibus vendendis & emēdis occupant. Sed nos hic loquimur de fœneratoribus menſariis, qui hoc agebāt publica auctoritate, & publicæ perſonæ cenſebantur. Singulæ urbes tam Græciæ quam Aſiæ, quamque occidentis omnium provinciarum, habuere huius-

modi fœneratores ſive menſarios, etiam ſub Chriſtianis, etiam Chriſtianos, qui publice fœnus exercebant, & publicæ cenſebantur perſonæ. Plures huiuſmodi menſas in ſingulis urbibus fuiſſe conſtitutas, alibi oſtendemus. Et locus Plauti in Curculione hoc indicat his verbis:

Argentariis male credi qui aiunt, nugas prædicant,
Nam bene & male credi dico. Id adeo ego hodie expertus ſum.
Non male creditur qui nunquam reddunt, ſed prorſus perit.
Vel decem minas dum hic ſolvit, omnes menſas tranſiit.

Argentarii iidem cum trapezitis vel daniſtis, ſive fœneratoribus publicis. Cum foro cedebant, menſa eorũ everſa dicebatur, τράπεζα ἀνασκευασθεῖσα, quæ vulgo nobis dicitur *banca rupta.* Poterat aliquis ſuam cũ omni inſtrumento & ἐνθήκῃ menſæ ſive ἀφορμῇ vendere, aut locare. Cuius rei exempla extant in orationibus Demoſthenis. Verum de his alio loco. Hoc videntur ignoraſſe boni illi viri, qui tanta acerbitate verborum uſuram trapeziticam exagitant, ut crimen eſſe velint legibus vindicandum, ipſoſque trapezitas, quaſi nomine hominum indignos, infra carnificum conditio-

ditionem ac tortorum deprimunt. Ignoratio nimirum antiquitatis hoc facit, & rerum civilium imperitia. Nam dum bonos Theologos profiteri volunt, malos ſe politicos oſtendunt. Sic artem maxime utilem infamant, dum utilitatē eius maximam à veteribus agnitam fuiſſe neſciunt. An poſſunt eam recte inſectari, quin antiquis auctorum teſtimoniis obrutam confutent? Atqui nulla queant afferre, ſive ex antiquitate Eccleſiaſtica ſive civili, quibus trapezitica prematur, quin & privatorum uſuram ſimul confundant. Cum vero abſolute laudatur aut culpatur, permittitur aut vetatur uſura, de trapezitica ideo magis intelligi par eſt, quia per illa tempora in uſu magis frequenti. Sed & privatam pariter etiam complectitur uſuræ laudatio ac vituperatio. Nec enim ſeiungi poſſunt. Si crimen eſt in trapezita uſura, cur erit laudi tribuenda privato? Ne tolerandam quidem in iſto dixero quæ trapezitæ vitio dabitur & crimini. Alioquin poſſet aliquis eadem ratione matronam in adulterio ſemel aut iterū deprehenſam, vel eam quæ aliquoties corpus pretio proſtituiſſet, probā & pudicam dicere, ſolaſq; meretrices ſtuprū ex arte profeſſas impudiciciæ arguere. Idem etiam eſt, ac ſi

quis pro homicidis haberet ſolos ſpeculatores qui publico auctoramēto & auctoritate ſontes decollant, latronem autem & ſicarium multorum hominū cæde cruentum, homicidii reatu abſolveret. Si uſura illicita non eſt iure divino, nulla debet eſſe licita: ſin licita eſt, quo colore ſola quam privati exercent licita erit, trapezitica illicita? Si altera ex his retinenda eſſet, altera reiicienda, longe anteponerem trapeziticam ratione utilitatis, ac merito. Quid enim mea refert, eſſe in civitate plurimos bene nummatos, ſi eorum nummis, quando voluero, uti non potero? quorum arca aliis clauſa ſit, aliis reſerata, ac iiſdē non ſemper? At mea plurimum intereſt, & pluriū quoq;, in urbe, in qua nobis vivendum eſt, vivere etiam homines, apud quos poſſimus, quotieſcunque pecunia ſuperfuerit, eam deponere, frugiferam inde futuram, aut ſi defuerit, unde queamus ſumere, cum illius hominis commodo pariter ac noſtro. Vidi multos, quibus erant otioſi domi nummi, fruſtra laborantes, quærendo quibus illos darent. Rurſum complures mihi cogniti, cum magna ſollicitudine, ſed diu irrita, ſatagentes reperire à quo nummos acciperent fœnore in maxima ſua neceſſitate, quibus tamen ſuppe-
dita-

ditabant abunde omnia ad fidem faciendam neceſſaria. Inducatur in illam urbem trapezita, nemini, niſi qui volet, nummi ſteriles manebũt: & nemo carebit exoptato nummorũ ſubſidio, ubi egere cœperit. Utilitatem huius profeſſionis fœneratoriæ maxime commendat & comprobat, quod maiores illis uſuras capere permiſſum fuit, etiã conſtitutionibus Chriſtianorum principum, quã ullis privatis. Adde quod aliquando certis privatis interdictæ fuere, ut ſenatoribus, Alexandri Mammeæ conſtitutione, ceteris autem minores permiſſæ. Sic invitare voluerunt plures ad eam capeſſendam negotiationem, quæ divitibus pariter ac pauperibus adprime utilis videretur. Eo etiam pertinent alia privilegia eiſdem indulta à Chriſtianis imperatoribus, & quidem maiora quam aliarum rerum mercatoribus. Trapeziticæ autem uſuræ modum eumdem eſſe voluit Iuſtinianus ac mercatoriæ. Quo facto iudicavit, hanc eorum artem profeſſionemque non minus utilitatis & commoditatis adportare reipublicæ quam mercatorum: certe etiam plus, quatenus & maiori favore dignam exiſtimavit, ut prærogativæ teſtantur quas eis luculentiores quam mercatoribus conceſſiſſe ſupra docui-

 mus.

mus. Nihil igitur cauſſæ vel à peritiſſimo quolibet Theologo poteſt afferri, cur trapezitica uſura repudiari debeat, ſi recipitur privata. Cum ſublatam à Baſilio patre uſuram Leo reſtitueret, ut utramque Baſilius ſuſtulerat, ita utramque à Leone conſtat reſtitutam. Nam poſt illa tempora certum eſt, in omnibus urbibus trapezitas artem utramque exercuiſſe, ut antea ſolebant, fœnoris pariter & cambii. Atque ut beſſes uſuras accipiebant ex reformatione Iuſtiniani, ita poſt Leonem *δικεράτους τόκους* acceperunt, qui reſpondent proportione illis beſſibus Iuſtinianeis, quãvis haud paullo maiores ſint, ut in tertio de illis uſuris dicam. Nemo certe unquam fuit veterum aut recentiorum, ſive ad priſcos Iuriſconſultos redeamus, ſive ad antiquos Theologos ac patres, nec excipio pleroſque neotericos doctores Pontificios & Canoniſtas, qui diſtinxerit uſuram trapeziticam & vulgarem, eo ſaltem diſcrimine, ut altera criminoſa ſit, ac turpis, altera culpæ vacua, & honeſta. Lex Moſaica, quę Iudæis inter ipſos fœnus vetat, in extraneos permittit, non diſcrevit trapeziticum à vulgari. Utrumque quippe permiſit quibus permiſſum, & vetuit quibus vetitum. Hinc non tan-

tum

tum hoc ævo, ſed etiam antiquo, ac medio, Iudæi inter Chriſtianos ut plurimũ trapeziticã profeſſi ſunt & exercuerunt, profitentur exercentq;. Aut ipſi ſunt qui Syri vocãtur ab auctoribus extremi imperii tã Græcis quã Latinis, aut certe eorum vicini, ſed Chriſtiani ſi forte, quos auctores in hac arte collybiſtica & fœneratoria præcelluiſſe dicunt. Nihil etiam prohibet, quin illi ipſi quorum menſas in templo evertiſſe traditur Chriſtus ab Euangeliſtis, Iudæi fuerint, quos plerique volunt fuiſſe Græcos aut Romanos gentiles. Nam ſi Iudæis agitare fœnus cum extraneis lege ſua permiſſum eſt, immo etiam cum ſuis, modo egeni non eſſent, ut quibuſdam placet, non video quid obſtet, Iudæorum trapezitarum eas eſſe menſas videri. Poterant menſas exercendo legi ſatisfacere, dantes mutuum gratuitum fratribus ſuis, id eſt, Iudæis, & fœnerantes gentibus ſub uſura. Sic in Græcia terra trapezitæ ſuis amicis ſine fœnore mutuabant, ut conſtat ex Oratione Demoſthenis adverſus Timotheum. Hæc menſa eſt fœneratoria de qua Dominus in parabola minarum apud Lucam, ad quam menſam famulus ille nequam minam à domino acceptam in fœnus ponere debuiſſe dicitur. Hi ſunt iidem trapezitæ, id eſt,

fœneratores, quos Matthæus in parabola eadem aut ſimili de his qui talenta à domino acceperant nominavit, & apud quos talentum ad uſurã deponi potius quam tellure defoſſum ſervari ab illo peſſimo ſervo debuiſſe Chriſtus ibidem pronuntiat. Quo argumento haud male probetur, Chriſtum non improbaſſe uſuram trapeziticam. Nec eſt quod vim huius teli tanquam parabolici nimium eludant aut elevent nonnulli. Nequam appellat ibi ſervum, qui pecuniam domini ſui ſterilem ſervarit, nec ad menſam trapezitæ in fœnus poſuerit. Si illa profeſſio improba & nequã, cur nequitiæ ille ſervus à Chriſto arguitur, qui potius laudandus fuit quod execrandæ artis miniſterio uti noluerit? Menſas illas igitur fœneratorum ſive trapezitarum, quarum in Euangelio mentio, à Iudęis intelligi exercitas, nulla ratio eſt quæ vetet. De trapezitis fœneratoribuſque iiſdem hoc ideo dico, ne quis dubitet eoſdẽ fuiſſe, quod quidam in Epiſtola nuper fecit. Canones denique conciliorum veterum, qui Laicis uſuras, dum non defendunt nominatim, eo ipſo permittunt, tam trapeziticas quam alias comprehendunt. Utraſq; etiam complectuntur illa concilia quibus prohibentur. Riſi etiam ſuaviter, cum in eadem Theo-

Theologi ad me Epiſtola, quem honoris & amicitiæ cauſſa non nomino, ſcriptum offendi, nominatim Eccleſiaſticis interdictum arte trapezitica. Quaſi vero concilium Nicenũ, quo interdicta eſt uſura Clericis, ſolam tantum artem trapeziticam iisdem vetuerit, uſuras vero privatorum modo exercere permiſerit. Periculum ſcilicet erat, ne Epiſcopi eo tempore ad menſas fœnebres ſederent, & nummularii vel argentarii fierent, & publice fœneratoriam menſis in foro poſitis profiterentur, niſi illa prohibitio interceſſiſſet. An, quia ἑκατοστὰς & ἡμιολίας accipere Clerici vetantur decreto ſupraſcriptæ Synodi, arte trapezitica iis interdictum eſſe intelligi debet? At quis unquam olim ullum Epiſcopum trapezitam extitiſſe audivit? Fœnerabantur antea ſtrenue, nec in eo differebant à reliquis mortalibus, ut ex Cypriano conſtat. Id in poſterũ ne ab his fiat, prohibet Synodus, quæ & maximas uſuras, quæ tunc erant Laicis licitæ, ac legitimæ, nominatim iis interdicit, centeſimas & ſeſcuplas, illas in pecuniæ mutuo, has in frugibus, uſitatas tum ac ſollemnes. Non vult videri optimus Theologus, alias uſuras Theologis interdictas præter trapeziticas, & quidem cum trapezitica ſimul arte exercendas.

cendas. At cum canon Nicænus ſolis clericis uſuras Laicas, id eſt, Laicis illo tempore legitime uſurpatas, prohibeat, palam eſt, Laicis non ſolum communes permittere, ſed etiam trapeziticas trapezitis. Iſti quippe etiam ex ordine Laicorum. Enimvero ſi uſuras Clericis etiam permiſiſſent illius Synodi patres, non tamen ex eo colligi poſſet, artem iis trapeziticam tractare indulgeri. Nec ergo prohibitæ his uſuræ de arte trapezitica intelligendæ. Cum enim hæ duæ profeſſiones in tantum ſint diſtinctæ, non poterat aliquis Epiſcopus ſimul eſſe, ac trapezita. Ignoſcendum tamen reor optimo Theologo. Nam hæc eius propria non eſt opinio de trapezitico fœnore Clericis prohibito, ſed aliunde eam hauſit. Certe & præſtantiſſimi Iuriſconſulti in ea ſententia fuere, dum conciliare ſtudent quod alii obiiciebant, Iuſtinianum quidem in Codice uſuras comprobaſſe & tẽperaſſe, ſed in Novellis omnino eas ſuſtuliſſe. Sic enim iſti argutabantur, uſuras à Iuſtiniano in Novellis ſublatas, quia in Novella cxxxi ille imperator probare ſe dicit canones cum aliorum conciliorum, quæ ante ſe habita ſunt, tum etiam canones concilii Nicæni. Atqui, inquiunt, in concilio Nicæno fuerunt

runt uſuræ damnatæ. Ergo Iuſtinianus cum recepit canones concilii Nicæni, etiam per conſequentiã uſuras condemnavit. Ita reſpondent Iuriſconſulti huic obiectioni, eamque ſic diluunt. Verum quidem eſſe, uſuras damnari canone Nicæni concilii, cæterũ eum canonem non loqui de quibuslibet uſuris, ſed tantum de fœnore quod Clerici exercerent. Quæ ineptiſſima eſt reſponſio, licet eã iuris Canonici auctoritate fulciant. Sequeretur inde, ſolam fœnebrem profeſſionem, ac trapeziticam negotiationem Clericis interdictam eſſe, non uſurarum exactionem, eo modo exigendarum, quo ſolebant à privatis, pecuniam ſuam ad uſuram dantibus. Quod eſt falſiſſimum. Ut & illud quod addunt, apparere ex Nicæni canonis verbis, concilium illud loqui de fœnore quod Clerici exercere vellent, quod nihil ad Laicos pertineret. Dicit enim canon, *multos Clericos, avariciæ cauſſa turpia lucra ſectantes, & immemores præcepti divini, quo dictum eſt, qui pecuniam non dedit ad uſuram, fœnerantes exercere centeſimas*, & in poſterum id ſe prohibere dicit. Non loquitur ergo de fœnore nihil ad Laicos pertinente, ſed de uſuris tum legitimis, id eſt, centeſimis, quales & populo accipere permiſſum fuit,

cum

cum trapeziticæ illo ſæculo eſſent ampliores. Similiter idem canon vetat clericos accipere *hemiolias*, id eſt, uſuras frugum tunc Laicis lege conceſſas, id eſt, ſeſcuplas, in duos nimirum modios mutuo datos unum pro acceſſione vel uſura. Quas *hemiolias* vetus verſio apud Gratianum interpretatur, *ſpecies frumentorum ad ſeſcuplum dare*. Quod uſuræ genus in frugibus lege Conſtantini Magni licitum fuiſſe oſtendimus in libro de Modo uſurarum. Certum igitur eſt, Iuſtinianum probando canones Nicæni concilii non improbaſſe uſuras, nec fœnus trapeziticum in Laicis ſed in ſolis Clericis, ut etiam canon ille, eas in his damnavit ſolis, non in Laicis. Trapeziticas eumdem Iuſtinianum adprobaſſe, adparet ex Novella eius & Edictis. περὶ ἀργυροπρατικῶν συναλλαγμάτων, *de contractibus Argentariorum*, hoc eſt, trapezitarum. Quas & determinavit uſque ad beſſes, ut mercatorias. Cæterum quandoquidem fœnus Laicis eadem Synodus licere voluit, cum trapezitæ Laici ſint, tam trapezitis ſuas, id eſt, trapeziticas uſuras, quam cæteris è plebe ſuas quoque, id eſt, communes, conceſſit capiendas. Diſtinxiſſe autem trapeziticas uſuras à communibus Iuſtinianum, & maiores illas

quam

quam iſtas eſſe voluiſſe, non docendi ſunt niſi qui iuris omnis habentur ignariſſimi. Non igitur quod ille ſe vereri ait, vir alia egregius, plus eſt in concluſione mea quam in præmiſſis, ubi dixi, eadem auctoritate, qua nominatim Eccleſiaſticis fœnus interdictum fuit, non plebi tantum uſuras moderatas, ſed Syris etiam Iudæiſque in Republica Chriſtiana munus profitendæ publice fœnerationis permiſſum fuiſſe. Concluſionē eam omnimodo eſſe veram, praxis & uſus eorum temporum clare docet. Nec quiſquā id negare auſit, niſi omniū rerum & antiquitatis imperitiſſimus. Vel omiſſa illa praxi, qua toto Imperii Romani ævo à Conſtantino, ſub quo illa Synodus celebrata eſt & cui ipſe interfuit, uſque ad Iuſtinianum, & reliquos deinceps Conſtantinopolitanos Cæſares, trapezitas libere munus fœnerandi publice exercuiſſe conſtat, an non ex verbis ipſis Synodi rationem eam concluſam habere poſſumus? Vetat Synodus, ne Clerici uſuras accipiant, ἑκατοστὰς nimirum & ἡμιολίας. Has in frugum mutuo, illas in mutuaticia pecunia locum tunc ex lege Conſtantini ipſius habuiſſe, certum eſt. Ergo licitas plebi uſuras, quando non aliter dicit Synodus, Clericis illicitas tantum eſſe ſancit,

quan-

quandoquidem & hoc expreſſe decrevit. Unius excluſio, alterius incluſio eſt. Alias debuiſſet Synodus ſimpliciter decernere, uſuras nemini eſſe licitas. Tum & Eccleſiaſticis pariter & Laicis vetitas fuiſſe, nullo negotio conſtitiſſet. In iſtis tam claris dubitare homines an liceat, omnino miror, quos adeo iurare poſſis ſibimet ipſis oculos mentis ſponte ſua excæcare. Una Gregorii Nyſſæni, quam ſub illa tempora ſcripſit, Canonica de uſuris lecta Epiſtola fidem fecerit, & nos recte concluſiſſe, & non recte ei concluſioni conſentire præſtantiſſimum Theologum. In ea ſcribit Gregorius, nullam à patribus, qui ipſum præceſſerunt, impoſitam uſuris pœnam Ecclcſiaſticam, & *ἀνεπίσκεπτον καὶ ἀτημελητὸν παροφθῆναι τὸ τοιοῦτον εἶδος τοῦ νόσου.* De habendi quidem cupiditate in genere hoc dicit, ſed reſpectu ad rivos ex illo fonte deductos, quibus avaricia ſe oſtendit. Inter eos & fœnus ponit, quod ſine cura & cenſura patribus antiquis relictum perhibet. Et patres videtur intelligere Nicænos, qui ſi interdixiſſent plebi uſuris, etiam pœnā proculdubio transgreſſoribus conſtituiſſent. Operæ pretium porro, verba ex Epiſtola eximii viri adducere, ut liqueat, quid inter nos dividiæ ſit, & quam ratio-

nem

nem habeat diſſentiendi à me. Sic igitur in ea poſuit: *Theologorum Pontificiorum & Canonici iuris doctorum hypocriſin detegi, & larvam detrahi operæ pretium erat, & ex antiquitate demonſtrari, non tantum particulariũ Synodorum Occidentis Orientiſque, ſed etiam Oecumenicorum decretis, quando Eccleſiaſticis illicitum voluerunt eſſe fœnus, non eſſe præiudicatum iuris naturalis & divini æquitati, qua eſt licitus quidam uſuræ modus. Sed vereor ne plus ſit in concluſione quam in præmiſſis, ſi dixeris, eadem auctoritate qua nominatim Eccleſiaſticis arte trapezitica interdictum, non plebi tantum uſuras moderatas, ſed Syris etiam in Republica Chriſtiana tunc temporis munus publicæ profitendæ fœnerationis permiſſum & auctoratum fuiſſe.* Hic error illius eſt, & quidem cum pleriſque communis, qua putant fœnus tantum, id eſt, artem trapeziticam, ſive fœneratoriam profeſſionem ſolã, Clericis Nicæno Canone fuiſſe interdictam. Quo nihil magis fingi ridiculum poteſt. Si ita eſſet, haud melius dari argumentum poſſet, quo probaretur, Laicis fœnus illud fuiſſe permiſſum, id eſt, trapeziticam artem. Nam ſi ſolis Clericis vetitũ, quid ſequitur ex eo aliud quam eſſe conceſſum Laicis? Quod ait, vereri ſe ne plus ſit in mea concluſione quam in præmiſſis, iſta

D for-

formidine illum ſolvam, immo iam ſolvi. Oſtendi enim, quod & in ſequentibus amplius confirmabitur, Syris in Republica Chriſtiana publice profitendæ fœnerationis veniam datam eſſe olim. Quid velit illis verbis, *munus publicæ profitendæ fœnerationis auctoratum fuiſſe Syris*, neſcio. Nec enim Latine dici ſcio *auctoratum* niſi pro vendito & addicto. Sed largiter eſt aliarum rerum quæ in illo ſcripto, ac maioris quidem momenti, reprehendendæ ſint, & grammatica hic non curamus, quæ nec à Theologo requiri debent. Sciat igitur, quod ad rem attinet, vir doctiſſimus, Nicæno Canone Eccleſiaſticis prohibitas eſſe communes tantum uſuras, & quales legitime tum exercebantur à privatis, ut centeſimæ in pecunia, & hemioliæ in frugibus. Si omnem uſuram Clericis illo canone vetitam dicamus, multo magis trapezitica profeſſio & fœneratio illicita illis ſtatuta eſt eodem decreto. Maiores quippe centeſimis uſuras tum iure ſuo ac licito accipiebant trapezitæ. Cum autem & uſuram & fœnus Clericis ſolum licere noluerit Synodus, ex eo concludi poteſt, ac omnino debet, Laicis uſuram cum fœnore eiuſdē Synodi auctoritate licitam relictam. Pergit tamen Theologus, ut peragat me male collegiſſe

legiſſe de uſura plebi & trapezitis profeſſione uſuraria permiſſa. *Dicam*, inquit, *amplius, quamvis arrideat vindicata à canoniſtarum fermento antiquitatis Eccleſiaſticæ conſtitutio, nihil tamen inde affirmative concludi poſſe pro uſuris, nedum pro Syrorum profeſſione fœneratoria, non magis quam ex Canone Apoſtolico* ἐγγράφῳ, *quo iubet Paulus Epiſcopum eſſe* μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα, *concludi poteſt, Apoſtolum liberam Laicis polygamiam reliquiſſe.* Accipio omen, & conditionem. Nec renuo, ſi non bene concluditur ex dicto Apoſtoli, liberam eſſe relictam Laicis eam, de qua intellexit, polygamiam, quin etiam inepta mea cenſeatur concluſio de uſuris plebi licitis à Canone Nicæno dimiſſis, quandoquidem ſolis Clericis eas illicitas fuiſſe vult. Eadem ratiocinatione utrumque elicitur. Apoſtolus in Epiſcopo requirit ut ſit unius uxoris vir. Non idem ergo exigebatur in Laicis. Nihil enim eorum quæ ab Epiſcopo abeſſe vult Paulus, in privatis vindicandum fuit, & lege puniendum quaſi vetitum. Non vult eum eſſe πάροινον, neque πλήκτην, neque αἰσχροκερδῆ. *Non ebrioſum, non plagoſum, neque lucri turpis cupidum.* Inhoneſta hæc quidem etiam in privato, non tamen legibus vindicata, nec habita ſupplicio digna. Ita ergo quod præci-

 pit

pit ut Epiſcopus unius ſit uxoris vir, non indicat id habere illum non debere, quod in Laico leges punirent ſi id haberet. Non itaque tum lege vetitum fuit Laicis plurium eſſe uxorum viris eo modo quo Apoſtolus intellexit, quamvis in Epiſcopo exigat ne ſit plurium maritus, ſed unius. Maiores quippe in Epiſcopo virtutes quam in Laicis cum requirat, etiam maiorem continentiam & caſtimoniam requirere manifeſtum eſt. Non tamen talis incontinentia qualem in Epiſcopo improbat, in Laico legibus fuiſſe condemnata videtur. Nihil enim magnum ab Epiſcopo exigeret, ſi huiuſmodi eum vitiis obnoxium eſſe nollet, quæ Lex ne privatis quidem licita eſſe vellet. Igitur cum præſcribit Epiſcopo ut unius ſit uxoris vir, licuiſſe oſtendit cuilibet de plebe, plures habere uxores. Quomodo? Non per bigamiam aut polygamiam cumulativam, ſed per ſucceſſivam. Nemini enim per ea tempora licuit in imperio Romano ex lege Iulia duas aut plures uxores ducere. Nec eſt quod quis mihi Iudæos opponat, aut eorum morem, qui videntur tunc etiam paruiſſe, quantum ad hoc, Romanis legibus, ut alibi probamus. Nuſquam illis exprobatam legimus à Domino in Euangelio polygamiam cumulati-

mulativam. Quod ſine dubio feciſſet, ſi eo tempore inter ipſos in uſu fuiſſet ac more. Longe enim magis hæc polygamiæ ſpecies adverſatur legi morali ac naturali unius uxoris habendæ, quam Deus in creatione homini fixit, quam ſucceſſiva, quæ per repudium introducitur. Videmus tamen, repudia quam ſevere à Domino reprehendantur, quæ propter duritiam cordis à Moſe remiſſa eſſe Iudæis monſtrat, cum à principio non fuiſſet ſic. Sed largiamur, paſſivam illo in ævo huius polygamiæ licentiam fuiſſe uſurpatam, nihil argumentum iſtud hic valet. Non enim Iudæis hæc ſcribit Paulus, ſed Chriſtianis, qui maximam partem ex gentibus conſtabant, Græcis Romaniſque; apud quos ſi tunc temporis bigamiam aut polygamiam cumulativam in uſu aut more fuiſſe poteſt quis mihi oſtendere, verbum contra non addam. Hæc Epiſtola Pauli ad Timotheum dirigitur, qui Græcus fuit. Non igitur veriſimile, illi pręcepta dediſſe Paulum circa Epiſcopos ordinandos quæ tantum ad Iudæos valerent, cum maximus numerus è Græcis & Romanis ad Chriſtianiſmũ quotidie adflueret. Pręterea Paulus, Apoſtolus gentium audiebat. Non igitur gentibus ea præſcriberet, quę nihil cum

eorum moribus facerent, aut legibus. Quid enim opus præcipere ut Epiſcopus unius uxoris vir eſſet, cum per leges liceret nemini ex gentibus ſub Imperio Romano conſtitutis pluribus uxoribus iungi? Fruſtra præciperet Epiſcopo ne eſſet, quod eſſe impune nõ licebat nec Laico. Talis igitur hic polygamia intelligenda quæ Laico per leges licita, Epiſcopo per Paulum illicita, quia maior in Epiſcopo requirebatur quã in plebeio continentiæ & temperantiæ virtus. Vis adhuc aliud argumentum quo magis ita exponi debere credas? Nonne idem eſt, cum Apoſtolus idem cenſet, viduas in ordinem ſacrum, diaconiſſarum munere functuras, adlegi oportere quæ unius viri fuerint uxores, ἑνὸς ἀνδρὸς γεγονῦαι γυναῖκες? Non poſſe ibi accipi certum eſt de polygamia cumulativa mulierum. Nulla enim mulier potuit habere tunc plures ſimul maritos. Si in vidua diaconiſſa futura hoc expetit Apoſtolus ut unius uxor viri fuerit, quanto magis Epiſcopus adeo continens deſideratur, ut unius uxoris fuerit aut ſit maritus, non cumulative, ſed ſucceſſive? Ut dicit Apoſtolus de vidua, ἑνὸς ἀνδρὸς γεγονῦα γυνὴ, quæ uxor unius viri fuerit, ita Clemens in conſtitutionibus Apoſtolicis ait de Epiſcopo, debere eſ-

re eſſe, ut idoneus electioni ſit, *μιᾶς ἄνδρα γεγενημένον γυναικὸς μονογάμου.* Ita vult ergo eum univiræ uxoris maritum eſſe, ut ipſe non minus ſit, nec alio modo, unius uxoris vir, quam uxor eius unius viri coniux. Utrumque enim *μονόγαμον* debere eſſe ſentit. Ergo de ea polygamia Apoſtolus accipiendus, quæ non plures ſimul uxores uni viro addicit, nec plures viros uni uxori uno eodemque tempore, ſed per ſucceſſionem, unum aut unam, poſt alium aut aliam. Non *διγάμους*, ſed *δευτερογάμους* arcet Paulus ab Epiſcopatu. Duplici modo aliquis fit *δευτερόγαμος*, vel repudiata uxore, vel mortua. Si mortua uxor, & altera ſuperducta, *δευτερόγαμον* facit, & proinde ab Epiſcopatu per canonem Apoſtoli reiectaneum: etiam legitime repudiata ex præſcripto Chriſti propter adulterium *δευτερόγαμον* & *πολύγαμον* inducit. Nec aliter acceperunt veteris Eccleſiæ patres qua Orientalis qua Occidentalis, neque etiam aliter uſa eſt utraque Eccleſia Græca & Romana univerſa, neque hodie nunc utitur, in Epiſcopis eligendis & ordinandis. Cum omnia per baptiſmum peccata & delicta prioris vitæ tollerentur, ne iteratæ quidem ante baptiſmum nuptiæ, & proinde baptiſmo

purgatæ tollebant nodum moramque ad Epiſcopatum adpetendum, & petendum. Qua de re verba Ambroſii in lib. 1. Officiorum cap. 1. luculenta hæc ſunt: *De caſtimonia autem quid loquar? quando una tantum nec repetita permittitur copula? Et in ipſo ergo coniugio Lex eſt non iterare coniugium, nec ſecundæ coniugis ſortiri coniunctionem. Quod pleriſque mirum videtur, cum etiam ante baptiſmum iterato coniugio ad electionem muneris, & electionis prærogativam impedimenta generentur, cum etiam delicta obeſſe non ſoleant, ſi lavacri remiſſa fuerint ſacramento.* Plura parcam teſtimonia patrum congere, quæ ad manum ſunt, ad locum Apoſtoli ipſum referenda. Quem vellem non ita tacitum præteriſſet vir doctus qui Notas nuper ad Novum teſtamentum publicavit. Merebatur hæc quæſtio ut eam ſua diſcuſſione dignam iudicaret. Sed quod ille non præſtitit, nos dabimus, ſi Deus vitam. Secundum patres igitur & univerſam univerſalis Eccleſiæ praxin habitus eſt δευτερόγαμος, & proinde parum Epiſcopatui idoneus, non tantum ſi quis ſive bene ſive male repudiatæ uxori alteram ſuperduceret, ſed etiam ſi defunctæ. Quod teſtantur hæc Chryſoſtomi verba ex Epiſt. ad Titum cap. 1. Homil. 11. καὶ τοῦ ἀσελγεῖς κολά-

κολάζων, καὶ οὐκ ἀφεὶς μετὰ δευτέρου γάμου τὴν ἀρχὴν ἐγχειρίζεσθαι ταύτην. ὁ γὰρ πρὸς τὴν ἀπελθοῦσαν μηδεμίαν φυλάξας εὔνοιαν, πῶς ἂν οὗτος γένοιτο προστάτης καλός; τίνα οὐκ ἂν ὑποσταίη κατηγορίαν; ἴστε γὰρ πάντες, ἴστε, εἰ καὶ μὴ κεκώλυται δευτέροις ὁμιλεῖν γάμοις, ἀλλ' ὅμως πολλὰς ἔχει τὸ πρᾶγμα κατηγορίας. Οὐδεμίαν οὖν παρέχειν λαβὴν τοῖς ἀρχομένοις τὸν ἄρχοντα βούλεται. *Laſcivos etiam coërcens, nec permittens, ut quis poſt ſecundas nuptias ad hanc dignitatem promoveatur. Qui enim erga defunctam nullum ſervavit benevolentiæ adfectum, quomodo hic præſes idoneus eſſet? Quam ille non ſuſtineret reprehenſionis notam? Noſtis quippe omnes, noſtis, quod tametſi vetitum non ſit ſecundis copulari nuptiis, multas tamen hæc res habeat criminationum cauſas. Nullam igitur reprehendendi anſam præbere vult eũ qui regimen habet illis qui regimini ſubiecti ſunt.* Egregius omnino locus, ad id quod probari volumus, efficiendum. Sed verba illa in Græcis, ὁ πρὸς τὴν ἀπελθοῦσαν οὐδεμίαν φυλάξας εὔνοιαν, viri docti perperam verterunt Latine, *qui erga eam quæ repudiata diſceſſit nullam ſervavit benevolentiam.* Atqui debuerunt, *erga mortuam*, vertere. Nam ἀπελθοῦσα eſt defuncta, quæ fato deceſſit, non quæ diſceſſit repudio. Nec aliter exponenda Theodoreti verba, πρὸς τὴν ἀπελθοῦ-

σαν. Nam dicebant, *ἀπῆλθε, βέβηκε*, de eo qui obiiſſet, ut nos pluribus alibi adſtruemus. Quod genus loquendi adeo tritum Gręcis fuit & familiare, ut etiam poſtremi imperii auctores paſſim eo uſi ſint. Unde apud Iuriſconſultos Græcos infimę ætatis: *εἰ γυνὴ προαπέλθῃ. Si mulier prius decedat.* Optimum igitur ac validum noſtrum argumentū, quo firmavimus, canone Nicæni concilii non interdictas eſſe uſuras Laicis, quia vetitæ tantum ſunt Clericis. Simile eſt & illud quod ex Paulo elicitur, quia ſecundas nuptias in Epiſcoporum ac Preſbyterorum ordinem adſumendis vetitas eſſe voluit, eo ipſo intellexiſſe permiſſas Laicis. Et profecto, ſi, quod Clericis nominatim ac ſeorſim vetitum per canones legitur, intelligeretur idem Laicis interdictum, nihil obſtaret quin & ſimiliter Laicis ſolis interdicta etiam Clericos obſtringerent. Quod nullo modo probabile videri poteſt. Quam multa canones Eccleſiaſtici ordinis viris vetita eſſe ſanxerunt quæ permiſſa plebi nihilominus voluere? Codex canonum Eccleſiæ Africanæ prohibet, *ne Clerici edendi vel bibendi cauſſa tabernas ingrediantur.* An & Laici ſimul tabernas eo canone ingredi prohibiti? Nequaquam. Canon Laodicenus

in

in ſimili prohibitione omnes gradus Eccleſiaſtici ordinis recenſet à ſummo ad infimum: ὅτι οὐ δεῖ τοὺς ἱερατικοὺς ἀπὸ πρεσβυτέρων ἕως διακόνων καὶ ἑξῆς τῆς ἐκκλησιαστικῆς τάξεως ἕως ὑπηρετῶν, ἢ ἀναγνωστῶν ἢ ψαλτῶν, ἢ ἐξορκιστῶν, ἢ θυρωρῶν, ἢ τοῦ τάγματος τῶν ἀσκητῶν, εἰς καπηλεῖον εἰσιέναι. Ergo ſolis Clericis, non etiam Laicis, vetitum illis canonibus tabernas ingredi. De aliis ſexcentis idem dici poſſet. Sed maxime ſimile eſt quod in Synodo Chalcedonenſi vetitum eſt, ne in clerum cooptati, redemptores & mancipes fiant alienarum poſſeſſionum, & ſecularium negotiorum procurationes ſuſcipiant. Eodem quippe modo conceptus & ille canon tertius ſupraſcriptæ Synodi de ſæcularium negotiorum adminiſtratione prohibenda Clericis, atque ille Nicænus XVII de uſura iiſdem interdicenda. In canone Nicæno ita ſcribitur: *Quoniam multi ſub regula conſtituti avariciam & turpia lucra ſectantur, oblitique divinæ ſcripturæ, dicentis, qui pecuniam ſuam dedit ad uſuram, mutuum dantes, centeſimas exigunt.* In Chalcedonenſi ad hunc modum: *Pervenit ad ſanctam Synodum, quod quidam qui in Clero videntur allecti, propter turpia lucra conductores alienarum poſſeſſionum fiant, & ſecularia negotia ſub cura ſua ſuſcipiant, Dei quidem*

quidem miniſterium parvi pendentes, ſæcularium vero diſcurrentes domos, & propter avariciam patrimoniorum ſollicitudines adſumentes. Sequuntur in Nicæno verba prohibitionis uſurarum ſolis Clericis vetandarum: *Iuſte cenſuit ſancta & magna Synodus, ut, ſi quis inventus fuerit poſt hanc definitionem uſuras accipiens, deiiciatur à Clero, & alienus exiſtat à regula.* Eodem modo & Chalcedonenſis Synodus in ſupra ſcripto canone procurationes & redemptiones conductionesve alienorum bonorum, ita Clericis interdixit, ſolis utique, quia nunquam tale quid Laicis vetitum legitur, neque ſane potuit: *Decrevit itaq; ſanctum hoc magnumq; concilium, nullum deinceps non Epiſcopum, non Clericum vel monachum, aut poſſeſſiones conducere aut negotiis ſæcularibus ſe miſcere.* Cum Africanæ Synodi canon decrevit, ut Clerici ab uxoribus abſtinerent, &, niſi facerent, ab Eccleſiaſtico removerentur officio, an putandum etiam Laicos ea ſanctione conſtrictos fuiſſe ut ab uxoribus ſuis continerent? Vide canonem LXX in Codice Eccleſiæ Africanæ. Pudet in re adeo indubitata & extra omnem controverſiam poſita tot verba perdere. Sed quid facies huiuſmodi hominibus quibus nihil ſatis lucet, & qui in ipſo meridie negarent ſe videre? An credimus

mus ſolem ſatis lucidum clarumque talibus apparere? Cum aliquid prohibetur Synodorum decretis quod utrumque ordinem debeat obligare, Eccleſiaſticum & Laicum, uterque expreſſe nominari ſolet. Nec unquam aliter. Ut cum Laodicenæ Synodi canon Clericis ſimul Laicisque prohibitum vellet, ne de conviviis quæ ex agapa fiebant, partes acciperent, ita ſanxit: *Quod non oporteat ſacro miniſterio deditos Clericos aut Laicos ad Agapen vocatos, ciborum partem accipere, propterea quod huic Eccleſiaſtico ordini fiat iniuria.* Ita vertit Dionyſius Exiguus. In Græco habetur: ὅτι οὐ δεῖ ἱερατικοὺς, ἢ κληρικοὺς, ἢ λαϊκοὺς καλουμένους εἰς ἀγάπην μέρη αἴρειν. Diſtinguere ſolet illa Synodus ἱερατικοὺς ſic proprie dictos ἀπὸ τῶν κληρικῶν. Per ἱερατικοὺς intelligit, Epiſcopos, Preſbyteros & Diaconos, & qui *in ſacris* hodie eſſe dicuntur. Per κληρικοὺς reliquum numerum minorum ordinum qui in Clero erant conſtituti, & ſub regula, ut erant ſubdiaconi, lectores, cantores, exorciſtæ, & oſtiarii. Cum igitur dixit eadem Synodus, μὴ δεῖν τοὺς ἱερατικοὺς δανείζειν, ad ſolos Epiſcopos, preſbyteros & diaconos eam prohibitionem extendit, non etiam ad inferiores ordines ſuperius memoratos. Et ſane ſolos illos quos dixi tres ordi-

ordines ab uſuris abſtinere nominatim, etiam decrevere canones qui Apoſtolis tribuuntur: Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, τόκους ἀπαιτῶν τοὺς δανειζομένους, ἢ παυσάσθω, ἢ καθαιρείσθω. Ergo cæteris qui non nominantur ex Clero uſuras accipere permiſſum. Concilium ſextum in Trullo hos tres ſolos priores gradus ordinis Eccleſiaſtici ab uſuris abſtinere cenſuit, quos & nominatim ſignificavit canone x: ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος ἢ διάκονος τόκους ἢ τὰς λεγομένας ἑκατοστὰς λαμβάνων ἢ παυσάσθω, ἢ καθαιρείσθω. Laodicenæ Synodi decretum magis videtur expreſſiſſe quam Nicænæ. Nam per ἱερατικοὺς ſolos illos tres gradus intellexit Laodicena. At in Nicæno τοῖς ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζομένοις, ſub regula conſtitutis omnibus, uſura interdicitur. Qua loquutione certũ eſt omnes deſignari qui in ordine ſunt Eccleſiaſtico, tam ſuperiorum quam inferiorum claſſium. Nam in canone XV Laodiceno κανονικοὶ ψαλταὶ dicuntur qui ex canone ſunt Eccleſiæ, id eſt, ex Clero, à privatis eo nomine diſtincti. Et *canonicæ Epiſtolæ* vocantur quæ datæ Clericis ad Clericos. Et *canonicum negotium* Iuſtiniano Novella CXV pro Eccleſiaſtico: *Si de negotio Eccleſiaſtico, id eſt, canonico cauſſa emerſerit.* Omnes denique

Cle-

Clerici, *canonici* olim dicti, ut alibi docebo, qui in canone Eccleſiæ conſtituti, id eſt, in Clero. Apud Sozomenum Pœnitentiarius dicitur τῷ κανόνι προστεθεῖσθαι, id eſt, adiunctus eſſe Clero, ſive ἐκκλησιαστικῷ τάγματι. Interpres novitius Epiphanii ridicule canonem eſſe novum factum dicit de inſtituendo Pœnitentiario. Omnibus ergo Clericis tam infimi ordinis quam ſupremi prohibitæ uſuræ canone illo Nicæno. Infimis canonicis, id eſt, Clericis, permiſſas eas, canones Apoſtolorum, Laodicenus & Trullenſis, adſtruunt. Multo minus Laicis prohibitæ ſunt, ſiquidem eas Clericis minoris ordinis permiſſas conſtat veterum canonum ſanctionibus. Alias nomine κληρικῶν generalius ſumpto omnis ordo Eccleſiaſticus intelligitur. Solent etiam aliquando ἱερατικὸν κατάλογον dicere de ordine univerſo. At in Laodicena Synodo ita ἱερατικοὶ, ut dixi, diſtinguuntur ἀπὸ κληρικῶν. Verum de his alibi fuſius in libro de ordine Eccleſiaſtico. Iidem porro canones Apoſtolorum, cum quid prohibendum eſt quo teneri debeat tam plebs quam ordo ſacer, utrumque pariter exprimunt. ut Can. LXIV. Εἴ τις κληρικὸς ἢ λαϊκὸς εἰσέλθῃ εἰς συναγωγὴν Ἰουδαίων ἢ αἱρετικῶν προσεύξασθαι, καὶ καθαιρείσθω, καὶ ἀφο-

ἀφοριζέσθω. In qua ſanctione, καθαιρεῖσθαι ad Clericos pertinet, ἀφορίζεσθαι ad Laicos. Item Can. LXXII. Εἴ τις κληρικὸς, ἢ λαϊκὸς ἀπὸ τῆς ἁγίας ἐκκλησίας ἀφέληται κηρὸν, ἔλαιον, ἀφοριζέσθω. Plura exempla poterunt colligere quibus id erit curæ. Nobis otium non eſt plura congerere, nec ſane opus eſt in re tam clara. Quid enim manifeſtius, quam ubi Clerici ſoli nominantur ſolos debere intelligi? Ubi item ſoli Laici, non poſſe id nomen etiam ad Clericos porrigi? At in decretis quæ utroſque attinent, utroſque ſolere nominatim exprimi. Conſuevere patres & χριστιανοὺς in pleriſque conciliis dicere, cum generaliter aliquid ſanciunt quod univerſos teneat, & præcipue plebem Chriſtianam. Sic in canone Laodiceno XXIX. Ὅτι οὐ δεῖ χριστιανοὺς ἰουδαΐζειν καὶ ἐν τῷ σαββάτῳ σχολάζειν, ἀλλ' ἐργάζεσθαι αὐτοὺς ἐν τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ. *Quod non oporteat Chriſtianos iudaizare, & otiari in ſabbato, ſed operari eos in eodem die.* Eadem Synodus in ſequenti canone, ubi vetuit ne Clerici in iiſdem balneis lavacrum cum mulieribus uſurparent, etiam ad omnem Chriſtianum ſive Laicum id extendit: Ὅτι οὐ δεῖ ἱερατικοὺς, ἢ κληρικοὺς, ἢ ἀσκητὰς ἐν βαλανείῳ μετὰ γυναικῶν ἀπολούεσθαι, μηδ' ὅλως χριστιανὸν, ἢ λαϊκόν. Quæ ſic vertit Diony-

ſius: *Quod non oporteat ſacris officiis deditos, aut Clericos, aut continentes, vel omnem Laicum Chriſtianum lavacra cum mulieribus celebrare.* Si ergo concilium Nicęnũ omnibus Chriſtianis interdictas uſuras voluiſſet, non ſolos Clericos nominaſſet; ſed cum Clericis etiam Laicos, vel generali ſanctione χριστιανοὺς dixiſſet. In Apoſtolicis canonibus ſæpe pro eodem hæc ponuntur, εἴ τις λαϊκὸς, & εἴ τις χριστιανός. Hoc tamen videtur generalius. Ideo in Lacodiceno ſcribitur, μηδ᾽ ὅλως χριστιανὸν, ἢ λαϊκόν. Aut ut in quibuſdam libris legitur, μηδὲ πάντα χριστιανόν. Si quæ Concilia uſuram ac fœnus utriſque interdixerunt, plebem & Eccleſiaſticos pariter complexi ſunt, ut Eliberitanum, can. xx. *Si quis Clericorum detectus fuerit uſuras accipere, placuit degradari, & abſtinere.* Si hîc ſtetiſſet, quis putaret aliis quam Clericis per illa verba vetitas uſuras accipere? Addit & de Laicis. *Si quis etiam Laicus accepiſſe probatur uſuras, & promiſerit correptus ſe iam ceſſaturum, nec ulterius exacturum, placet ei veniam tribui. Si vero in ea iniquitate duraverit, ab Eccleſia ſciat ſe eſſe proiiciendum.* Quod tamen additamentum, ut verũ fatear, valde mihi ſuſpectum eſt, & adſutum videtur poſt illa tempora quibus Pontifices Romani uſuras etiam

 plebi

plebi interdixere,& ſummam in Occidentis partibus auctoritatem obtinuere. Nulla enim circa illud ſæculum Synodus,ſive τοπικὴ fuerit,ſive οἰκουμενικὴ, uſuram cenſuit populo prohibendam,non in Oriente modo habita, ſed & in Occidente. De quo nos ad ipſum illud concilium Eliberitanum plura. Ut ut ſit, etiam ſi vera detur eſſe illa additio de uſuris plebi vetitis, non tamen generalibus Synodis ea particularis prævalere debet. Et Nicænæ longe præcellit auctoritas, cuius ſtatutis omnes patres Eccleſiæ ſequentis acquieſcendum cenſuerunt. Omnia ergo alia concilia quæ ſolos Clericos in ea prohibitione comprehenderunt, ſolis Clericis eas voluerunt vetitas, ut canones Apoſtolorum, concilium Nicænum, Laodicenum, Sextum in Trullo, Carthaginenſe, & alia. Nec aliter omnino poteſt accipi, niſi ab illis qui Clericos eoſdem eſſe cum Laicis,aut Clericorum nomine etiam Laicos comprehendi putarunt. Quod nemini, qui ſanum habeat ſinciput, in mentem venire poſſe credibile eſt. In concilio Arelatenſi primo ſancitur,canone XII, *ut Clerici fæneratores excommunicentur.* Hic titulus fuit. Sequitur ipſa ſanctio: *De miniſtris qui fænerant, placuit eos iuxta formam divinitus*

datam

datam à communione abſtineri. Cum de Laicis tacuerit, apparet noluiſſe Synodum hoc illis prohiberi, ſed ſolos ἀκοινωνήτους eſſe Clericos qui fœnerarentur. Cum canon quartus Laodicenæ decrevit, μὴ δεῖν τοὺς ἱερατικοὺς δανείζειν, nec περὶ λαϊκῶν quicquam tale dicit, an non clarum eſt argumentum, ſolos ſacri ordinis viros illa interdictione includi? Niſi fortaſſe placeat doctiſſimis Theologis etiam ἱερατικῶν ſignificationem ad plebem ipſam extendere. Tota id Græcia tenuit & omnis Oriens qui ſub quattuor patriarchis fuit, ut nimirum iuxta id quod à concilio univerſali primo ſuper uſuris definitum fuerat, & à Sexto in Trullo confirmatum, ſolis Clericis vetitę eæ crederentur, Laicis permiſſæ. Idque etiamnunc obſervant omnes Gręcię & Oriētis Eccleſiæ. In Occidente alius mos & aliud ius invaluit ex Pontificum decretis, poſtquam eorum auctoritas per Occidentis Eccleſias ita conſtabilita eſt, ut pro lege valeret in articulū fidei tranſitura quidquid conſtituiſſent. Hinc omnia concilia quæ in Occidente celebrata ſunt poſtquam Pontificium iugum ſubiit, uſuras æque Laicis & Clericis prohibuere, quia Leo primus idem ſtatuerat. Aliter tamen viſum fuit conci-

lii Agathenſis primi & aliorum antiquiorum patribus, ne de Nicæno primo Oecumenico moveam queſtionem, cuius auctoritati præiudicare non potuerunt Pontificum Romanorum decreta. Ut nihil etiam dicam de canonibus Apoſtolorũ, quos ipſi pro germanis habent, qui in ſolis Clericis uſuras damnant. Decretis tamen illis Pontificalibus nihil aliud effectum eſt, quam ut fœnus ſub lio nomine in Eccleſiis Occidentalibus frequentaretur, dum pro uſuris induit appellationem *Redituum annuorum*. Sic enim collibitum eſt Caniſtis rem vetitam Pontificum ſuorum canonibus, facere non vetitam, nomine tantum mutato. Sic fures ſolent. Immutant formam vel characterem rerum quas furto ſurripuerunt, ut celentur. Materia eadem manet ſub alio titulo diſſimulata, quæ idem habet precium. Quo ſolo argumento comprobari poteſt, quam inexpugnabili neceſſitate retinendarum uſurarum conſtringatur orbis Chriſtianus, ut quibus carere non poſſit, quamvis perſuaſus, eas pugnare cum verbo divino. Græci ſimplicius & apertius, qui tyrannide illa oppreſſi non fuere, uſuras liberas plebi Chriſtianæ reliquerunt, quas πολιτεία permittebat. Eas tantum Clericis abſtulere

lere, quos decuit eſſe perfectiores. Ita Nicænum concilium conſtituit, ita praxis in Eccleſiis omnibus Orientis retinuit. Hinc Photius in Nomocanone Tit. IX, de peccatis Epiſcoporum, cap. XXVII, recenſet inter vitia Clericorum, non ſolum uſuram, ſed etiam omne lucrum ſordidum. Nam cum uſuris omnis negotiatio, & procuratio alienorum bonorum ipſis per canones interdicta. περὶ κληρικῶν τοκιζόντων ἢ λαμβανόντων ἡμιολίας, ἢ ἕτερον αἰσχρὸν ἑαυτοῖς ἐπινοούντων κέρδος. Notatque in ipſo textu, prohibitionem uſurarum Clericis factam canonibus Apoſtolorum & Nicæno aliiſque, ſolum fœnus reſpicere, quod ex mutuo & pacto accipitur, non eas uſuras quæ tacite ex mora debentur in bonæ fidei contractibus. Ἡ δὲ κώλυσις, inquit, τοῦ λαμβάνειν κληρικὸν τόκους, ἐμοὶ φαίνεται πανταχῆ περὶ τῶν ἀπὸ τοῦ δανείου, ἤγουν συμφώνων λελέχθαι, οὐ μὴν ἐπὶ τῶν σιωπηρῶς ἁρμοζόντων ἐξ ὑπερθέσεως, ἐπὶ τῶν βονάφιδε ἀγωγῶν. Sunt & uſuræ quas ἐκ τοῦ διαφέροντος Græci vocant, Latini, *id quod intereſt.* Ante Photium tamen nemo fuit ex Canoniſtis Græcis, qui vel has uſuras quæ ex mora debentur, & pro eo quod intereſt, in bonæ fidei iudiciis, permitti ex canonibus Clericorum ordini crederet. Cum

enim τόκους generaliter Clericis vetitos definiſſet concilium, & τόκοι etiam vocentur qui debentur ex mora & pro eo quod intereſt, antiqui Canoniſtæ & has etiam uſuras Eccleſiaſtico ordini illicitas ſtatuerunt. Photius in alia ſententia fuit, & rigorem illum interpretationis emollivit, ut notat Balſamon in ſcholiis ad eius Nomocanonem: Εὐχαριστητέον, inquit, τῷ Πατριάρχῃ Φωτίῳ καλῶς ἑρμηνεύσαντι, ἀπαιτεῖν εἰς διαφέρον τόκους, τοὺς ἐπισκόπους καὶ τοὺς κληρικούς. Canoniſtæ etiam Pontificii multos caſus admittunt in quibus liceat præter ſortem aliquid accipere ubi illud διαφέρον locum habet, tam in contractibus innominatis, quam aliis, & his præcipue quibus bonæ fidei nomen inditum eſt. Uſuras eas nominare religioni habent, ſed eſſe aliquid dicunt quod præter ſortem accipitur. De quorum ineptiis nos alibi fuſius in tertio volumine de uſuris Iuſtinianeis. Ita ergo & Photius patriarcha interpretatus eſt, exigere poſſe Clericos τόκους ἀπὸ διαφέροντος, καὶ τοὺς ἐξ ὑπερθέσεως. Idem in Titulo XIII, de peccatis Laicorum, non recenſuit in illis fœnus, nec uſuras, quia inter peccata Laicorum nec uſuræ, nec fœnus trapeziticum locum habuere. Balſamo Patriarcha in reſponſionibus ad quæ-

quæſita variorum canonicis, diſerte tradit, uſuras Laicis permiſſas eſſe, Clericis ſolis vetitas. Ad queſtionẽ enim ipſi propoſitã, utrũ ἀκίνδυνον eſſet, τοῖς ἱερωμένοις καὶ μέντοι καὶ λαϊκοῖς ἐπὶ τόκῳ δανείζειν, ἢ μᾶλλον ὀλέθριον, reſpondet, νόμον πολιτικὸν, legem civilem uſuras agnoſcere, ſed ad Clericos quod attinet, omnino ab uſuris eos abſtinere debere. Καὶ ταῦτα μὲν, inquit, περὶ λαϊκῶν, τοὺς ἱερωμένους δὲ τοκίζειν παντελῶς ἀπηγόρευται. Citat deinde canonas Apoſtolorum & conciliorum, qui ſolis Clericis uſuras interdixere. Nullum igitur ſuper hoc amplius reſtat dubium, quin Laicis in primitiva Eccleſia non ſolum τοκίζειν, ſed etiam τραπεζιτεύειν licuerit, cum utrumque interdictum fuerit Clericis. Nec alia ratione id illis fuiſſe prohibitum liquet, quam mercaturis & negotiationibus operam dare, & aliis artibus lucrum pro fine ſibi proponentibus. Apud Euſebium in hiſtoria Eccleſiaſtica lib. VI. cap. XVII. Apollonius Montanum illum ſectæ τῆς κατὰ Φρύγας nominatæ conditorem arguit, quod inter alia multa quæ indigna propheta, qualem haberi volebat, faceret, etiam fœneraretur. Ἀναγκαῖον δὲ ἐστι, πάντας καρποὺς δοκιμάζεσθαι προφήτου. Προφήτης εἰπέ μοι βάπτεται; προφήτης στιβίζεται; προφήτης φιλοκοσμεῖ; προ-

προφήτης τάβλαις ἢ κύβοις παίζει; προφήτης δανείζει; ταῦτα ὁμολογησάτωσαν, πότερον ἔξεστιν, ἢ μή. *Neceſſe vero eſt, omnes fructus prophetæ examinare. Propheta, dic mihi, an capillum tingit? An propheta oculos ſtibio oblinit? An munditias veſtium propheta ſectatur? An tabula & teſſeris ludit propheta? An fœneratur propheta? Dicant mihi utrum iſta liceant, an non?* Quod prophetæ non licuiſſe dicit, certe nec Epiſcopo, nec preſbytero, nec miniſtro. Queritur Gregorius Nyſſenus in Epiſtola ad Latoium canonica, ne examinari quidem ſolitos ſuo tempore qui in ſacrum ordinem adlegerentur, utrum hoc vitio avariciæ tenerentur. Καὶ ὅμως, inquit, τὸ τοιοῦτον εἶδος παρώφθη τῆς νόσου ἀνεπίσκεπτόν τε καὶ ἀτημέλητον. διὸ καὶ πλεονάζει κατὰ τῆς ἐκκλησίας τὸ τοιοῦτον ἀῤῥώστημα, καὶ οὐδεὶς περὶ τοὺς ἐπὶ κλῆρον ἀγομένους περιεργάζεται, μήπως τῷ τοιούτῳ εἴδει τῆς εἰδωλολατρείας κατεμιάνθησαν. Baſilius in Epiſtola canonica ad Amphilochium ſancit, eum qui uſuras accipit, ſi ſuſtinuerit quæſtum quem inde fecerit, in pauperes expendere, & ab avariciæ morbo deinceps liberari, poſſe ad ſacerdotium admitti. Ὁ τόκους λαμβάνων, ἐὰν καταδέξηται τὸ ἄδικον κέρδος εἰς πτωχοὺς ἀναλῶσαι, καὶ τοῦ λοιποῦ τοῦ νοσήματος τῆς φιλοχρηματίας ἀπαλλαγῆναι, δεκτός ἐστιν εἰς ἱερωσύνην.

Ergo

Ergo cuivis è plebe tunc qui non curaret ad ſacros ordines admitti, licuit uſuram accipere & fœnus exercere. Quibus renuntiare eum oportebat, & lucrum inde quæſitum pauperibus elargiri, qui vellet ad Eccleſiaſticū ordinem promoveri. Clemens in conſtitutionibus Apoſtolicis, de falſis viduis quæ in numerum diaconiſſarum cooptabantur, memorat inter ea quæ turpiter facerent, & contra decorum ordinis ſacri, quod etiam pecuniis quærendis inhiarent, & ſub graviſſimis uſuris fœnerarentur, quibus debebant ſufficere ſtipendia quæ ab Eccleſia accipiebant. Δέον γὰρ αὐτὰς ἀρκεῖσθαι τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς, διὰ μετριότητα γνώμης. ἐκ τῶν ἐναντίων ἐμπεριτρέχουσαι τοὺς τῶν πλησίον οἴκους, διασείουσι, δι' ἀπορίαν χρημάτων ἑαυταῖς ἐπισωρεύουσαι, καὶ πικροῖς τόκοις δανείζουσι. Non dicit ἐπὶ τόκοις eas ſimpliciter δανείζειν, ſub uſuris fœnerari, ſed ἐπὶ πικροῖς τόκοις, graviſſimis uſuris, & legitimas multum excedentibus, pauperesque exedentibus. Tales uſuras etiam exercuiſſe ſuo ævo Epiſcopos conqueritur Cyprianus, ut alio loco notavimus. Sic non differebant tunc, quod ad uſuras attinet, à Laicis Clerici, quia nondum pſis vetitum canonibus fuerat ad uſuram pecuniam ſuam dare. Quod concilio Nicæno

primum eis ex Oecumenicis Synodis interdictum fuit, & Laicis, ut antea, licitum ac liberum relictum. Nec ulla, quod notandum, Synodus unquam diſcrevit in expreſſe vetādis aut tacite permittēdis uſuris inter fœnus trapeziticū & commune. Ex huius quippe permiſſione certum eſt & permiſſum fuiſſe trapeziticum. Non enim differt niſi profeſſione. At cui ſuas res licet vendere, poteſt & alienas emere ut eaſdem vendat. Quæ mercatura eſt. Sic poteſt licite aliquis τραπεζιτεύειν, & ſi de ſuo ſolo hanc profeſſionem non queat ſuſtinere, de alieno quærat unde poſſit negotiationi ſufficere. Idque tum magis bono iure fecerit, ſi à magiſtratu ad hoc conſtituatur, & tali negotiationi ad bonum reipublicæ & pauperū commodū pręficiatur. Hæc ſatis ſunt retundendo Epiſtolæ auctori, qui negat in Eccleſia primitiva toleratos aut cognitos fuiſſe trapezitas, qui publicam fœnerandi profeſſionē facerent. At ego aio, ex diſciplina Eccleſiaſtica quæ tunc obtinuit, æque licuiſſe alicui Chriſtiano tota vita nihil aliud agere quam fœnerari, & unicam hanc profeſſionem habere, ac ſemel, bis, ter, aut ſæpius pecuniam ſuam fœnori dare. Si demus, peccatum fuiſſe uſuram, eamque ſacris litteris

ris aut canonibus Eccleſiaſticis interdictam, qui ſemel fœneratus eſſet, æque cenſuram Eccleſiaſticam per publicam pœnitentiam tunc incurriſſet, atque ille qui ſæpius id egiſſet, aut qui tota vita nihil aliud egiſſet. Meretrix quam vitæ anteactæ pœnitebat, poſt pœnitentiæ publicæ tempus ſuum peractum reconciliabatur altari. Mulier mœcha quæ ſemel in eam culpam incidiſſet, non minus quam meretrix, ut communionē qua exciderat, recuperaret, tempus ipſi pœnitentiæ indictum implere debebat. Ponamus, per illa tempora uſuram obnoxiam æque fuiſſe pœnis Eccleſiaſticis & exomologeſi, ut erat mœchia. Trapezita quamdiu in profeſſione illa verſaretur, non admiſſus ad communionem ſacram fuiſſet, niſi abiurata fœneratione, & petita pœnitentia, & peracto tempore huic crimini ſtatuto. Si autem aliquis ex his qui communione participaret, pecuniā ſuam in fœnus vel ſemel dediſſet, ſacra ſynaxi excidiſſet, nec ad eam rediſſet niſi poſt impletum pœnitentiæ publicæ tempus. At nihil tale in uſuris ab Eccleſia priſca ſtatutum aut obſervatum, neq; in aliis vitiis ac delictis quæ ex avaricia & cupiditate nummaria originem habent, ut diſerte teſtatur idem Gregorius Nyſſenus.

Nec uſuris igitur privatorum, nec trapezitarum profeſſioni fœneraticiæ, ulla tunc in imperio Romano ſub imperatoribus Chriſtianis ab Eccleſia impoſita fuit pœna, quia nulla earum rerum præceſſerat interdictio. Pudet in re certiſſima tamdiu morari. Non tamen me pœnitet vel plurimis verbis hæc fuſius agere. Inde enim pendet purgatio criminis mihi impacti, quaſi patrocinium trapezitarum conſulta opera contra ius ac fas, & Eccleſiæ veteris mores ac diſciplinam, ſuſceperim. Nec deprecor aut recuſo ita videri, niſi oſtendo, non minorem fuiſſe libertatem ac licentiam uſuræ trapeziticæ eiuſque publicæ negotiationis apud ſæcula Eccleſiæ prioris, quam vulgaris privatorum fœnoris, quam mercaturæ, quam aliarum omnium artium quæſtuariarum, quam denique omnis generis χρηματιστικῆς. Canoniſtæ qui uſuram repugnare ſacræ paginæ tam novi quam veteris teſtamenti contendunt, non trapeziticam tantum, ſed etiam eam quam privatus agitat, eadem prohibitione includi, merito putarunt. Ignoſcendum itaque illis. Sic enim ſibi conſtant. Nec iſta duo divelli poſſunt. Non ignoſco noſtris, qui de trapezitica concedunt, eam contrariam eſſe ſacræ ſcripturæ, de privatorum

torum uſuris negant. Neſcio quare hæc dividant. Non enim ſacer textus hanc illis mentem induit. Cautiores tamen hac in parte iuris canonici doctores. Ut ſuis rebus ſimul conſulerent, & doctrinæ quam imbiberant, ſatisfacerent, viam ſatis tutam aſtute inſtiterunt. De trapezitica uſura parum ſolliciti, quia videbant, non ſe poſſe eſſe trapezitas, & partim ſcirent, ſe eas opes habere, partim habituros ſperarent, quæ trapezitarum ope non egerent, eam profeſſionem ſine remedio ac citra ſpem ſalutis relictam, ab Eccleſia prorſus eliminarunt. Eodem præiudicio exulare etiam debuerant, quas privati exercerent. Sed hoc durum ac nimis incommodum omniũ οἰκονομικῇ viſum eſt, nullam privatis facultatem relinquere qua poſſent pecunias ſuas, ex ſuperfluis atque otioſis, fructuoſas ac quæſtuoſas ſibi reddere. Hoc idem ſæpius ſibi uſu eventurum præſentiebant illi quibus reditus ſui plerumque in pecunia perciperentur. Quid igitur faciendum? Redituum annuorum iam apud veteres aliquod fuit veſtigium, cum pecuniæ ſummam teſtamento multi certis corporibus & collegiis relinquerent, ex cuius reditu quotannis natali ſuo epulum aut propinationem decurionibus collegii pre-

beri

beri vellent, aut profuſiones florum fieri, & miſſilium ſparſiones, aliaſque ἐπιδόσεις ſive largitiones diſtribui. Sors eius pecuniæ manebat ſemper penes eos quibus erat legata ea conditione. Ad eorum redituum exemplar, ſic enim inſcriptiones veteres Latinæ ubique eos nominant, ut Græci προσόδους, annuorum redituum hodiernorum forma conſtituta eſt. Quorum hæc eſt ratio, ut quamdiu ſortem retinere velit debitor, dum uſuras præſtat, non poſſit eam ab invito repetere creditor, ita ut etiam ad hæredes debitoris tranſeat, & ſic ſortem exæquare uſuræ pluries poſſint. Horum redituum exemplum extat apud Iuſtinianum Novella CLX, in qua tale proponitur thema. Cum bene magna auri ſumma Reipublicæ Aphrodiſienſium legatis quorundam relicta eſſet, magiſtratus illius civitatis eam pecuniam ne deperiret ſub tali conditione collocaverant, ut qui eam fœnori acciperet quotannis Reipublicæ certam ſummam uſuræ nomine dependeret, quamdiu ea pecunia penes eum maneret. Quia vero in uſurarum quæ tunc obtinebant ratione, ubi eæ ſortem exæquaverant, non amplius de iure debebantur, idque etiam ſua conſtitutione ſanxerat ipſe Iuſtinianus, quæſtio tunc mota eſt, quid fieri

fieri in hoc caſu deberet. Si enim iſte debitor eius ſummæ quam reipublicæ debebat, poſt ſortem uſuris exæquatam, non amplius ullas debuiſſet, magnum inde civitas damnum ſenſiſſet, pecunia ſua deinceps ſterili apud illum debitorem remanſura. Aut igitur tum ab illo exigenda ſors fuit, & apud alterum collocanda, aut otioſa in poſterum, & ſine fructu reipublicæ futura apud priorem debitorem relinquẽda. Conſtituit igitur Iuſtinianus ſuprascripta Novella ſanctione, conſultus à magiſtratu illius civitatis, non eſſe illam ſpeciem ſimilem uſuris communibus quales tunc in uſu ac more erant, ſed ἐτησίᾳ προσόδῳ, id eſt, annuo reditui magis comparari debere quam τόκων καταβολῇ, id eſt, uſurarum præſtationi. Νομὴν etiam & πόρον appellat in eadem conſtitutione. Non igitur valere in eo pacto reſpondit legem illam quæ ceſſare uſuras ſtatuebat ſorte ſemel exæquata uſuris. Sed tamdiu uſuras dependendas eſſe à debitore reipublicæ quamdiu ſummam civitati debitam retineret. Habes formam noſtrorum redituũ, plane illo themate non adumbratam lineis tantum, ſed expreſſam omnibus ſuis coloribus. De qua nos in libro de uſuris Iuſtinianeis plura. Hoc etiam fuit

in

in antiqua uſurarum ratione, ut in mutuo dato non ad diem præſtitutam, tamdiu exigerentur quamdiu ſortem debitori placeret retinere. Sed quia ſi ſemel uſuræ ſortem adæquaviſſent, non amplius ius erat eas exigi, ideo etiam ius erat creditori repetendæ ſuæ pecuniæ, ne inutilis ipſi in poſterum eſſet. At in illo mutuo cui repetendo certum tempus præfigi ſolebat, aut menſtruum aut trimeſtre aut annuũ, pro rata illius temporis, uſuræ currebant. Reditibus annuis ſimilior fuit ea ratio, in qua ſine tẽpore præſtituto pecunia debebatur. De his alio loco. Eam porro redituum annuorum formam quorum ſors apud debitores ſemper maneret, ſi retinere eam optarent, amplexi ſunt Canoniſtæ, & ad illud inſtar quod nunc in omni fere Chriſtiana republica obtinet, eas redegerunt. Abolitis, inquam, veterum uſuris hoc genus maxime probarunt quaſi minime uſurarium, & quod tamen, id enim quærebatur, pecuniam æque in reditu ac quæſtu reponit, atque uſurarum priſcarum ratio. Pecuniam ſic mutuo ſub uſuris datam non vocant fœnebre mutuum, ſed reditus conſtitutionem. Quod lucri ex ea redit, non habet uſuræ apud illos nomen. Nam uſuram pro vetita habent, hoc non eſt vetitum.

tum. Quid ergo vocatur? Reditus. Quaſi vero non etiam ſic paſſim vocarint Latini pecuniæ τοκοφορούσης lucrum, ut Græci πρόσοδον, & ἐπικαρπίαν, ut pluribus ſumus dicturi in tertio de Uſuris Iuſtinianeis volumine. Cæterum quod hic agitur, ne videatur eſſe uſura, emptionem eſſe fingunt, dicuntque emptum eſſe reditum annuum. Hinc vulgo apud nos nominantur *reditus conſtituti ad pretium argenti.* Egregium ſane figmentum, & auctoribus ſuis dignum. Dicebat olim Lucilius, mendacium eſſe emplaſtrum æris alieni: ita hi reditus annui Canoniſtis emplaſtra ſunt uſurarum. Fucum facere calliditate obtuſiori non poterant, nec quæ magis perſpicuam ſtoliditatem præ ſe ferret. Sors pecuniæ quam mutuo do, precium fingitur redituum, id eſt, uſurarum quas ex ea percipio. Quis unquam talem emptionem vidit, in qua pretium quod dedi, manet meum, in meis bonis computatur, à me transfertur, ut libet, in alium, alii ceditur, donatur, doti datur, etiã alii venditur? Præterea ille cui hoc pretium pro reditu traditum fuit, adeo ſuum illud non facit, ut pro eo penſionem ſolvat. At nemo pro re ſua quidquam alteri præſtat penſionis aut mercedis. Si ſuum non eſt,

 alie-

alienum eſt. Manet ergo creditoris. Non eſt proinde emptio, nec venditio. In emptione quippe pretium fit venditoris, res quæ empta eſt emptoris, & utriuſque in perpetuum uterque dominus exiſtit. Hic vero reditus quem emi, quotieſcunque venditori libuerit, à me aufertur, pretio reſtituto. Reciprocum hoc ſaltem eſſe debuit. Non eſt. Non enim ego poſſum ab invito repetere quamdiu reditus illos mihi ſolvit. Mille aliæ ſunt cauſſæ quæ afferri queant confutandæ talis adinventionis abſurditati. Nebula circumfuſa Aeneæ apud poëtam ne à Pœnis agnoſceretur plus habuit ſoliditatis quam hoc velum quod obtenditur tegendis uſuris. Et competunt in eos, optimeque quadrant hæc verba Satyrici,

--- Sancta Laverna
Da mihi fallere, da ſanctumque piumque videri.
Noctem peccatis, & fraudibus obiice nubem.

Ab iiſdem Canoniſtis ad eum finem quoq; procuſæ videntur diſtinctiones ac differentiæ uſurarum *compenſatoriarum*, & *lucratoriarum* priſcis iuriſprudentibus incognitæ. Probant in compenſatoriis id quod *intereſſe* vocant, una cum reditibus illis

illis annuis, ſive larvatis uſuris: at lucratorias damnant. Mihi cum veteribus nulla eſt proprie uſura, quæ non ſit lucratoria. Sic ergo mecum collige. Nummi habenti aut fructuoſi ſunt, aut infructuoſi. Nihil eſt tertium. Quoſcunque quis apud ſe in arca ſervat, aut gratis alicui mutuo dat, ſteriles ipſi eſſe utrovis modo, omnino palam eſt. Quos vero ſub uſuris dedit, quocunque modo dederit, quatenus penſionem pro his accipit, quæſtuoſos & lucroſos ipſi evadere compertum eſt. Sterilis ager eſt qui domino nihil reddit. Si fructum idem domino cultus, vel locatus colono referat, quis dubitet inde futurum quæſtuoſum? De pecunia idem eſt. Ipſæ illæ uſuræ pœnales ſive punitoriæ, ex quo pœnæ lex commiſſa eſt, incipiunt eſſe lucroſæ ex mora ſolutionis, quæ antea ſteriles erant, id eſt, gratuitæ. Quid autem aliud ſunt compenſatoriæ uſuræ quam lucratoriæ? Compenſant enim lucrum, quod ex pecunia mea facere poſſem ſi in alias res æque vel plus quæſtuoſas mihi futuras eam impenderem, ut in agros fecundos, aut in merces, aut aliud denique genus unde lucrifica mihi facula adluceret. Compenſant etiam damnum, quod aliqua ex occaſione non prævíſa po-

 teſt

reſt mihi emergere, pecunia mea carenti, quæ huic damno potuiſſet ſubvenire ſi ad manum eam habuiſſem. Compenſatorias enim ita definiunt, *cum non poſſum ſine meo incommodo pecunia carere, tu autem ex ea lucrum facis.* Omnes itaque Canoniſtæ, iuſque adeo Canonicum, has uſuras permittunt eo titulo quod honeſte accipitur id quod intereſt. Et illæ ſunt uſuræ compenſatoriæ. Quæro, an non iſta compenſatio merum ſit lucrum? Si pecunia mea non carerem, hoc eſt, ſi eam in arca haberem, mihi ſterilis foret, nec quidquam lucri reportaret. Data ſub uſuris lucrifica eſt, eademque compenſatoria. Omne etiam lucrum, ſi recte calculum ponas, compenſatorium eſt, aut laboris, aut operæ, aut officii, aut obſequii, aut etiam lucri alterius quod capere ex re mea vel opera poteram, ſi hoc non prætuliſſem. At mere lucratoriarum hæc ab eis definitio adfertur, *quando ego poſſum ſine meo incommodo pecunia mea indigentem ſublevare qui nullum lucrum ex ea facturus eſt.* Hæc expendamus. Primum non eſt conſiderandum, ut ſint uſuræ mihi mere lucratoriæ, utrum, cui pecuniam dedi, lucrum ex ea faciat, an non. Hoc enim tantum ſpectari decet, an mihi lucrum ferat. Dicendum igitur, qui lucrum facit ex ſua pecunia alii mutuo

mutuo data, qua carere poſſet ſine ſuo incommodo, eum uſuras capere lucratorias, & proinde damnabiles. Quid inde conſequitur? Hoc nempe, rem ſimiliter damnabilem facturum eum, qui cum plures poſſideat domos, & unam tantum inhabitet, ſi non ceteras gratis dat habitandas petentibus, quia his poteſt carere ſine ſuo incommodo. Rationem aliquis mihi oſtendat differentiæ, & vincat. Iuxta illam porro definitionem lucratoriarum, ſi è contrario non poſſim carere mea pecunia ſine meo incommodo, & tamen eam alicui mutuam dedero, potero uſuras ab illo exigere, quia tales uſuræ compenſatoriæ ſunt futuræ, & ideo licitæ & honeſtæ. Exclamare hic cogor: O ſæclum inſipiens & inficetum! An quiſquam pecuniam dat, qua videat ſe carere non poſſe ſine ſuo magno incommodo? Neminem ego tam comem & commodum puto fore, ne ſapientiſſimis quidem exceptis, qui alteri ſuſtineat gratificari eam rem cuius carentiam cum damno ſuo aut malo ſenſurum ſe eſſe ſciat. Ex centum millibus unum oſtende, qui rogatus mutuam pecuniam, eam expendat eo tempore quo ipſe opus illa habebit, & neceſſariam ſibi eſſe cognoſcet. Aut enim eam pecuniã cum maxime tum

impendit vel in ædificando, vel in agro colendo, vel in nave fabricanda, vel in emundis mercibus, vel etiam in ſumptibus ad victũ quotidianum faciendis. Quibus omnibus caſibus nunquam ſibi è manibus extorqueri ſinet eos nummos quibus tum utitur, quos inſumit, quos ſi in præſenti non haberet, aliunde parem ſummam vel ſub magnis uſuris mutuari deberet potius quam eis carere. Ne quidem eos tum mutuos dederit, ſi navigare propediem cogitet, vel iter longinquum ſuſcipere, vel ædificare, vel ædes aut agros emere, vel aliud quid facere meditetur ad quod eã pecuniã ſibi opus eſſe prævideat. Quando igitur erit ut quiſquam cum ſuo incommodo pecuniam à ſe amittat, ut alteri conſulat? Nempe tum cum maius inde certiuſque commodum perccepturus eſt. Ut ecce, parabam emere agrũ nummis illis qui mihi in arca otioſi iacebant. Interim id me agitantem aliquis invadit, qui mutuum petat, & grandiores polliceatur uſuras quam ſunt fructus quos mihi redituros ſperabã ex agris emptis. Non compenſatoria hæc, ſed lucratoria magis uſura eſt, etſi compenſatoria quoque ſit, ſed cum hyperocha. Varii tales caſus exiſtere poſſunt, quæ me pecu-

pecuniæ retinendæ, aut in aliud impendendæ, propoſito dimoveant, ſpe lucri maioris oblata. Alias ſi nihil luculentius appareat, deſtinatum perſequar, pecunia mea utendi, ut propoſueram. Ut autem aliquis cum ſuo incommodo iam præſente, aut impendente, nec procul, ut præſentit, abfuturo, ſua pecunia patienter ac libenter carere dignetur, in alterius gratiam aut commodũ, non puto poſſe fingi. Poteſt quidem fieri, ut quo tempore argentum meum petitur à me mutuũ, facile eo poſſim carere. An propterea debeo gratuitum dare? Quid ſi is caſus paulo poſt emergat, cum magno redemptum velim id habere? An, ſi damnũ quod ex eo paſſurus ſum, infinito ſuperet lucrum uſurarũ legitimarum quibus illud dare potui, eius damni ratio habebitur? Non puto id futurum, nec iuriſconſultus antiquus hoc diceret. Fruſtra igitur damni emergentis aut lucri ceſſantis diſtinctiunculis ad prætextum certi generis uſurarum adprobandi abutuntur Canoniſtæ. Quæ vocabulorum differentiæ melioribus iuriſprudentiæ temporibus ignoratæ cum ipſis rebus, ab imaginoſis cerebris proditæ, in lucem venerunt tenebricoſo ſæculo. Nam ſi emergentis ad ſingulas vices damni ra-

tio quæ debet, examuſſitata lege ſemper haberetur, mille inde difficultatum & litium cauſæ intricatiſſimarum ſubinde naſcerentur. Quod ad lucrum ceſſans attinet, non aliud eſt, quam pecuniæ inertia & otium nihil gignentis, vel in arca domini repoſitæ, vel gratuito alicui datæ. Etenim quam ego pecuniam utiliter occuparem agris fertilibus, aut mercibus, aut aliis rebus, dum in arca mea iacet, aut apud alium eſt ſine fœnore, lucrum quod ex ea facere poſſem, plane mihi ceſſat. Quanto melius ac conſultius fuerat, relinquere in arbitrio cuiusque, ut antiqui prudentes iuris fecerunt, utrum pecuniã ſuã commodare quis vellet, & gratis dare, an locare & ſub uſuris legitimis ac licitis dare, quam rem per ſe ſimplicem tot tricis involvere? Canoniſtæ vulgo ad illam definitionẽ lucratoriarum uſurarum adiiciunt, non ſolum ſi creditor ſine ullo ſuo incommodo mutuum det, ſed & ſi debitor ex pecunia quam accipit nullum lucrum ſentiat, lucratorias eas dici & eſſe uſuras. Quaſi mea interſit, quærere ac ſcire, quam ad rem, quem ad uſum, pecunia à me petatur mutuo: utrum petitor lucrum ex ea facere deſtinet, an ſine lucro apud ſe retinere, vel

etiam

etiam in mare proiicere: Non puto quẽquam in re tali curioſum eſſe oportere. Nec ſane ſunt illi unde petitur. Quid enim, ſi, qui petit, neſciri hoc velit? Quid ſi maxime ipſius interſit, non eſſe hoc omnibus notum, & multo minus ei à quo mutuum flagitat? An ſi idonee cavere poteſt qui poſcit, non aliter ei daturus ſum, niſi etiam mihi indicet ultro quid ea ſit facturus? Si moleſtus illi percontator fuero, & res ſit quam non declarari ſua interſit, abibit ad alium potius, & ſine ſpe lucri gazæ meæ incubabo. Quid enim ſi domus emundæ cauſa mutuum rogẽ, & competitores emptionis metuam, nonne præſtabit, tacitum illud quo indigeo accipere, quam interroganti ad quam rem velim, credituro confiteri? Omittamus iſta. An, ſi quis ad domum emundam mutuam quærat pecuniam, quia non lucrum facere cupit, ſed domũ eam tantum inhabitare cogitat, ab illo uſuram propterea non exigam? Sed quid fiet, ſi ſciam, hominem illum qui ad me venit ut mutuum accipiat, ad indigentiam vitæ ſuæ id expetere? Ita enim ponunt. Reſpondeo, indigentiam illam aut eſſe temporariam tantum & medicabilem, aut perpetuã & irremediabilem. Si perpetua eſt, qui ea

 labo-

laborat, mendicus eſt, nec ulla res ei mederi poteſt præter ſtipem. Mutuum igitur quod repetitur, etiam ſi gratuitum ſit, à talibus removendum, qui eleemoſyna ſunt ſublevandi. Si temporaria eſt inopia, hominis alias ſatis locupletis, qui cum voto & animo reddendi quod acceperit, ad fœneratorem accedit, cur non ab eo exigantur uſuræ, ſub prætextu quod ad indigentiam accipiat ſuſtentandam, non ad lucrum faciendum? An maius lucrum poteſt eſſe, quam cum ex maximo & inevitabili alias damno, opera mutuum dantis ad uſuram, emergitur? Longe adhuc amplius vel omni lucro, cum quis vitam ad præſens ex mutuo ſuſtentat, quam abſq; hoc foret perditurus. Non de mendicis loquor, ſed de pleriſque aſſiduis & locupletibus, qui in huiuſmodi caſus incidere poſſunt, & ſæpe incidunt. Si, ut me liberem à moleſtiſſimo creditore, & cui debeo ſub maioribus uſuris, ab alio creditore mutuer ſub minoribus, immo vel ſub iiſdem, ſed ad id tantum ut cum mitiore & æquiore fœneratore rem habeam, an non vel hoc lucro æquiparandum? Qui ex mora ſolutionis poſt diem præſtitutam in carcerē à ſuo creditore eſt coniiciendus, ſi alius eum vindicet pari pecu-

pecunia ac ſub iiſdem uſuris data, quis negaverit hanc liberationem lucro eſſe adponendam? Sexcenta talia fingi ex vero & adferri poſſunt, quibus deſtruantur nugatoria argumenta, frivolæ diſtinctiones ac definitiones, quibus iuris Pontificii doctores utuntur vulgo ad uſuras in odium adducendas & ex eo abolēdas. Quas tamē ita altera manu tollunt, ut alia reponant. Cæterū cautiores illi vidētur hac in parte prudentioreſque noſtris Theologis, dum ſaltem convenienter ſuo propoſito, & ὑποθέσει διαλλάσσοντες, uſuras ſub larva & ſub alio nomine introducunt, quas nullo tegmine diſſimulatas, & cum propria appellatione eiecerant. Apparet ſaltem quo conſilio id fecerint. Cum cernerent, omnibus fere conciliorum veterum decretis non licere Eccleſiaſtico fœnerari, genus uſuræ commenti ſunt, quod Clericis æque ac Laicis permiſſum videri poſſet, quia *Vſura* id non vocaretur. At noſtri quid ſibi volunt? Aut qua mente à trapeziticis tanto opere abhorrent, cum Laicas favore ſuo dignentur uſuras? Scire debent, contra omnem antiquitatem hoc à ſe fieri, tam civilem quam Eccleſiaſticam, quæ nunquam eas ſeparavit. Sic plane, ut eodem crimine, ſi illæ damnan-

dæ,

dæ, teneri iſtæ debeant; ſi abſolvendæ, liberari. Uſuras ſimpliciter & abſolute, cum fateantur licitas eſſe iure divino, cur trapeziticas excludunt? *Sed,* inquiunt, *moderatas, & non improbas, recipiendas eſſe teſtamur, & tales iuri divino nõ repugnare aſſerimus.* Quis contra dicit? Certe non ego, qui idem cum illis aſſero. An non & moderatio intervenire poteſt trapeziticis? Uſura res laudabilis, ſed τῶν μέσων τι, ut mercatura, negotiatio & aliæ artes quæſtuariæ. Prout in uſura deflexeris ad mediocritatẽ, aut eam exceſſeris, ita ex eo fient probabiles vel improbabiles. Amplius etiam dicamus. Uſura morbus eſt, & quidem neceſſarius in Christiana Republica, ut res nunc eius ſunt, & mores. Νόσον & ἀῤῥώστημα vocat Gregorius Nyſſenus in Epiſtola ad Latoium Melitenum canonica. Qui morbus, quoniam ita medullis viſceribuſque Chriſtiani corporis penitus inſedit, ut tolli non queat, nec ex toto conſaneſcere, ſaltem mitigandus eſt, & temperandus. Nulla autem res eſt quæ ei mederi poſſit, nisi modus. Optimum enim earum remedium, & maxime παρηγορικὸν, temperamentum eſt. Huius porro medicinæ quæ ex modo propinatur, non minus capax eſt trapezitica uſura

quam

quam plebeia, & communis. Fac cum modo illa currat, præſtabo nullam utiliorem Reipublicæ futuram uſuram, quam eſt trapezitica. Iuſtinianus qui omnibus uſuris ex conditione perſonarum modum illum quaſi medelam impoſuit, etiam trapeziticas modificavit, & cum mercatoriis eas exæquavit. Quod maiores has eſſe voluit quam communes, maxima cum ratione & æquitate id feciſſe putandus eſt. Nec aliter viſum aut factum in hoc negotio anterioribus Imperatoribus, etiã Chriſtianis. An æquum erat, trapezitas non plus uſuræ nomine capere quam cęteros privatos, cum neceſſe haberent, quo menſa ſua nummis ſemper inſtructa foret, à privatis ſæpe mutuum ſumere, & interdum ſub ingentibus uſuris? Præterea nemo eſt quin malit à trapezita beſſibus pecuniam accipere quam ab amico ſemiſſibus. Adde, quod amici dum erubeſcunt ab amico uſuras exigere, & ægre ferunt tamen ſuos ſibi ſteriles ire nummos, negant ei ſe habere potius quam gratuitas dent. Quæram porro à doctiſſimo Theologo, qui in Epiſtola ſua ſe ait cenſuiſſe, ut etiam in ſcripto cenſet, cum potioribus Theologorum ſuffragiis, uſuras pariter iure divino licitas eſſe quæ improbæ non

non ſunt, quid intelligat nomine uſurarum? Utrum eas quas priſci Græci Romanique agitabant, an quas Pontificii Theologi invexerunt, ſub *redituum annuorum* appellatione? In nomine quidem, & more conſtituendi, aliqua inter utroſque diverſitas, ſed in re ipſa nulla differentia. Si tamen per uſuras intelligit reditus illos annuos, quos ſolos licitos cenſeat iure divino, ſciendum, has uſuras cum hoc nomine ac forma incognitas fuiſſe veteribus. Si cognitæ fuere, ut ſupra oſtendimus ex Novella Iuſtiniani aliquod iam tum earum extitiſſe veſtigium, non minus uſuræ illæ dicendæ, nec minus graves ducendæ, quam aliæ communiter per illa tempora uſitatæ. Nam & huiuſmodi προσόδους ἐτησίας vocat idem Iuſtinianus in ſupraſcripta Novella, & νομὰς & πόρους, ſed nec minus τόκους appellat. Ὅπερ εἴτε τις νομὴν, inquit, εἴτε πόρον, εἴτε τόκον καλεῖν βουληθείη. *Sive quis id fructum, vel reditum, vel uſuram vocare velit.* Cum quis nimirum pro ea pecunia quam à Republica accepit mutuam, vel à privato creditore, uſuras annuas, quaſi reditus, ei conſtituit, perſolvendas quamdiu ea pecunia utetur. Et graviores quidem hos etiam reditus fuiſſe uſuris communibus,

vel

vel ex illa ipſa conſtitutione Iuſtinianea colligitur, hoc nomine duntaxat, quod beneficio legis frui non poſſent, quæ ſanxit, poſt exæquatam ſemel uſuris ſortem non amplius eas deberi. Certe ſi hoc volunt, licitas uſuras accipi de his reditibus, in eadem ſunt prorſus ſententia cum Canoniſtis. Et ſane gaudeo ſic velle. Quando eos refellam, & hi ſimul eadem opera & iiſdem verbis refutabuntur. Sin vero agnoſcunt, uſuras eſſe licitas, tales omnes, quales antiquitas novit & uſurpavit, quo iure trapeziticas ex eo numero cenſuque uſurarum expungent, quæ omnibus antiqui ævi in more & uſu fuerunt? Inter eas & Nauticæ locum habuere. Quid de his dicturi ſunt? An illicitas eſſe & infames? Atqui hodie paſſim in his etiam locis pro licitis habentur, & maxime frequentantur inter mercatores. *Bodemeriam* vocant Belgæ ſua lingua. Cur hoc fœnus recipitur, cum trapeziticum tanta animorum contentione repudietur? Nam & apud Pontificios Canoniſtas plurimos, hoc genus fœnoris à crimine uſuræ illicitæ vindicatur. Quod inprimis mihi mirandum videtur. Atqui ſi ſtemus ſententia veterum Græcorum Latinorumque, longe ſemper ab his turpius & inhoneſtius habitum

bitum eſt fœnus nauticum quam trapeziticum, ut conſtat ex Plutarcho in vita Catonis Cenſorii, qui tamen id exercebat, & ex vita Menippi apud Laërtium Diogenem. Quomodo igitur ſibi conſtabunt? Nonne hîc locum habitura eſt cenſura, quæ corvis veniam dat, & in columbas diſtringitur? Ut videantur autem noſtri Theologi ſaniorem de uſuris opinionem amplexi, à qua ego procul abſim, ſcribunt, ſe moderatas tantum, & minime improbas uſuras admittere. Quid ego aliud toto opere proteſtatus ſum, quam in perniciem publicam exituras uſuras niſi modo coërceantur? Sed illum modũ dixi à magiſtratu civili peti ac poni debere. Unde enim ſciemus quæ ſint uſuræ moderatæ, ac non improbæ, niſi hoc æſtimemus ex modo quem magiſtratus illis impoſuerit? Quaſcunque enim tales eſſe iudicaverit legitima poteſtas, & eſſe ſanxerit, quis dubitet quin tales nobis & omnibus Theologis ſint habendæ? Niſi forſitan exiſtimant Theologi, ad ſe potius ſpectare quã ad civilem magiſtratum aut principem, ſuiq;, ad eorum excluſionem, muneris eſſe ut præſcribant, quatenus exigere uſuras liceat, aut non exigere. Quod non eſſe dicturos qui ſincerioris ſunt cerebri, ego cer-

certus ſum. Quærunt tamen in Epiſtola, quæ nondum edita eſt, ſed propediem edetur, ſi largiantur hoc mihi, *non eſſe à Chriſto prohibitum fœnus, nec pertinere ad Eccleſiam eiuſdem prohibitionem, quid inde efficiam pro Syris aut Syrorum ſimilibus liberandis à cenſura Eccleſiæ.* In promptu eſt reſponſio, me inde effecturum quod volo. Stabile illud fundamentum quod habeo, non eſſe à Chriſto prohibitum fœnus, an non & ipſi habent? Sic enim ubique affirmant, uſuras non pugnare cum iure naturali, neque cum divino. Si à Chriſto non prohibita eſt uſura, cur Eccleſia eam prohiberet, præſertim Laicis? Et certe conſtat, à primitiva non fuiſſe prohibitam, niſi Eccleſiaſticis. Si nulla prohibitio ex parte Eccleſiæ intervenit, quæ fœnus agitari à Laicis vetuerit, ubi non eſt prohibitio, non poteſt inde timeri cenſura. Atqui illud etiam certum eſt, fœnus Laicorum ipſamque adeo fœneratoriam profeſſionem pœnis Eccleſiaſticis nunquam obnoxiam eſſe factam canonibus generalium conciliorum, neque praxi Eccleſiæ primitivæ, etiam cum diſciplina uteretur exactiſſima ac ſeveriſſima. Sic ergo efficio, & Syros & Syrorum ſimiles eſſe liberandos à cenſura Eccleſiæ. Si poterit

Theologus ulla argumentatione, aut cavillatione, quod effeci, irritum facere, & male concluſum oſtendere, nec ipſe interpello quin quod velit efficiat. Pergit tamen argutari de fœnoris prohibitione, quomodo à Chriſto facta, aut non facta videri poſſit. *Non eſſe à Chriſto prohibitum fœnus, dici æquivoce.* Quid tum poſtea? *Vel enim*, inquit, *prohibitio intelligitur cum civilis iuris uſurpatione, qualis eſt in Eccleſiæ Romanæ antichriſtiana praxi.* Sed hanc prohibitionē cū civilis iuris uſurpatione, bene eſt quod inter non entia numerat. Videamus alterā. *Vel intelligitur prohibitio ſpiritualis ad conſcientiam intra diſciplinæ Eccleſiaſticæ cancellos.* Nego vero, talem prohibitionem ſpiritualem uſurarū intra diſciplinæ Eccleſiaſticæ cancellos agitandam, & quæ ad conſcientiam pertineat, à Chriſto proceſſiſſe. Neque id poteſt ullo pacto mihi probari. Quod ſi cōſtaret, ita prohibitas eſſe à Chriſto uſuras, tum ego contenderem, nulli magiſtratui aut principi Chriſtiano licitum eſſe, quod Chriſtus ita vetuiſſet, permittere. Addit Epiſtolæ auctor: *non eſſe ſemper neceſſarium in his quæ merito dicimus à Chriſto prohibita, ut prohibitio vetus vindicata ſit expreſſe nova* δευτερώσει, *ſed ſufficere debere veteris iuris divini moralis, Chriſti teſtimonio generatim confirmatam*

tam

tam auctoritatem. Totum hoc concedo, & aio eſſe veriſſimum. Præcepta illa veteris iuris divini moralis in Decalogo poſita, ſic plane teſtimonio Chriſti confirmata eſſe liquet. Et iſta ſunt; *Non occides, non mœchaberis, non furtum facies*, & reliqua. Et propterea nullus eſt magiſtratus inter Chriſtianos, qui homicidium, adulterium, & furtum debeat permittere, aut impunita dimittere, ubi commiſſa ſunt. Confirmat Theologus dictũ ſuum his verbis. *Hæc enim auctoritas*, inquit, *tota labaſcit, ſi moralis prohibitio de iure divino in Republica Chriſtiana nulla cenſeatur, niſi illam habeamus noviter à Chriſto iniunctam.* Et hoc illi concedendum. Quid deinde conficere, aut quam rationem ex eo concluſam velit habere, operæ pretium eſt, ut audiamus. *Quapropter*, inquit, *vel dicendum, nihil iure divino morali in praxi uſuraria Iudæis vetitum fuiſſe, quod Romanis gentilibus licitum erat, antequam veniret Chriſtus: vel fatendum, non obſtante legis civilis permiſſione, aut conſuetudine, ſuum eſſe locum inter Chriſtianos cenſuræ Eccleſiaſticæ contra illos contra quos non eſt ulla iuriſdictionis civilis pœna.* Cavillatorium hoc totum dilemma & ſophiſticum eſſe, alius diceret. Nam quod ait abſolute in priore diſiunctivi προτάσει, vel dicendum eſſe, nihil

iure divino morali in praxi uſuraria Iudæis vetitum fuiſſe, hoc non procedit, nec ſimpliciter verum eſſe poteſt. Scit enim Theologus, Iudæis vetitum fuiſſe fœnus inter ipſos, at cum alienigenis permiſſum. Non igitur dici poteſt, nihil vetitum eſſe Iudæis in praxi uſuraria, cum ſit certum, praxin uſurariam ipſis in Iudæos fuiſſe interdictam. Rurſus nec dici etiam vere poteſt, Iudæis omne fœnus fuiſſe interdictum, cum ſatis conſtet, fœnerandi cum omnibus gentibus, excepta Iudaica, id eſt, ſua, lege Moſis habuiſſe licentiam. Hæc cum ſummus Theologus non ignoraret, nonne cavillari voluit cum hoc uſus eſt priore diſiunctivi proloquio? *vel dicendum eſt, nihil Iudæis in praxi uſuraria vetitum fuiſſe quod Romanis gentibus licitum erat antequam veniret Chriſtus.* Ita enim hunc ſyllogiſmum propoſuit, quaſi neceſſarium ſit omni modo, quod ratio requirit diſiunctivi dialectici, alterum ex duobus verum eſſe. Atqui priorem πρότασιν τοῦ διεζευγμένου falſam eſſe videri vult, ut altera vera videatur. *Ergo fatendum eſſe, non obſtante legis civilis permiſſione aut conſuetudine, ſuum eſſe locum inter Chriſtianos contra illos, contra quos non eſt ulla iuriſdictionis civilis pœna.* Certe prius membrum, ſicut ab illo pro-

propoſitum eſt, non eſt abſolute falſum. Aliquid quippe Iudæis vetitum fuit in uſuraria praxi, aliquid conceſſum. Ut cũ gentibus fœnus exercerent, permiſſum eſt: cum Iudæis, impermiſſum. Eodem itaque modo permiſſa ipſis fuit cum gentibus uſuraria praxis, ac Chriſtianis per leges civiles nunc licet, & antea Romanis licuit iiſdem legibus civilibus, antequam Chriſtus adveniret. Idque cum ita ſe habere idem Theologus in hac ipſa Epiſtola fateatur, miror qui ipſi libuerit tam captioſo ſyllogiſmo hic uti. Cuius etiam captio hac in re cernitur, quod vetitum Iudæis videri velit fœnus iure divino morali, cum alibi in eodem ſcripto ad civile ius Iudæorum hanc prohibitionem fœnoris Iudæo in Iudæum exercendi reponat. Quod igitur dicitur in primo ſyllogiſmi profato de vetito Iudæis fœnore iure naturali & morali, ipſo Theologo ſummo viro teſte falſiſſimum eſt. Sic quod pro vero ab ipſo adſtruitur, falſum eſt; quod pro falſo proponitur, verum. Veriſſimũ quippe eſt, dici poſſe, quod ad ius morale attinet, nihil vetitum eſſe Iudæis iure divino morali in praxi uſuraria. Quidquid enim ipſis fuit vetitum, non iure divino morali vetitum eſt, ſed civili & ſpe-

 ciali.

ciali. Si iure divino morali vetitum fuiſſet fœnus Iudæis, eamque prohibitionem tacite Chriſtus confirmaſſet, ut cætera præcepta ad quæ confirmanda nulla opus fuit expreſſa δευτερώσει, fruſtra Theologus affirmaret, uſuras eſſe licitas iure divino naturali, quod in principio Epiſtolæ ſuæ aſſeruit. E contrario, ſi licitæ uſuræ iure naturali divino, quod ille conſentit, fatendum eſt, non iure morali divino vetitum fuiſſe fœnus Iudæis, in praxi uſuraria. Et ſane iam alio loco ſatis probavimus, idque etiam plerique Theologi adprobant, & hic ipſe præſtantiſſimus aſſentitur, uſuræ interdictionem ad ſpecialem politicam Hebræorum ſpectare. Licuit illis lege Moſaica quæ habetur Deuteronomii XXIII, extraneis fœnerari, non indigenis. Lex illa igitur fuit generalis, è iure naturali divino deſcendens, qua licitum eis fuit cum cæteris omnibus gentibus fœnus exercere, cum ſolis fratribus, hoc eſt, popularibus ſuis, vetitum habere. Certiſſimum porro eſt quod alibi adſtruximus, in lege Moſaica non tantum vetari Iſraëlitas ab Iſraëlitis pauperibus uſuras exigere, ſed etiam à quibuſlibet, vel divitibus, ſi modo Iſraëlitæ eſſent, ut expreſſe habetur Deuteronomii XXIII. XIX. Nec

id

id reſtringendum ad pauperes Iudæos Exodi XXII, & Levitici XXV, quod placet quibuſdam. Rabbini omnes in alia ſunt ſententia, & Ioſephus ipſe, cuius auctoritatem pluris facio quam omnium Rabbinorum. Noſter autem Theologus tot locis in ea Epiſtola ſibi ipſe contradicit, ut pudori eius timeam. Sub finem Epiſtolæ rogat, ad quam Decalogi categoriam reduci placeat peccatum fenœbre. Deinde ipſe ſibi reſpondet, & ait, *maiori conſenſu apud Theologos, quidquid peccatur contra Dei voluntatem, ad aliquam ex illis decem categoriis reduci poſſe ac debere ad conſcientiæ examen, quam apud philoſophos omne ens ad aliquam ex decem categoriis Ariſtotelicis.* Sumit pro confeſſo & probato id de quo quæſtio eſt, an fœnus ſit contra Dei voluntatem. Si eſt contra Dei voluntatem, cur ipſe uſuras eſſe licitas vult iure divino? An non hæc manifeſta contradictio eſt? Subiicit protinus: *Ego quidem nullum invenio tractationis de uſura & fœnore licito an illicito locum οἰκεῖον in quacunque Theologiæ idea & ὑποτυπώσει extra explicationem præcepti octavi.* Aſt ego dico & contendo, ſi fœnoris prohibitio pertinet ad præceptum octavum Decalogi, fruſtra diſputari an ſint uſuræ licitæ. Nam plane inde conſtabit, eſſe illicitas iure mo-

rali divino. Quod tamen utcunque procederet, ſi nullibi in lege Moſaica præterquã in hac octava Decalogi parte fœnus prohibitum inveniretur. Cæterum nemo neſcit, in Decalogo quidem octavum eſſe præceptum de *non furando*, Exodi cap. xx: at eiuſdem Exodi cap. xxii, mandatum haberi *de non fœnerando*. Qua ratione igitur referet prohibitionem fœnerandi ad octavum Decalogi præceptum, cum ibi nulla fiat uſuræ mentio, & alio loco præcipiatur ab eius uſura abſtinendum? Et vide etiam eſſentialem utriuſque differentiam. Ita vetatur furari Iudæus in Decalogo, ut non tantum à Iudæo debeat furtificam manum temperare, ſed etiam ab extraneo. In fœnore autem prohibendo Deus ab Iſraëlitis tantum exigi non vult uſuras, ab extraneis autem permittit exigendas. Immo quod adhuc potentius eſt, à ſolis pauperibus Iſraëlitis vetat eas accipi, à divitibus non vetat, ſi vera eſt quorundam Theologorum expoſitio. Furtum autem, non tantum ne pauperi fiat interdicitur, ſed etiam ne diviti. Certe ne diviti potius, quo plura habet quæ dominum fallant, & furibus proſint. Nam quid habet pauper quod furem poſſit invitare? Ex his diſcat Theologus, quam ab-

ſurde

ſurde faciat qui fœnoris interdictionem putet ad octavam Decalogi partem quaſi categoriam ſuam revocandam. Non ignoro, omnia Decalogi præcepta ſynecdochicῶς eſſe accipienda, & ſpecies omnes quæ ſub eodem genere ſunt, intelligi debere, etiamſi una tantum expreſſe vetita aut permiſſa legatur. Sed id tum locum habere tantum debet, cum alibi ſeorſim nullum de aliqua ſpecie prohibenda aut iniungenda præceptum extat, quam cum ſpecie nominatim interdicta ſub idem genus referre poſſis. Ut ecce octavo præcepto furtum prohibetur, alia lege quæ inter præcepta Decalogi relata non eſt, uſura inter Iudæos vetatur: quis uſuram furti nomine comprehenſam ſimulque vetitam cenſeat? Multo minus id ſtatuat, qui ſciat, etiam aliquam uſuram Iudæis fuiſſe eadem lege permiſſam, ut illam quæ cum gentibus exercebatur. Quod in furto neutiquam obtinuit. Sub furti quidem appellatione omnes fraudes, quæ ad proximum circumſcribendum adhibentur, & eum deſpoliandū pauperandumve quocunque modo, vel vi vel clam, contineri puto. Verbi gratia ſi quid publicanus extra conſtitutum extorquet, ſpecies furti eſt, & quidquid fit quo fraude-

tur proximus, ac ſuo ſpolietur. Abigei, raptores, ſepulcrorum violatores, parietum perfoſſores, debitorum inficiatores, depoſiti abnegatores, & id genus omne fraudatores, pro furibus ad illud octavum præceptum Decalogi pertinent. Poſſent & hac ratione videri in eamdem ſpeciem cadere uſuræ iuſto & legitimo modo ampliores quas fœnerator accipit. Et hoc certe verum, ubi lex modum poſuit uſuris. Uſura lege permiſſa furtũ non eſt, lege vetita pro furto haberi debet. Cæterũ ubi nullus modus uſuris de-terminatus eſt niſi ex contrahentium voluntate, illæ ſimpliciter & abſolute permiſſæ debent intelligi eodem prorſus modo quo mercatori licet pretium quod velit ſuæ merci ponere. Si quis tamen nimis illud impenſe magnum flagitet, charitatem offendit, ut & ille fœnerator qui abutitur neceſſitate proximi in amplioribus uſuris exigendis ubi quantas libet exigere licet. Cæterum quod uterque facit, non vindicatur legibus. Aliud eſt in furto quod vel minimę ac viliſſimę rei inter illicita eſt. De altero nunc mẽbro diſiunctivi Dialectici, quo Theologus ſummus uſus eſt, an priore ſit verius, videndum. *Vel fatendũ, non obſtante legis civilis permiſſione, aut conſuetudine,*

ſuum

ſuum eſſe locum inter Chriſtianos cenſuræ Eccleſiaſticæ contra illos contra quos non eſt ulla iuriſdictionis civilis pœna. Poſtularet forma horũ ſyllogiſmorum ut uno lemmate propoſito falſo, de veritate poſterioris conſtaret. Aut nox eſt, aut dies eſt. Nox non eſt, ergo dies eſt. Optime procedit. Si igitur dici non poteſt, nihil iure divino morali in praxi uſuraria vetitum eſſe Iudæis quod Romanis gentilibus licitum erat per leges & conſuetudines ante adventum Chriſti, ſequitur, ut ex altero latere veritas concluſionis emergat, ergo fatendum eſſe, non obſtante legis permiſſione, ſuum eſſe locum cenſuræ Eccleſiaſticæ ubi nullus eſt civili. Talis eſt hic ſyllogiſmus διλήμματος, ac ſi quis diceret, vel fatendum eſt, non eſſe lucem quam videmus, vel dicendum eſt, diem eſſe. Non eſſet bona conſequentia. Lux enim illa quam videmus, ex lucerna eſt. At Theologus veram eſſe conſequentiam & concluſionem ſecundi proloquii hoc pacto probat. Confirmari ait eam à Chriſto in Eccleſiaſticæ poteſtatis ſanctione, ratam habente eliminationem publicanorum, quamvis auctoritate publica telonio eſſent adhibiti, ut patet ex Matthæi XVIII. XVII. Superius lemma theſin ipſius evertebat, qua poſuerat,

rat, uſuras eſſe licitas iure divino. Nam poſito, quod Iudæis vetitum fuerit fœnus iure divino morali, ſequi omnino debet, nullas eſſe uſuras licitas iure divino. Hoc poſtremũ non eſt verius. Et præterea etiam deſtruit quod ab ipſo paulo ante poſitum eſt, prohibitionem fœnoris à Chriſto factam non intelligi debere cum uſurpatione civilis iuriſdictionis, qualis eſt in Eccleſiæ Romanæ Antichriſtiana praxi. Atqui ſi verum eſt quod hic aſſerit, non obſtante legis civilis permiſſione, cenſuram competere Eccleſiaſticam adverſus eos contra quos non eſt ulla civilis iuriſdictionis pœna, quis non videt, inde conſequi, prohibitionem Chriſti futuram cum uſurpatione iuriſdictionis. Quid enim aliud facit Antichriſtiana praxis, ut vocat, Eccleſiæ Romanæ? Ius civile non prohibuit uſuras; Eccleſia Romana eas prohibet, & punit eos qui illas exercent. An non hoc fit cum uſurpatione civilis iuriſdictionis? Nec enim civili iuriſdictione puniuntur qui uſuras accipiunt. Eccleſia igitur illa quæ pœnas imponet Laicis fœnerantibus, quas nullas impoſuit civilis iuriſdictio, an non illo modo vindicabit ſibi quod pertinet ad civilem iuriſdictionem, & Romanæ Eccleſiæ tyrannicam praxin imitabitur?

Velim

Velim nunc ad hoc mihi reſpondeat. Nam cum illis ſuis argutis cavillis ita hærere mihi videtur, ut vix ſe expediturus ſit. Quod putat, id confirmari à Chriſto in Eccleſiaſticæ poteſtatis ſanctione, dum ratam habuit eliminationem publicanorum, qui auctoritate publica telonium exercebant, optimus ac ſummus vir fruſtra eſt. Apud Matthæum cap. XVIII, verſu XV, agitur de eo qui peccaverit in fratrem ſuum, & correptus non audierit, neque fratrem ipſum, neque teſtes coram quibus increpitus fuerit, neque ipſam Eccleſiam. Talem habendum eſſe Chriſtus pronunciat tanquam Ethnicum, & publicanum: ἐὰν δὲ καὶ τῆς ἐκκλησίας παρακούσῃ, ἔστω σοι ὥσπερ ὁ ἐθνικὸς καὶ ὁ τελώνης. Numquid ibi legitur, ὥσπερ ὁ ἐθνικὸς καὶ ὁ δανειστὴς, *tanquam Ethnicus, & fœnerator?* Quod ſi eſſet, rem confectam haberet Theologus. Sed video quorſum tendat. Publicani auctoritate publica conſtituti erant, eos tamen ἀποσυναγώγους pronuntiat Chriſtus, æque ac gentiles ipſos. Hoc non ſequitur. Nec ex illis verbis Chriſti id poteſt elici. Dicit quidem, fratrem à quo frater offenſus ſit, ſi reſipiſcere correptus ille nolit, eo loco habendum eſſe fratri quo ethnicum & publicanum. Ut deinceps ab eius converſatio-

ſatione & colloquio æque abhorreat frater, atque ab ethnici & publicani. Non dicit ſimplicitur, ἐὰν ἢ καὶ παρακούσῃ τῆς ἐκκλησίας, ἔστω ὥσπερ ὁ ἐθνικὸς, καὶ ὁ τελώνης, ſed ἔστω σοι, non ſit Eccleſiæ, ſed ſit tibi. Quod ad ἐθνικὸν attinet, certum quidem eſt, nihil commune habuiſſe cum ſynagoga, nec potuiſſe adeo ἀποσυνάγωγον fieri pœnæ loco. Idem de publicano dicas extraneo. Nam duorum fuere generum in Iudæa ~~extranei~~ publi ~~ac~~ gentiles, & Iudæi. In verbis Servatoris de Iudæo publicano accipiendum eſſe, facile conceſſero, quatenus ibi diſtinguitur ab ethnico. *Sit tibi tanquam ethnicus & publicanus.* Ergo de publicano Iudæo id capiendum, qui non ſit ethnicus. Sed quæſtio eſt, an huiuſmodi publicani Iudæi ἀποσυνάγωγοι eſſent, & ab ingreſſu templi arcerentur, ob hoc ipſum quod telonio præfecti forent. Scio quidem, in ſummo odio fuiſſe apud Iudæos, adeo ut non peiore ipſos gentiles execrarentur, quam iſtos, qui divexabant fratres ſuos, & expoliabant, dum rigide nimis vectigalia exigerent, & plus etiam quam par eſſet aut lege ipſis conſtitutum, ſolerent capere. Cum ἁμαρτωλοῖς iunguntur apud Matthæum. Apud Lucam tamen cap. XVIII, in templum ſimul oraturi deſcendunt Phariſæus

&

& publicanus. Quod autem ibi dicitur, τελώνης μακρόθεν ἑστὼς, *à longe ſtans*, non in extima templi porticu eum oraſſe, quam etiam ingredi alienigenis licebat, interpreter cum doctiſſimo enarratore. Sed cum præcedat de Phariſæo qui πρὸς ἑαυτὸν σταθεὶς orare proponitur, intelligendus eſt ſeſe ſubmoviſſe à publicano longule, ne eius contactu pollueretur, non tamen tanto intervallo fuiſſe invicem diſſitos, ut alter in medio templo, alter in extima eius porticu oraverit. Nam Phariſæus inter orandum cum dicat, non ſe eſſe rapinatorem, iniuſtum, mœchum, nec ut iſtum publicanum, καὶ οὐχ ὡς οὗτος ὁ τελώνης, non procul ab ipſo fuiſſe publicanum, inde liquet. Teneo etiam, publicanos huiuſmodi ad ſynedria & iudicia non fuiſſe admiſſos, quinimo à teſtimonii dictione etiam prohibitos: nihil tamen hoc facit pro Theologo noſtro. Nam hac in parte ius civile non fuit contrarium tunc Eccleſiaſtico. Hoc autem ille vult, fuiſſe quoſdam, quos civilis iuriſdictio admitteret, Eccleſiaſtica vero puniret. Quod nunquam factum. Immo è contra ſeveriores interdum leges civiles in quibuſdam quam Eccleſiaſticæ. Lenonem, etiamſi arti renuntiaverit, ſemper pro infami habent

leges

leges civiles. Si reſipuerit, eum admittit ac reconciliat ſibi Eccleſia. Atque ita mos ac ius fuit in aliis pleriſque qui notantur infamia Edicto prætoris. Nam Eccleſia nulli infamiam irrogat pro pœna. Talis igitur pœna è iure civili deſcendit. Eccleſiaſtica autem animadverſio eſt, à ſacra cõmunione arcere, penes Chriſtianos: & à ſynagoga ac templi aditu, apud Iudæos. Apud Chriſtianos certum eſt, nunquam publicanos, quatenus publicanos, id eſt, publici mancipes ac redemptores, & publica auctoritate tributa colligentes & exigentes, fuiſſe à communione ſubmotos. Ne apud Iudæos quidem id factum auſim aſſerere, ut ἀποσυνάγωγοι eſſent qui publicum agerent quorumcunque vectigalium. Contrarium oſtendit quod in Euangelio legitur de publicanis à Iohanne baptizatis, quos telonio renuntiare, ut pœniterent, non iuſſit, ſed vetuit tantum in pœnitentiæ argumentum quidquam exigere quod ipſis lege non liceret. Aut res eſt illicita, tributa & vectigalia imponere ſubditis, aut licita. Si illicita eſt, non tantum qui præficiuntur illis exigendis, graviſſime peccant, ſed etiam, qui eos huic muneri præficiunt, aut ullum omnino tributum vel vectigal ſubiectis imponunt,

gra-

gravius delinquunt. Si vero licita ſit, quis dicere queat, rei licitæ exactores & publica auctoritate id agentes peccare, & propterea excommunionis pœnam ſubire debere? Chriſtus non ſolum dicto ſuo probavit, ſed etiam facto ſuo comprobavit, tributum eſſe ſolvendum principibus. Paulus in Epiſtola ad Romanos, cum πᾶσαν ψυχὴν præcipit ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτάσσεσθαι, *omnem animam poteſtatibus ſublimioribus ſubditam eſſe*, diſertis verbis ad ſolutionem cenſus & vectigalium, eam ſubiectionem & ὑποταγὴν porrigi debere ibidem adiicit: διὰ τοῦτο γὰρ καὶ φόρους τελεῖτε, λειτουργοὶ γὰρ θεοῦ εἰσι, εἰς αὐτὸ τοῦτο προσκαρτεροῦντες. *Ideo enim & tributa præſtatis. Miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes.* Statim ſubiungit, reddenda etiam hac eadem ratione debita omnibus. Ἀπόδοτε οὖν πᾶσι τὰς ὀφειλάς. τῷ τὸν φόρον, τὸν φόρον. τῷ τὸ τέλος, τὸ τέλος. *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal.* Quam ridiculum eſſet, magiſtratibus aut principibus permitti tributum imperare, & eos quorum opera tributa exigunt principes, condemnare & ab Eccleſia eiicere? Nonne hoc eſſet, licentiam datam alia via revocare? Magiſtratui licitum ſit, tributum accipere, ſed quia accipit, pu-

niatur. Punitur enim in perſona eius quem huic operi miniſtrum adhibet, qui eo nomine condemnatur, quod rem licitam magiſtratui, & ab ipſo, cui ea licita eſt, ſibi commiſſam, exequatur. Hæc ἀσύστατα qui mihi conciliare conabitur, valde laborabit, & laborabit fruſtra. Si de publicanis negamus, recte excommunicari poſſe, quia id agunt nomine magiſtratus, quod magiſtratui, ut faciat, iure divino licet, an non idem de fœneratoribus inferre poſſumus, quos magiſtratus exercendę publicæ menſæ præpoſuit, quique uſuras ab eodem magiſtratu præſtitutas accipiunt? Ut contrarium meæ ſententiæ ſtabiliatur, debet prius conſtare, tam apud Iudæos, quam apud Chriſtianos primitivæ Eccleſiæ, fœneratoribus ſynagogam & ſynaxin pro pœna fuiſſe interdictam. Quod Theologo probandum utrumque incumbit. Latiſſima autem inter publicanum & fœneratorem differentiæ patet intercapedo. Hic etiamſi modum excedat, cum beneficio tamen maleficus eſt. Dat pecuniam ea indigenti mutuam, pro qua ſi nimias uſuras exigat, nimis magno vendit ſuum beneficium. Cum ſuo pariter commodo & alieno profeſſionem ſuam exercet fœnerator. Ad lucrum ſæpe petitur

petitur pecunia mutua, & cum lucro repetitur. Si quando non ad lucrum quæritur, certe ad damnum evitandum, aut inſtantis inopiæ temporalis malum declinandum. Idque pro lucro eſt, & interdum etiam maius lucro. At publicanus cũ concuſſione extorquet ab egeno quod capere per leges ei non licet, mere maleficus eſt ſine ullo beneficio. Quid ſi ille publicanus non plus extorquet tributi nomine quã debet, an debet eſſe ἀποσυνάγωγος, aut ἀσυνάκτος? Nemo eſt qui dixerit. Et exẽplo illuſtri probari id poteſt ex Lucæ III, XIII, cuius paulo ante memini. In eo publicani ad Iohannem accedunt, ut baptizentur, ad eum, inquam, Iohannem, qui homines ad pœnitentiam vocabat, & vias Chriſto præparaturus venerat. Petunt illi publicani ab ipſo, ubi baptizati fuere, quid faciemus? *At ille dixit ad eos, nihil amplius, quam quod conſtitutum eſt vobis, exigatis.* μηδὲν πλέον παρὰ τὸ διατεταγμένον πράσσετε. Nam πράσσειν ibi eſt *exigere*, non *facere*, ut vertit vetus interpres. Numquid renunciare eos telonio iuſſit? Neutiquam. Sed in telonio exercendo non plus exigere quam ipſis lege conſtitutum eſſet. Nam & ipſe Chriſtus exigi tributa probavit, dum iuſſit reddere Cæ-

ſari quod Cæſaris eſſet. Talem ergo *τελώνην* qui ex præcepto Iohannis nihil amplius quam quod conſtitutum ſibi eſſet exegiſſet, nec à ſynagoga tum excluſiſſet Iudæus, nec ab Eccleſia Chriſtianus. Baptiſmus Iohannis, ut patres antiqui tradunt, pœnitentes liberabat ab igne æterno. Publicanum pœnitentem & baptizatum, nec profeſſioni iuſſum renuntiare, ſed tantum iniuſtæ exactioni, quis *ἀποσυνάγωγον* merito diceret, qui in ſua profeſſione manens dignus videbatur æterna vita? Cyrillus in Catecheſi de Baptiſmo Iohannis: *ἀλλὰ γνῶτε οἱ Ἱεροσολυμῖται, πῶς οἱ τότε Ἱεροσολυμῖται ἐξερχόμενοι ἐβαπτίζοντο, ἐξομολογούμενοί, φησι, τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν. Πρῶτον ἐδείκνυον τὰ τραύματα, εἶτα ἐπῆγεν ἐκεῖνος τὰ ἰατρεύματα, καὶ τοῖς πιστεύουσιν λύτρωσιν αἰωνίου πυρός. Καὶ εἰ θέλεις αὐτὸ τοῦτο πεισθῆναι, ὅτι λύτρωσίς ἐστι τὸ βάπτισμα Ἰωάννου πυρὸς ἀπειλῆς, ἄκουε λέγοντος αὐτοῦ, γεννήματα ἐχιδνῶν τίς ὑπέδειξεν ὑμῖν φυγεῖν ἀπὸ τῆς μελλούσης ὀργῆς;* Apud Græcos nec ſacris arcebantur *οἱ τελῶναι*, quamvis inter turpes & *ἐπονειδίστους τέχνας* ea profeſſio ab his recenſeatur. Sed fœneratores inter eos non numerant qui artes exercent inhoneſtas ac probroſas. Vide Pollucem lib. VI, cap. XXXI, *περὶ βίων ἐπονειδίστων*. Quid ſi ergo fœnerator pu-

publicus tum ad Iohannem acceſſiſſet ab ipſo baptizandus, & ſimiliter ab eo quæſiſſet, quid facere deberet, an putamus, aliud ei iniuncturum fuiſſe Iohannem quam quod illis publicanis? μηδὲν πλέον παρὰ τὸ διατεταγμένον πράσσετε. *Nihil amplius quam quod vobis conſtitutum eſt, uſurarum nomine exigite.* Militibus ſimiliter reſpondet Iohannes idem, qui ab ipſo percontabantur quid agerent, baptiſmo nempe in pœnitentiã peccatorum accepto, *ut neminem concuterent, neque per fraudem & calumniam circumvenirent, & ut contenti eſſent ſuis ſtipendiis.* Hoc eſt, ut μηδὲν πλέον παρὰ τὸ διατεταγμένον acciperent. Hinc explicanda & definienda, ut oſtendimus in præfatione libri de Uſuris, vox πλεονεξία, ſtatuendumque, neminem πλεονεκτεῖν, niſi qui πλέον παρὰ τὸ διατεταγμένον accipit. Nam qui non amplius quam quod ipſi conſtitutum eſt, ex muneris quo fungitur ratione, accipit, non πλεονεκτεῖ, nec πλεονεξία de eo dicenda. Quam normã difficile eſt tenere in pleriſque profeſſionibus, & præcipue quæſtuariis, & iis maxime quæ auctoritatis publicæ prætextu utuntur ad rapinas ſuas, fraudes, & furta obtegenda, ut in publicanis, & militibus, de quibus eſt apud Iohannem, ſed & mercatoribus, fœnera-

toribus, aliiſque omnibus artibus quæ queſtum & lucrum habent pro fine. Ut πλέον non exigant quam par eſt, aut quam ipſis conſtitutum eſt, & quam Charitas proximi poſtulat, vix obtinueris. Qui poſſunt hoc à ſe impetrare, & præſtant, πλεονεξίας crimine non ſunt pulſandi. Non placet hoc Theologo, & quamvis probet quod docui in Epiſtola Pauli ad Epheſios cap. v, Apoſtolum nomine πλεονεξίας non intellexiſſe proprie uſuram, ſed omnem plus habendi cupiditatem, neutiquam tamen ſe cenſere ait, cum Paulus nominat πλεονεξίαν, de fœneratoribus nihil cogitaſſe. Nec ipſe ſane negaverim, Apoſtolo fœneratores quoque in mente fuiſſe, cum πλεονεξίαν nominavit, ſed concedat etiam mihi oportet, non alios intellexiſſe quam qui πλέον παρὰ τὸ διατεταγμένον acciperent uſurarum nomine. At qui contenti erant legitimis uſuris, ut milites qui ſtipendiis, ut publicani qui τῷ διατεταγμένῳ, ut mercatores qui lucro modico, ut artifices qui iuſtis manupretiis, neminem ex his putare oportet πλεονέκτην ab Apoſtolo eſſe appellatum. Quod ſi πλεονεξίας vis & appellatio in eos etiam caderet, qui quod eſt licitum ac legitimum ex profeſſione ſua lucrantur, nec quic-

quicquam amplius extorquent, aut exigunt, profecto nec milites πλεονέκτας ex pœnitentia ad baptiſmum admiſiſſet Iohannes, nec publicanos. Atqui eos recipit, ſub ea conditione, ut ne ſint πλεονέκται, hoc eſt, ut ne plus quam conſtitutum eſt ipſis, accipiant & exigant. Non ergo qui hoc faciunt, πλεονέκται. Nec enim πλεονέκτας alios Græcis vocatos proprie conſtat, quam qui per vim, aut fraudem dolumve aut contra leges plus habere cupiunt quam debent. Fraus quidē omnis doluſque & vis legibus ac iuri contraria ſunt, ſed quædam etiam committuntur contra legem, quæ nec vi nec dolo fiunt. Ut qui ampliores legitimis uſuras accipit à debitore fœnerator. Non vis ab eo adhibetur, quia à volente eas exigit, & ex pacto. Non fraus aut dolus ullus in ea pactione intervenit quo circumſcribatur debitor, quia intelligit quid agatur. Quia tamen modum à lege præſcriptum uſurarum tranſcendit fœnerator, ideo in legem peccare creditur. Hæc cupiditas plus capiendi quocūnque modo quam per leges cuiquam licet, πλεονεξία Græcis nuncupatur. Quo vitio non eſt notandus qui uſuras ex pecunia ſua legitimas accipit, haud ſane magis quam mercenarius qui

pactam mercedem recipit, aut mercator qui pro merce ſua iuſtum preciũ petit, vel artifex qui manuprecium pro opificio. Quinimo dici etiam poteſt, vel minus in uſuris peccari, quia magiſtratus & lex providit, modum ſtatuendo, intra quem iuſtum eſſet eas exigi, & ultra, iniuſtum. At πλεονεκτεῖν mercenarius nulla prohibetur lege, quin quantam maximam velit mercedem pro opera poſſit paciſci, & artifex pro manuprecio, & mercator pro precio mercis. Iſti omnes ideo ſæpe modũ egrediuntur, quia à voluntate id ipſorum pendet, quæ in pleriſque πλεονεκτικὴ eſt. Ne poſſit πλεονεκτεῖν fœnerator, lex obſtat, quæ repagulum oppoſuit eius πλεονεξίᾳ, modumque iuſtum ſibi viſum poſuit, quem non tranſiliret. Si id faciat, eadem lex quæ tranſgreſſionem prohibuit, etiam tranſgreſſorem debet plectere. Non alio ſane ſenſu accipi poteſt vox πλεονεξίας apud Apoſtolum eo loco quem dixi. Nuperus tamen Exercitator, qui aliis indicta conſectatur magis quam dicenda, nam tacenda ſæpius dicit quia abſurda, mirum huius vocis in ſuis Notis interpretamentum adfert. Pleonectas enim eos cenſet dici, *qui modum in libidine excedunt, quales ſunt adulteri inprimis, qui &* *aliena*

aliena ſibi vindicant. Vt venerea libido ac impuritas πλεονεξία *ſit, nec ſemel ſic dicatur.* Nihil impurius hac obſervatione, quia falſa eſt. Non ſemel eam vocem ſic uſurpari quia dicit, vellem vel unum locum produxiſſet ubi ſic accipiendam manifeſto liqueat. An quia Paulus πλεονεξίαν nominat cum πορνείᾳ & ἀκαθαρσίᾳ, ideo exceſſum in libidine ita notavit? Mira ratio. Verba prius Apoſtoli videamus. Πορνεία δὲ καὶ πᾶσα ἀκαθαρσία, ἢ πλεονεξία μηδὲ ὀνομαζέσθω ἐν ὑμῖν, καθὼς πρέπει ἁγίοις. *Fornicatio autem, & omnis impuritas, aut avaritia ne nominentur quidem in vobis, ſicut decet ſanctos.* Ergo πλεονεξία quæ cũ immunditia & fornicatione hic nominatur, nec nominanda inter ſanctos, non erit avaritia, vel nimia habendi cupiditas, ſed libidinis exceſſus? Non video cur Apoſtolus debuerit exceſſum eius rei damnare, quæ res ipſa per ſe damnanda ſit. In quibus rebus culpatur exceſſus, eæ res non ſolent eſſe per ſe vitioſæ, ſed earum omne in exceſſu vitium. Ut in uſuris, cum licitæ ſint per ſe, & proinde inculpatæ, qui modum in his excedit, omnino peccat. Fornicationis vitium & culpa in ipſa eſt, non in exceſſu. Plus quidem peccat qui excedit in ea modum, ſed qui rem ipſam damnat, & deteſtandam eſſe docet, multo

magis exceſſum in re damnare cenſendus eſt. Non igitur opus, damnata ipſa re, exceſſum eius culpare, quæ etiam ſine exceſſu prorſus reprehendenda eſt. Non video præterea, cur dici debeant πλεονέκται qui modum in libidine excedunt. Cum enim veteres tradant, συνουσίαν eſſe ἀπουσίαν, & neminem ad id opus accedere quin multum ſui deperdat, in frequente huius κλινοπάλης exercitio, quo homo deteritur ac decoquitur, non poteſt videri πλεονεκτεῖν, apud quem nihil plus ex eo opere remanet, cum potius detrimentum patiatur. Omnis enim συνουσιάζων etiam ἀπουσιάζει, ut eleganter aiunt Græci. At πλεονεκτεῖν is proprie dicitur qui πλέον ἔχει ex alieno per fas ac nefas. Poſſunt quidem videri πλεονέκται, id eſt, iniurii & iniuſti, ſi in libidine ſua exſaturanda ea aſſectantur quibus iniuria alicui fiat. Ut qui alterius uxorem tangit, viro iniuriam facit, & eo nomine eum πλεονεκτεῖ. Non tamen ipſa per ſe πορνεία, & eius actus πλεονεξία eſt. Si hæc nimis ſubtilia ſunt, agamus craſſiore minerva in confutanda tam bellula animadverſione. *Qui in libidine*, inquit, *modum excedunt, quales ſunt adulteri inprimis, qui & aliena ſibi vindicant, πλεονέκται illi ſunt.* Quos velit in libidine modum excedere

dere, plane neſcio, cum addat, *quales adulteri inprimis*. Atqui adulteri non modum magis excedunt in libidine venerea quam quilibet ſcortator, immo ſæpe minus. Fornicator quotieſcunque animo libet, in lupanar deſcendit, & in illa palæſtra ita aſſiduam poteſt operam ſumere, ut nimia ſit, & ſic modum excedat, & ſe conficiat, corpuſque ac vires attenuet, atque enervet. Hic exceſſus eſt in libidine. Adulter, quo rariores ſe præbent occaſiones ac difficiliores peccandi, eo minus frequenter peccat. Ponatur tamen, adulteros plurimos exiſtere, quibus benigna materia, quaſi bonis fabris lignum, non deſit, non magis tamen exceſſu libidinis peccabunt, quam fornicatores, ſi non frequentius libidinentur. An adulter, qui ſemel in ſeptimana, vel in menſe, vel in anno, adulterium commiſerit, plus excedit modum libidinis quam ſcortator qui ſingulis diebus aliquoties in eo opere deſudaverit? Non certe putem. Genus enim libidinis eſt quod adulterũ à fornicatore diſtinguit, non coitus nimietas, & ſalacitas. Qualitatem eſſe, non quantitatem, aliquis barbarus diceret. Quantitas in exceſſu eſt, ſed qualitas perſonæ in qua peccatur, adulterum pro fornicatore reddit, non

ipſe

ipſe actus rarior aut crebrior. Subſterne libidinoſo matronam, adulter ab eius toro ſurget. Fac in fornice ſcortum conductum ſtrenue exerceat, inde fornicator exibit. Uterque poteſt immodica ſe libidine exhaurire, ſi nimis aſſiduam & frequentem operam ponat, hic in uxoribus alienis permolendis, ille in ſcortis ſubigendis. *Quales ſunt adulteri inprimis,* ait noſter, *qui aliena vindicant.* Intelligit nimirũ de his qui ad alienas uxores adfectant viã. Non intelligo quid velit, nec ipſe fortaſſe quid ſcriberet intellexit. Si per exceſſum libidinis adulterium etiam ſignificari putat, non ponit exceſſum in nimio libidinis uſu, ſed in tali libidine, quæ etiam intra modum uſurpata, exceſſus nihilominus debeat dici. Si hoc verum, certe & ipſa fornicatio, ſive πορνεία, hoc eodem exceſſus nomine debebit ſignari. Omnis enim venus extra matrimonium & legitimam quaſi voluptatem, libido eſt cum exceſſu. Quid igitur opus πλεονεξίαν hoc loco de exceſſu libidinis interpretari, cum ipſa πορνεία ſit exceſſus? Sin autẽ in nimia libidinandi aſſiduitate exceſſum collocat, non erit adulteriũ exceſſus, ſi parce & cum modo ſumatur. Hæc ineptiſſima eſſe, ipſe tum quæſo ſentiet

tiet ubi hęc legerit. Omnē libidinem extra matrimoniū exceſſum eſſe, veteribus patribus placuit. Tertullianus de Anima cap. xxvii. *Natura veneranda eſt, non erubeſcenda. Concubitum libido, non conditio fœdavit. Exceſſus, non ſtatus, eſt impudicus. Siquidem benedictus ſtatus apud Deum, creſcite & in multitudinem proficite, exceſſus vero maledictus, adulteria & ſtupra & lupanaria.* Vides, πορνείαν etiam exceſſum dici. Cur illa Criticus de libidinis exceſſu dixit, ſi, ut πλεονέκτης aliquis ſit, debet etiam neceſſario aliena vindicare? Qui cum meretrice aut publico ſcorto rem habet, nihil ex alieno ſibi vindicat, ſed mercem publicam & omnibus patentem ſui iuris facit mercede pacta, haud aliter quam ſi equum aut mulum conduceret ad vehendum ſe, aut portandas ſarcinas. Et tamen iſte qui ſcortū conducit poteſt in libidine exceſſum facere, ſi pluries, aut plura ſcorta ductitet. Sed nec alieni vindicatio omnis facit adulterum. Qui alienam ancillam vitiaverit, aut etiam rapuerit, ut ſtuprum ei per vim inferat, alienum vindicat, non tamen mœchus eſt, ſed nec πόρνος proprie loquendo. Græce enim periti ſciunt quid Gręci hoc nomine ſignificent. Cinædum ſic vocant, & maſculam, ut

ita

ita dixerim, meretricem. Cæterum ſi πλεονεξίας nomine id quod faciunt adulteri maxime intellexit Apoſtolus, cur μοιχείαν non potius nominavit, ut alio etiam loco fecit? Ne cauſæ quidem quidquam fuit cur eam nominatim memoraret, ubi πορνείαν adeo deteſtandam ſanctis monet, ut ne nominari quidem inter ipſos debeat. Πορνεία permiſſa tunc fuit tam legibus ac moribus Romanorum, ſub quibus tum Iudæa, quam Iudæorum. Meretrices enim paſſivitus ex lege Moſis in populo Dei eſſe potuerunt, dum eſſent extraneæ. Nam Iſraëlitidi non licuit corpus meritorium habere. At legibus Romanorum πορνεῖα ubique, id eſt, lupanaria, tunc aperta, & utriuſque quidem ſexus. Cum igitur Paulus ne πορνείαν quidem decere nominari inter ſanctos, velit, multo magis μοιχεῖαν admiſiſſet, quæ legibus tunc vindicabatur, ac morte puniebatur? Qui πορνείαν itaque tam deteſtandam facit, non habuit neceſse μοιχεῖαν expreſse vitandam monere, in quam leges civiles Romanorum & Iudaicæ morte animadverterent. Præterea cum poſt πορνείαν adiiciat ſtatim, καὶ πᾶσαν ἀκαθαρσίαν, ſub hoc nomine omnes ἀκαθαρσίας, etiam μοιχείαν, potuit videri comprehen-

hendiſſe. Quæ enim maior ἀκαθαρσία quam mœchimonium? Quinetiam ſub πορνείας vocabulo potuit etiam μοιχείαν intellexiſſe. Et apud Matthæum ita ſumi palam eſt cap. XIX. IX. Ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, καὶ γαμήσῃ ἄλλην, μοιχᾶται. Sæpe etiam alii Græci hæc nomina confundunt, & grammatici alterutrum per alterum exponunt. Heſychius: μοιχοῖς, πόρνοις. An non ſatis, ſub illa πάσης ἀκαθαρσίας, vel etiam πορνείας appellatione, quæ præceſſit, hoc etiam complexus eſt? Cur πλεονεξία ita accipi debeat in verbis Pauli, hanc adiicit rationem mirificus idẽ interpres. *Neq; enim*, inquit, *ᾗ πλεονεξίαν dixit, ne hæc duo ſepararet, ſed, ἡ πλεονεξία.* Ergo iuxta nuperum enarratorem, particula ἢ idem valet quod ἤτοι vel ἤγουν in his verbis: καὶ πᾶσα ἀκαθαρσία, ἢ πλεονεξία. Hoc ſenſu, idem erit πλεονεξία quod ἀκαθαρσία. Idem quippe eſt ac ſi ſcripſiſſet Apoſtolus, καὶ πᾶσα ἀκαθαρσία, ἤτοι πλεονεξία. *Et omnis immunditia, id eſt*, πλεονεξία. Quo ſenſu Apoſtolus miram loquendi ac novam inſtitueret rationem, vocabulum minime obſcurum per obſcuriſſimum exponens. Quid eſſet ἀκαθαρσία, neminem tunc latebat, omnis nempe dictorum factorumve ſpurcitia.

At

At πλεονεξίαν qui in ea ſignificatione uſurpaverit antiquorum auctorum, ſive ſacrorum, ſive profanorum, Græcorum aut Græciſtarum, ego quæro, nec reperio. Forſitan aliquem nobis Helleniſticum ſcriptorem aliquando procudet qui ita ſumpſerit hanc vocem. Quærendus illi & aliquis talis qui particulam ἢ cum leni aſpiratione & gravi accentu poſuerit pro ἤτοι, vel ἤγουν. Nam certus ſum, ex Græcis neminem poſſe produci qui ſic loquutus ſit. Grammatici eorum notant, illud ἢ, ψιλούμενον καὶ βαρυνόμενον quattuor tantum ſignificationes habere. Eſſe enim διαζευκτικὸν, ὑποδιαζευκτικὸν, διασαφητικὸν, & quarto loco accipi pro καί. Exēplū afferunt, τοῦ διαζευκτικοῦ, quod contraria dividit ac diſiungit in conſtructione, ἢ ἡμέρα ἐστὶν, ἢ νύξ. *Aut dies eſt, aut nox.* Ὑποδιαζευκτικὸν etiam παραδιαζευκτικὸν appellant, cum ſic ponitur, ut plures res differentes ſimul iungat, & nulla in petitione nominatim excipitur, ut in hoc exemplo: Δός μοι χρυσὸν, ἢ ἄργυρον, ἢ λίθους τιμίους. *Vel* hoc ſenſu Latini melius uſurpant quam *aut. Da mihi aurum, vel argentum, vel lapides pretioſos.* Tertium διασαφητικὸν appellant, qui aliis συγκριτικὸς dicitur, cum ex duobus propoſitis alterum tanquam

melius

melius eligitur. Ut in hoc verſu: Ἐν γῇ πένεσθαι κρεῖσσον, ἢ πλουτοῦντα πλεῖν. Latini per *quam* id exprimunt. *Melius in terra pauperem eſſe quã navigando diteſcere.* Quarta eius ſignificatio eſt qua ſumitur pro καί. Hoc loco apud Paulum ita accipi neceſſe eſt. Quod enim dicit Paulus, ἀκαθαρσία, ἢ πλεονεξία, idem eſt ac ſi dixiſſet, καὶ πλεονεξία. In ſequenti quippe verſiculo & veteres libri, atque in his vetuſtiſſimus Puteanus, ita ſcriptum exhibent: ἢ αἰσχρότης, ἢ μωρολογία, ἢ εὐτραπελία, pro eo quod editum eſt, καὶ αἰσχρότης, καὶ μωρολογία, ἢ εὐτραπελία. Veterem etiam interpretem ſic legiſſe, arguit ipſius verſio: *Aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinent.* Ubi ἢ, vel *aut*, idem valet quod καί. Ita hunc συνδεσμὸν accepiſſe Paulum ſi mihi non credit Criticus, ipſi Apoſtolo credat. Is verſiculo v, ubi nominat eodem ordine operatores fornicationis, impuritatis, & avaritiæ, quæ vitia ipſe recenſuerat in hoc verſiculo III, ita ſcripſit: τοῦτο γὰρ ἴστε, γιγνώσκοντες, ὅτι πᾶς πόρνος, ἢ ἀκάθαρτος, ἢ πλεονέκτης, ὅς ἐστιν εἰδωλολάτρης, οὐκ ἔχει κληρονομίαν ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ οὐρανῶν. Vides, tria diverſa vitia poni cum particula diſiunctiva ἢ, idem valente quod καί. Nam hic dixit, πόρνος, ἢ ἀκάθαρτος,

quod ſuperiore verſiculo, πορνεία καὶ ἀκαθαρσία. Ergo ſimiliter intelligi debet, ἀκαθαρσία, ἢ πλεονεξία, pro καὶ πλεονεξία. Ita quippe illa tria diſiungit, ut tamen ſub eadem negativa includat. Et nihil tritius apud Græcos ſcriptores hac loquutione. Exempla paſſim occurrunt. Unum aut alterum afferam, & ex ſacris quidem auctoribus. In canonibus Apoſtolorum nihil frequentius. Ut in hoc canone: Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, κύβοις σχολάζων καὶ μέθαις, ἢ παυσάσθω, ἢ καθαιρέσθω. An Epiſcopus hoc canone idem cum presbytero, & preſbyter cum diacono? Ita putaret Criticus. In Laodiceno canone XXVII. Ὅτι οὐ δεῖ ἱερατικοὺς, ἢ κληρικοὺς, ἢ λαϊκοὺς καλουμένους εἰς ἀγάπην μέρη αἴρειν. An iidem Clerici cum Laicis, quia dixit, κληρικοὺς ἢ λαικούς; Ita videretur Critico, qui vult, Apoſtolum ideo dixiſſe, ἀκαθαρσίαν ἢ πλεονεξίαν, non καὶ πλεονεξίαν, ne eas ſepararet. Pudet plura exempla congerere in re notiſſima. Sic mediæ ætatis ſcriptores Latinos ſuum *vel* pro *&* poſuiſſe alibi notavimus, ut in hoc verſu Pervigilii.

Ruris hic erunt puellæ, vel puellæ montium.

Pro *& puellæ*. Sed & *aut* eodem ſenſu uſurpare non dubitarunt Latine loquentes,

ut hic Paulus τὸ ἢ uſurpavit. Quis enim neget, hanc eſſe Latinam loquutionem? *Titius & Mævius, aut Seius ne digni quidem cenſeantur colloquio veſtro.* Τίτιος ϗ Μαίβιος, ἢ Σήϊος. Simile eſt apud Paulum: μηδὲ ὀνομαζέσθω ἐν ὑμῖν πορνεία ϗ ἀκαθαρσία, ἢ πλεονεξία. At illud ἢ pro ἤτοι prorſus in lingua Græca inauditũ, & miror, hoc illi excidiſſe, qui velit in ea litteratura principatũ tenere. Sed omnem ſuperat abſurditatis hyperbolen, quod idem ſacer Criticus omnia illa quæ ſequuntur, ἢ αἰσχρότης, ἢ μωρολογία, ἢ εὐτραπελία, etiam ad obſcœnitatem libidinis refert, de qua præceſſit in priore verſiculo. Μωρολογία, inquit, *quid ſit, non dubitabit, qui* τὰ ἀφροδίσια *ſive venerea* μωρὰ *dici ab Euripide meminerit.* Certe & ἀνόητα ſic dicuntur ab Ariſtophane, non tamen ſequitur, ut ἄνοια de libidine & obſcænitate proprie ſumatur, aut ἀνόητος de libidinoſo & obſcæno. Venus dementat quibus imperat, non ideo dementes omnes ex venere inſaniunt. Si μωρολογία de re venerea uſurparetur, etiam *moriones* pro libidinoſis & obſcænis venirent. Cum ſcurrilitas porro ſit ſpecies μωρολογίας, & plerumque μωρολογεῖν pro *ſcurrari* auctores vertant, etiam *ſcurra* de venereo nepotulo diceretur. Deinde

cum Apoſtolus εὐτραπελίαν iungit cum μωρολογίᾳ, an & εὐτραπελίαν Criticus ſacer nobis pro obſcænitate libidinis obtrudet? Sequitur apud Paulum, τὰ οὐκ ἀνήκοντα. Hæc τὰ οὐκ ἀνήκοντα, *quæ ad rem nihil pertinent*, etiam Ariſtarcho iudice pertinebunt ad venerea & laſciviam? Quis non videt, his tribus vocabulis, αἰσχρότητος, μωρολογίας, & εὐτραπελίας, Apoſtolū præcipere, vitandam eſſe omnem obſcænam dicacitatem, vernilitatem, ſcurrilitatem, qualem exhibent qui Gręce dicuntur γελωτοποιοὶ, κοπρίαι, μωρολόγοι, & εὐτράπελοι, qui τὰ οὐκ ἀνήκοντα ſæpius loquuntur, quid dicant ſecuri, dū riſum moveant, ut ſcurrę ſolent, & aliæ ridiculæ perſonæ, omnia dicere & facere ut rideantur. Nam αἰσχρότης Paulo idem quod αἰσχρολογία. Et Heſychius critico laudatus, αἰσχρολογίαν & μωρολογίαν & εὐτραπελίαν camdem facit, quæ Apoſtolo diſtinguuntur tanquam ſpecies eiuſdem generis. Et poſſemus docere, quomodo & quatenus differant, ſi hoc agere hic propoſuiſſem. Non male Latinus interpres μωρολογίαν reddidit *ſtultiloquium*. Quintilianus in Inſtitutionibus Oratoriis lib. VIII. cap. ult. *ſtultitiam* ita ſeparat ab *urbanitate*. Et per ſtultitiam intelligit μωρολογίαν, ut hic αἰσχρότης Paulo

lo ponitur pro *αἰσχρολογία*. *Pervenit*, inquit, *hæc res frequentiſſime ad riſum; qui ſi aptus eſt, urbanitas; ſin aliter, ſtultitiæ nomen aſſequitur.* Hanc omnem verborum & ſermonis obſcænitatem, ac ſcurris, mimis, & inſipientibus familiarem dicacitatem, à ſanctis abeſſe quam longiſſime vult Paulus, quibus potius convenire ait τὴν εὐχαριστίαν. Sic enim vocat: ἀλλὰ μᾶλλον εὐχαριστίαν. Quod verbi per *gratiarum actionem* male reddi ab interpretibus fateor, non tamen ut accedam ſententiæ Exercitatoris ſacri, qui *pudicitiã* & *caſtitatem* exponit. Quod interpretamentum eſt maxime ridiculum. Nec minus, quod εὐχάριστον γυναῖκα in proverbiis Salomonis de pudica quoque accipit in his Sapientis verbis: γυνὴ εὐχάριστος ἐγείρει ἀνδρὶ δόξαν. Magis de impudica, ac de ea quam χαρίζεσθαι Græci dicunt, ratio vocabuli ſuaderet accipiendum. Sed alia mens Salomonis. In Hebræo eſt, אשת חן, id eſt, *mulier gratiæ*, ad verbum, *gratioſa*, nempe ut vulgo Gallis noſtris hæc vox ſumitur, id eſt, grata ac decora, amabilis & affabilis. Symmachus & Theodotion καλὴν καὶ καλόφρονα verterunt. Potuerunt reddere & χαρίεσσα. Et recte interpretes, qui εὐχάριστος. Idem quippe εὐχάριστος quod

εὔχαρις vel χαρίεις. Inde ergo & εὐχαριςία, lepor & iucunditas in ſermone, qualis ſapientem & ſanctum decet, Apoſtolo vocatur, quæ ab oppoſitione ἐυτραπελίας & μωρολογίας facile intelligitur. Urbanitas nimirum temperata, modeſta, & honeſta. Nam certe hic ἐυχαριςία nihil aliud eſt, quam ſermo cum gratia ac venuſtate. Quam Hebræi dicerent דבר חן, λόγον εὐχάριςον. De quo nos ad locũ ipſum pluribus. In priore autem verſiculo Paulus omni obſcænitate, quæ in factis ac moribus cernitur, carere ſuos vult ſanctos, ut eſt fornicatio & impuritatis libidiniſque omne genus. Sed quia quid ſit proprie πλεονεξία hic expendimus, videamus cur eam Apoſtolus poſt πορνείαν & ἀκαθαρσίαν commemoraverit. Hac enim ſola ratione inductus nuperus Criticus pro exceſſu libidinis eam interpretari voluit. Quamvis diverſa hæc inter ſe duo vitia ſint, in una tamen ſæpe ſede morantur, *avaritia & luxuria*. Infinitis auctorum teſtimoniis id probari poſſet, quod & ratio & experientia, ne teſtes advocemus, ſatis docent. Dicit de Catilina Salluſtius: *Incitabant eum corrupti mores civitatis, quos peſſuma ac diverſa inter ſe mala, luxuria atque avaritia, vexabant.* Hæc duo in unum eumdemque hominem

ſæpe-

ſæpenumero cadere, notum eſt. De eodem Catilina ſcribit paulo poſt idem auctor in Catilinario, *alieni appetentem fuiſſe; ſui profuſum, ardentem in voluptatibus.* Πλεονέκτην ſimul fuiſſe indicat, & ἀσελγῆ, voluptatibus deditum. Qui tales ſunt, ut voluptatibus ſuis ſumptus ſuppeditare poſſint, undequaque ex alieno rapiunt, & ſic πλεονεξίαν potenter exercent. Male parta in voluptates ac libidines prodigunt, quæruntque ut abſumant, mox abſumpta quærere iterum ſatagunt per fas ac nefas. Ita de Cæſare narrant, *pronum ac ſumptuoſum in libidines fuiſſe*, eumdemque *in Gallia fana ac templa Deum donis referta expilaſſe, urbes diruiſſe, ſæpius ob prædam quam ob delictum.* Vides, unum eumdemque hominem πορνείας ſive ἀκαθαρσίας, atque etiam πλεονεξίας vitiis ſimul laboraſſe. Hi ſunt quos Græci proprie vocabãt ἀσώτους. Quo nomine plerumque & τοὺς ἀκρατεῖς appellarunt. Non enim unum eſt aut ſimplex vitium quo ægrotant. πολλὰς γὰρ, inquit Ariſtoteles, κακίας ἔχουσιν. Idem eſt qui dixit in IV. Nicomachiorum, τὴν ἀσωτίαν συμπλέκεσθαι τοῖς ἀκολάστοις. Τοὺς γὰρ, inquit, ἀκρατεῖς καὶ εἰς ἀκολασίαν δαπανηροὺς, ἀσώτους καλοῦμεν. Paraphraſtes Græcus de his ſic habet: διὰ τοῦτο καὶ φαυλότατοι οἱ τοιοῦτοί εἰσι, πολλὰς ἅμα

κακίας ἔχοντες, καὶ περὶ χρήματα καὶ τὰς ἡδονὰς διεφθαρμένοι. *Peſſimi iſti omnium ſunt, & multis ſimul abundant vitiis, circa pecunias & voluptates corrupti.* Et ἀνελευθέρους ſimul, id eſt, illiberales & ſordidos eſſe dicit idem Ariſtoteles, quia λαμβάνουσιν ὅθεν μὴ δεῖ, καί εἰσι κατὰ τοῦτο ἀνελεύθεροι. Immo etiam πλεονέκτης eſt qui λαμβάνει ὅθεν μὴ δεῖ. Addit: ληπτικοὶ δὲ γίνονται, διὰ τὸ βούλεσθαι μὲν ἀναλίσκειν, εὐχερῶς δὲ τοῦτο ποιεῖν μὴ δύνασθαι. ταχὺ γὰρ ἐπιλείπει αὐτοὺς τὰ ὑπάρχοντα. ἀναγκάζονται οὖν ἑτέρωθεν πορίζειν. *undequaque enim accipiunt, quia prodigere cupiunt. Non facile autem hoc poſſunt facere, quia cito eos deficiunt facultates. Et propterea coguntur aliunde quærere, ac ſibi parare quod inſumant.* Sed quid opus hæc duo in eadem perſona hærere, ut conſtet Apoſtolo ratio qua hæc miſcuit? Etſi in diverſis reperiantur, ſic tamen potuit & hæc iunctim poſuiſſe, quatenus ad τὸ ἐπιθυμητικὸν τῆς ψυχῆς omnia iſta referuntur. Πλεονεξία res alienas & pecunias appetit. Πορνεία, quo nomine & μοιχείαν ſępe intelligunt, perſonas concupiſcit. Moſes in decimo Decalogi præcepto utrumque genus ἐπιθυμίας comprehendit, quo vetuit concupiſci uxorem proximi, neque ædes, neque agrum, neque bovem, neque aſinum, neque ſervum. Omnia

nia hæc poſtrema πλεονεξίαν prohibent, quod primo loco poſitum eſt, μοιχείαν arcet. Utraque ergo hic iuncta habes, πορνείαν, & πλεονεξίαν. Et recte Theophylactus in hunc ipſum locum Apoſtoli hunc ordinem eum ſequutum eſſe obſervat, ut ab affectibus τοῦ θυμοῦ ad affectus qui ex ἐπιθυμίᾳ oriuntur, tranſierit. Nam præcedenti capite cum iram eſſe moderandam præcepiſſet, quod θυμοῦ vitiũ eſt, ad ἐπιθυμητικὸν εἶδος τῆς ψυχῆς progreſſus eſt. Quem ordinem etiam ſervavit Moſes in Decalogo. Nam prius dixit, οὐ φονεύσεις, deinde οὐ μοιχεύσεις. Verba Theophylacti ad hunc locum: εἰπὼν περὶ τοῦ πικροῦ πάθους τοῦ θυμοῦ, ἦλθεν ἐπὶ τὸ ἧττον κακόν, τὴν ἐπιθυμίαν. Huius ἐπιθυμίας ſpecies iſtas propoſuit Apoſtolus, πορνείαν, ἀκαθαρσίαν, & πλεονεξίαν. Et ſane eadem facultas eſt animæ qua pecunias appetimus alienas, & qua corpora ad libidinem. Brevius & concinnius dicunt Græci; τῷ γὰρ αὐτῷ καὶ χρημάτων ἐρῶμεν καὶ σωμάτων. *Eadem animæ parte pecunias amamus, & corpora.* Ὥσπερ, inquit Theophylactus, ἡ πικρία, καὶ ἡ κραυγή, καὶ ἡ βλασφημία, τοῦ θυμοῦ, οὕτω καὶ τοῦ ἐπιθυμητικοῦ, ἡ πορνεία, καὶ ἡ ἀκαθαρσία, καὶ ἡ πλεονεξία. Ita & Gregorius Nyſſenus in Epiſtola ad Latoium Canonica, poſt delicta quæ ex parte animæ τῆ

θυμικῇ oriuntur explicata, tranſivit ad vitia τῆς ἐπιθυμητικῆς ψυχῆς. Qui quærit quare hic Paulus πλεονεξίαν cum πορνείᾳ iunxerit, cur non etiam ſibi putat inquirendum, qua de cauſa in Epiſtola ad Romanos, hæc eadem duo ſimul poſuerit? Ita enim ſcribit, cap. I, XXIX, πεπληρωμένους πάσῃ ἀδικίᾳ, πορνείᾳ, πονηρίᾳ, πλεονεξίᾳ, κακίᾳ. Quo loco libri vetuſtiſſimi, & inter eos Puteanus, propius etiam τὴν πλεονεξίαν τῇ πορνείᾳ adplicant, dum ita legunt: πεπληρωμένους πάσῃ ἀδικίᾳ, κακίᾳ, πορνείᾳ, πλεονεξίᾳ. Quam ſcripturam & in ſuis exemplaribus videtur inveniſſe vulgaris interpres, qui ſic reddidit, *Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia.* An πλεονεξία ſignificat adulterium, aut exceſſum libidinis? Nihil minus. Cur ergo in altero eiuſdem Apoſtoli loco ubi pariter hæc iunctim recenſentur, eam ſignificationem habebit? Interpres Arabs ſub nomine πορνείας comprehendit ſcortationem ſimul & mœchationem, الزنا و الفجور. His enim duobus vocabulis ſcortationem & mœchimonium denotantibus unum illud πορνείαν expreſſit. Sic ergo & poſſet exponi in illa ad Epheſios. Ut proinde non ſit neceſſe, πλεονεξίαν, quod ibidem adiungitur, de adulterio interpre-

terpretari. Si meminiſſet Hieronymus illius loci ad Romanos, ubi Paulus coniunxit πορνείαν & πλεονεξίαν, non miratus eſſet, in illa ad Epheſios ſimiliter iunctim hæc duo vitia recenſeri. Nec opus habuiſſet, πλεονεξίαν, *avaritiam voluptatum exponere. Si quis*, inquit, *arbitratur, avaritiam illo ſenſu accipiendam eſſe quo diximus, reddat cauſſas, quare inter fornicationẽ & immundiciẽ, & turpitudinem, mediam avaritiam ordinarie poſuerit.* At falſum eſt quod ait, mediam avaritiam inter fornicationem & turpitudinem ab Apoſtolo collocatam. Nam turpitudo illa alterius verſiculi initium facit, nec quicquam pertinet ad ſententiam prioris verſiculi. Hoc priore omnis obſcænitas libidinis à ſanctis ſegregatur, ut & avaritia. Sequenti verſiculo omnis turpitudo verborũ & ſcurrilitas, itidem ab iiſdem repellitur. Hæc in dictis verſatur, cætera autem quæ priore verſiculo memorata ſunt, in factis. Quid eſt autem *avaritia voluptatum*, aut quid eo nomine intelligi voluit Hieronymus? Proclivitas nempe ad voluptates, & ardor in iis expetendis, ſummaque earum potiendarum cupiditas. Quod enim in pecuniis adpetendis avaritia eſt, hoc idem præſtat in voluptariis, voluptatis explendæ cupido.

Sed

Sed hæc non eſt πλεονεξία. Multo minus illa avaritia voluptatum Hieronymi, quæ nihil aliud eſt, quam aviditas & ardor voluptatum, de adulterio erit accipienda, ut placuit Critico ſacro. Ipſe Apoſtolus paulo poſt, dum vitioſos eodem ordine reddit, quo tria hæc vitia hic deſignaverat, πλεονεξίαν de hac voluptatum avaritia ſe non intellexiſſe, ſatis teſtatur: τοῦτο γὰρ ἴστε, γινώσκοντες, ὅτι πᾶς πόρνος, ἢ ἀκάθαρτος, ἢ πλεονέκτης, ὅς ἐστιν εἰδωλολάτρης, οὐκ ἔχει κληρονομίαν ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ. Verſiculus hic ordine ac numero quintus extat. At tertio eiuſdem Epiſtolæ verſiculo ſimiliter hæc tria diſtinctè ac ſeorſim mala nominaverat, πορνείαν, ἀκαθαρσίαν, & πλεονεξίαν, à quibus vitiis hic denominavit, πόρνον, ἀκάθαρτον, & πλεονέκτην. Si πλεονεξία ibi adulterium eſt, & exceſſus libidinis, πλεονέκτης omnino hic erit adulter & libidinoſus. At πλεονέκτην ipſe Paulus dicit eſſe idololatram. Quod de libidinoſo non poteſt accipi. Nam & ipſe in Epiſtola ad Coloſſenſes cap. III, V, πλεονεξίαν interpretatur εἰδωλολατρείαν, & eam etiam iungit cum πορνείᾳ his verbis, πορνείαν, ἀκαθαρσίαν, πάθος, ἐπιθυμίαν κακὴν, καὶ τὴν πλεονεξίαν, ἥτις ἐστὶν εἰδωλολατρεία. Ergo πλεονέκτης qui ei hic dicitur

εἰδω-

εἰδωλολάτρης, *avarus* eſt, & πλεονεξία ab eo nominata præcedente verſiculo *avaritia*. Cæterum qui ſint iſti πλεονέκται quos cum πόρνοις ſimul memorat Apoſtolus, & quæ illa πλεονεξία quam pariter iuxta πορνείαν collocat, nemo melius dicat quam ipſe. Sic enim in Epiſtola ad Corinthios 1, cap. v, hunc πλεονέκτην, quem πόρνῳ dat comitem, quis ſit, exponit: Οὐ πάντως τοῖς πόρνοις τοῦ κόσμου τούτου, ἢ τοῖς πλεονέκταις, ἢ ἅρπαξιν, ἢ εἰδωλολάτραις. Iſti πλεονέκται qui ponuntur inter πόρνους ac raptores, nonne ſunt fraudatores qui dolo circunveniunt? Ita veteres omnes eos exponunt. Ergo & πλεονεξία quæ cum πορνείᾳ recenſetur, nec aliud eſt quam horũ πλεονεκτῶν proprium vitium. Hæc idolatriæ ſpecies. Et omnes omnino patres ab hoc loco ſumpſerunt, πλεονεξίαν, id eſt, habendi cupiditatem, eſſe idolotariã. Certum quippe eſt, reſpexiſſe Apoſtolum ad Domini noſtri dictum in Euangelio, οὐ δύνασθε θεῷ δουλεύειν καὶ μαμμωνᾷ. Etiam obiter hic notaverim, Apoſtolũ ſignificare de quo genere πορνείας intellexerit, cum dixit, πᾶς πόρνος, καὶ ἀκάθαρτος. Dubio enim procul non aliam intellexit πορνείαν, præter illam quam πόρνος exercet. Fallitur autem, ſi quis putat, πόρνον dici eum qui cum πόρνῃ,

id

id eſt, meretrice, rem habet. Virile ſcortum & muliebris patientiæ virum hęc vox Græcis notat. Nec bene *ſcortatorem* vulgo vertunt. Nolim etiam *fornicatorem*. Melius vetus interpres *fornicarium* appellat in Epiſtola ad Corinthios I, cap. VI, quamvis alibi *fornicatorem* reddiderit, ſi modo eadem eſt verſio, & non ex pluribus una concinnata. Sic igitur eo loco vertit: *Non utique fornicariis huius mundi, aut avaris, aut rapacibus.* Quod in Græco eſt, οὐ τοῖς πόρνοις τοῦ κόσμου τούτου, ἢ τοῖς πλεονέκταις, ἢ τοῖς ἅρπαξιν. In ſequenti tamen verſiculo reddidit, πόρνον, *fornicatorem*. Sed actũ hæc vox deſignat, tam agentis quam patientis. At *fornicarius* proprie dicitur à profeſſione quæ in fornice agitatur. Sic πόρνος eſt *fornicarius*, ut *fornicaria* ἡ πόρνη. Optimæ Gloſſæ Philoxeni: *Fornicaria*, πόρνη, ἀπὸ τῆς καμάρας ἐν ᾗ ἵστανται. *Fornices* etiam appellatæ. Eædem Gloſſæ: *Fornix*, πόρνη, καμάρα. Sic Cæſar *Fornix Bithynicus* Curioni dictus. Sic *ergaſtulum*, *carcer*, pro eo qui in ergaſtulo & carcere. Apud Cyprianum, *qui conglutinatur fornicariæ*, ὁ προσκολλώμενος τῇ πόρνῃ. Ergo & πορνεία ab eo denominata non eſt ſcortatio qua quis ſcortum ductat, ſed qua ipſe pro ſcorto ſedet, & corpus ſuum alienæ libidini proſtituit.

ſtituit. Inde & πορνεύειν, & πορνεύεσθαι, non de his, qui cum meretricibus ac ſcortis caput collimant, ſed qui corpore ſuo merent, alienæ libidinis victimæ, tam mares quam fœminæ. Hi, proprie πόρνος & πόρνη, à verbo περνᾷν, quod eſt vendere. Ergo πορνεία proprie loquendo profeſſio eſt τοῦ πόρνου καὶ τῆς πόρνης. Apud Septuaginta ὁ πορνεύων de maſculo dicitur qui ſe pretio proſtituit, קדש, ut πόρνη dicitur קדשה. Utriuſque porro ſexus illo tempore meritoria fuere paſſim tam in oriente quam occidente, totoque imperio Romano. Notũ eſt precipue, quantopere Greci ante alias omnes nationes, atq; in his Aſiatici in hoc genere inſanierint, & quam liberi harum omnium rerum fuerint. Παιδεραστία apud eos elegantium hominum morbus ac vitium fuit. Addo, & philoſophorum. Nec mirum, ſi ad eos ſcribens Apoſtolus, ab ea πορνείᾳ, & omni tali ἀκαθαρσίᾳ, eos abducere conatur, in quam erant ex more & genio gentis valde proclives. Parciores in ea venere uſurpanda Romani quam Græci. Multi tamẽ inter illos flagitioſi. Et Paulus idem in Epiſtola ad illos hoc eis exprobrat, quod maſculi relicto naturali uſu fæminæ exarſerint in cupiditate ſua invicẽ, ἄρσενες ἐν ἄρσεσι, τὴν ἀσχημοσύνην κατεργαζόμενοι.

μ∂νοι. Apud Romanos primus Philippus uſum virilis ſcorti removiſſe dicitur Aurelio Victori. Ita publicam huius flagitii profeſſionem removit, ut rem ipſam ſine pœna, dum clanculũ exerceretur, reliquerit. Primus Valentinianus legem qua punirentur capite, tulit. Non igitur dubium, quin Apoſtolus in illa ad Epheſios per πορνείαν quam πόρνος agitat, de maſcula impudicitia intellexerit. Nam & *impudici* dicebantur, non qui cum muliere impudica & publica concumberent, ſed qui ipſi ſuam pudicitiam aliis proſtituebant. Hi *molles*, ac *cinædi*, & *effœminati pudoris viri*. Talem intelligi voluit Catullus Cæſarem hoc verſu:

Es impudicus, & vorax, & aleo.

Et hoc vult Suetonius cum in eius vita ſcribit, illum & *impudicitiæ & adulteriorum flagraſſe infamia*. Nam & *Bithynicum fornicem* & *Nicomediæ ſtabulum* ſui ſæculi homines eum appellarunt. Eam impudicitiam maſculi ſexus πορνείαν hic nominavit Paulus, & in præcedenti ἀσέλγειαν, his verbis: οἵτινες ἀπηλγηκότες ἑαυτοὺς παρέδωκαν τῇ ἀσελγείᾳ, εἰς ἐργασίαν ἀκαθαρσίας πάσης ἐν πλεονεξίᾳ. Quem locum etiam adduxit ſacer Criticus, ut probaret, πλεονεξίαν Apoſtolo eſſe adulterium. Ὅσον ἐρανός ἐς᾽ ἀπὸ

ϑαίνης, tantum hæc expoſitio abit ab eius mente. Nihil enim aliud dicit quam quod ſupra diximus, in maxima alieni appetendi ac rapiendi aviditate quæ πλεονεξία eſt, multos impudicitiam & impuritatem omnem exercere. Vetuſtiſſimus Codex Puteanæ Bibliothecæ cum aliis multis antiquis, hanc etiam lectionem præfert: ἑαυτοὺς παρέδωκε τῇ ἀσελγείᾳ εἰς ἐργασίαν ἀκαθαρσίας πάσης, καὶ πλεονεξίας. Et verſio vetus in veteribus libris ſic habet: *in operationem omnis immunditiæ, & avaritiæ.* Et vis etiam ſcire quam bene hic πλεονεξία cum ἀκαθαρσίᾳ, & πορνείᾳ, vel ἀσελγείᾳ, iungatur? Quis neſcit neminem gratis ad iſta flagitia committenda, qua virum, qua fœminam, deſcendere? Lucri cupido eos præcipitat ad hæc turpia. Pretio quæſtuque adducti qui quæve hanc meretriciam vitam inſtituunt, ad eam ſe conferunt. Nam inde comicus:

Sed poſtquam amans acceſſit, pretium pollicens,
Vnus & item alter, ita ut eſt ingenium omnium
Hominum à labore proclive ad libidinem,
Accepit conditionem. dein quæſtum occipit.

Sic libido & avaritia meretricem facit, ἡ ἀσέλγεια, καὶ πλεονεξία. Ita bene convenit

nit inter τὸ πορνικὸν, & τὸ πλεονεκτικόν. Quid enim avarius meretrice? Quantum ſuæ merci pretium, & quam pœnitendum emptori, pleræque huiuſmodi πανδοσίαι & πασίγαμοι olim fecerint, hodieque faciant, ignotum eſt nemini. Notum illud ἁδρόμισθον famoſi ſcorti, quæ talentum magnum, pretium concubitus petebat, hoc eſt, decem drachmarum millia, ſive quod idem eſt ad noſtram monetam explicatum, duo millia librarum Turonenſium cum quingentis. Qui totidem ſunt floreni, quales hic in uſu. Quis negat, πλεονεξίαν in hac λεωφόρῳ cum libidine fuiſſe coniunctam? Nec ſecus in illis πόρνοις fuit, de quibus Apoſtolus. Ariſtophanes, quod πόρνοι ſunt, id facere eos dicit τἀργύριον χάριν. Qui honeſtiores videri volebant, quos vocabant χρηστοὺς, non argentum poſcebant pro pretio proſtituti corporis, ſed ὁ μὲν ἵππον ἀγαθὸν, ὁ δὲ κύνας θηρευτικάς. *Equos ille bonos, ille canes venaticos.* Vel modica merces pro tali merce petita πλεονεξία eſt, ubi res ipſa turpis, & cum mutua contumelia agentis ac patientis fit. Ipſa etiam adulteria pretio interveniente committuntur. Datis aliena matrimonia corrumpuntur. Inde illud Satyrici: *dat munus adulter.* Non tamen πλεονεξία

adul-

adulterium. Ex his collige, an male Paulus πλεονεξίας meminerit una cum πορνείᾳ & ἀσελγείᾳ. Cum hoc nomen omnem ſalacitatem denotet, & laſciviam, peculiari tamen notione eam πορνείαν ſignificat quam Paulus de virilibus ſcortis uſurpavit, quos πόρνους vocat. Titulus eſt in Enchiridio Harmenopuli lib. v, περὶ ἀσελγῶν, quibus pœna capitis imponitur tam agenti quam patienti. Οἱ ἀσελγεῖς, ἤγουν ὁ ποιῶν καὶ ὁ πάσχων, ξίφει τιμωρείσθωσαν. In Excerptis Dionis Coccei, de Heliogabalo, qui in cella Palatina proſtabat, viros more meretricis excipiens, πορνεύεσθαι dicitur, & ἀσελγαίνειν ſolitus: Τὰς ἑταίρας ἐξελαύνων ἐπορνεύετο. καὶ τέλος ἐν τῷ Παλατίῳ οἴκημά τι ἀποδείξας, ἐνταῦθα ἠσέλγαινε, γυμνὸς ἐπὶ τῆς θύρας αὐτοῦ ἑστὼς ὥσπερ αἱ πόρναι. Auctores ἀσελγεῖς, ἀκαθάρτους exponunt. Quo nomine etiam hos impudicos, & muliebris patientię viros indigetabant Græci. Suidas: Ἀσέλγεια, πορνεία, ἀκαθαρσία, μιαρία. Heſychius: ἀσελγὴς, ἀκόλαστος, ἀκάθαρτος. Ideo ἀκαθαρσίαν cum ἀσελγείᾳ & πορνείᾳ nominat Paulus. Nam & ἀκαθάρτους huiuſmodi cinædos vocant Græci. Pollux: πόρνοι, ἀκάθαρτοι. *Impurum flagitium* Paulo iuriſconſulto appellatur in collatione legum Moſaicarum. *Qui vo-*

luntate ſua ſtuprum flagitiumque impurum patitur. Πορνείαν, καὶ ἀκαθαρσίαν. Idem Apoſtolus in Epiſtola ad Theſſalonicenſes I, cap. IV, ubi præcipit abſtinendum eſſe ἀπὸ τῆς πορνείας, & fugiendam eſſe ἀκαθαρσίαν, quia Deus nos vocavit ad ſanctificationem, non ad impuritatem & ſpurciciem, de illo deteſtando flagitio intellexit quod in tota Græcia Aſiaque tunc temporis in primis erat familiare ac frequens. Patres qui ad eam commentati ſunt, & ad reliquas Epiſtolas, de adulterio illa interpretantur. Quod caret ratione. Nec enim opus habuit Apoſtolus gentes ab adulterio revocare, quod legibus ipſarum puniebatur, haud ſecus ac Iudaicis. Quod igitur leges vindicarent, non debuit ab eo deterrere peccantes, quia formidine pœnæ ei crimini legibus conſtitutæ ſatis continebantur. Maioris fuit molis ea extirpare ex animis hominum quibus per illa tempora inſueverant, & ab iis vitiis eos deducere, quæ nec vitia cenſebantur, ita omnibus promiſcue erant licita, communia, & frequentia. Verba igitur illa Apoſtoli verſ. VI, τὸ μὴ ὑπερβαίνειν, καὶ πλεονεκτεῖν ἐν τῷ πράγματι τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, non ſunt de adulterio exponenda, ut poſt Chryſoſtomum Critico ſacro placuit. Cum enim illo

illo ævo quo vixit Chryſoſtomus non amplius ullum inter Chriſtianos in imperio Romano πόρνων illorum & ἀπελγῶν, hanc impuritatem publice profitentium, veſtigium nec vola extaret, qui tempore Pauli magna licentia ubique proſtabant, idcirco de adulteris locum illum expoſuiſſe videntur. Sed falſo, ut dixi. Criticus ſacer, qui πλεονεξίαν aliis locis apud Apoſtolum de adulterio, vel exceſſu libidinis, accipiendam putavit, tanto facilius πλεονεκτεῖν hoc ſenſu hic interpretatus eſt. Non nego, & πλεονεκτεῖν poſſe dici eum qui alterius uxore abutitur, quia iniuriam marito inſignitam facit, eumque πλεονεκτεῖ, id eſt, ἀδικεῖ. Non propterea ſequitur ut πλεονεξία ſit alterium. Sic etiam λῃστεία pro adulterio ſumeretur, quia idem Chryſoſtomus, adulterium, & παράβασιν, & λῃστείαν, & πλεονεξίαν, eſſe ſimiliter dixit. Ridiculum etiam eſt quod illi ſententiæ accommodat verbum ὑπερβαίνειν, quaſi ſcilicet ea vox proprie violationem legis, fidei, ac fœderum ſignificet. Quiſquis modum in quacunque re egreditur, is ὑπερβαίνει. Inde & pro qualibet iniuſticia & iniuria, ſuperbia & arrogantia, accipitur. Quod citat Heſychium, qui ὑπέρβασιν, ὅρκων παράβασιν interpretatur, maligne ac

ſubdole reliquas expoſitiones, ibidem ab eo grammatico allatas, ſuppreſſit. Sic enim ille: ὑπέρβασις, ὕβρις, ἀδικία, κόρος, μοιχεία, ὑπερηφανία, παράβασις ὅρκων. Non igitur ὑπερβαίνων de adultero dicitur, quaſi fœderis ſit violator & iuſiurandi. Adultera hoc modo fœdus ſola violaret, non ille qui cum ea concumberet, ſi modo maritus non eſſet. Quid ergo, ſi iuvenis ſolutus cum ligata rem haberet? Eſſet adulterium ex parte mulieris, id eſt, fidei fœderiſque coniugalis tranſgreſſio, quia fidem marito promiſſam fallit, ſed non ex parte ſtupratoris, qui nihil marito promiſit. Locus Apoſtoli, ut dixi, de cinædis & impudicis, & legis naturæ violatoribus ac tranſgreſſoribus accipiendus, tam his qui patiuntur, quam qui committunt, ac de mulieribus æque ac viris. Nam & illæ, teſte eodem Apoſtolo in ea ad Romanos, μετήλλαξαν τὴν φυσικὴν χρῆσιν εἰς τὴν παρὰ φύσιν χρῆσιν. Deinde ſubiungit de maribus, ὁμοίως τε καὶ οἱ ἄρσενες ἀφέντες τὴν φυσικὴν χρῆσιν τῆς θηλείας, ἐξεκαύθησαν ἐν τῇ ὀρέξει αὐτῶν εἰς ἀλλήλους. Hoc igitur eſt ὑπέρβασις, de qua hic loquitur, & ille ὑπερβαίνων, qui legem naturæ, lineaſque ab ea poſitas tranſilit, dum relicto uſu fœminæ, vir in virum graſſatur. Addit, καὶ πλεονεκτεῖν

τὸν

τὸν ἀδελφόν. Qui fratre ſuo ad eam nefandam libidinem abutitur, revera cum πλεονεκτεῖ, id eſt, ὑβρίζει & ἀδικεῖ. Nam ipſi illi Græci quibus non diſplicuit hoc libidinis portentum, ὕβριν proprie de eo dixerunt, etiamſi in conſentientem ac volentem committeretur. Ioſephus quoque ὕβριν & αἰσχύνην appellat quod patitur in corpore ſuo meretrix, quamvis volens & facto conſentiens, & lucrum ex eo percipiens. Ita enim ſcribit lib. IV, ἐκ μισθοῦ γυναικὸς ἡταιρημένης θυσίας μὴ τελεῖν. ἥδεσθαι γὰρ μηδενὶ τῶν ἀφ᾽ ὕβρεως τὸ θεῖον. Idem paulo poſt meretrices ex iniuria & contumelia corporis ſui quæſtum habere dicit, & propterea Deum nuptialia earum ſacra non accepta grataq; habiturũ, ſi nuberent. Non nubere igitur iis licere. ἔτι μηδὲ ἡταιρημένης εἶναι γάμον ἧς δι᾽ ὕβριν σώματος τὰς ἐπὶ τῷ γάμῳ θυσίας ὁ θεὸς οὐκ ἂν πρόσοιτο. Ergo & πόρνον & πόρνην ὑβρίζει qui cum his concumbit. Immo etiam πλεονεκτεῖ. Nam & πλεονεκτεῖν etiam ὑβρίζειν ſignificat, & ἀδικεῖν. Et hoc ſenſu dixit hoc loco Apoſtolus, πλεονεκτεῖν τὸν ἀδελφόν. Quę ſequuntur & quæ præcedunt apud Apoſtolum, ita eſſe accipiendum ſuadent. Verſus qui proxime præcedit, ita habet, μὴ ἐν πάθει ἐπιθυμίας, καθάπερ καὶ τὰ ἔθνη τὰ μὴ εἰδότα τὸν θεόν.

Illud πάθος ἐπιθυμίας de eo flagitio exponi debet, quod inter gentes erat uſitatum & licitum, quia Deum non noverant, Iudæis vero incognitum, & lege Moſis prohibitum ſub capitis pœna. *Qui manſerit cum maſculo manſione muliebri, aſpernamentum eſt. Ambo moriantur, rei ſunt.* Verſu porro qui ante illum præmittitur, ſic ſcriptum eſt, εἰδέναι ἕκαςον ὑμῶν τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος κτᾶσθαι ἐν ἁγιασμῷ καὶ τιμῇ. Eodem hæc referenda eſſe, ut ab illa nimirum quam dixi ἀκαθαρσίᾳ, σκεῦος noſtrum, id eſt, corpus, purum poſſideamus in ſanctitate, idem Apoſtolus in Epiſtola ad Romanos docet. Ibi enim cum de eodem inquinamento loqueretur, ita ſcripſit: διὸ καὶ παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ θεὸς ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῶν καρδιῶν αὐτῶν, εἰς ἀκαθαρσίαν, τοῦ ἀτιμάζεσθαι τὰ σώματα αὐτῶν ἐν ἑαυτοῖς. Paulo poſt πάθη ἀτιμίας hæc appellat facinora, quibus mulieres à naturali uſu receſſerunt, ut viri, ut naturæ contrariam capeſſerent viam. διὰ τοῦτο παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ θεὸς εἰς πάθη ἀτιμίας. αἵ τε γὰρ θήλειαι αὐτῶν &c. Ergo & hoc loco cum eos admonet ut proprium vas ſervent ſinguli in honore, & ſanctificatione, ab illa ἀτιμίᾳ ſive πάθει ἀτιμίας intactum corpus cuſtodire præcipit. Hæc enim eſt illa ἀκαθαρσία, quæ facit, ut qui eam in ſe ad-

admittit, corpus ſuum in honore habere & ſanctimonia non poſſit. Dedecorat quippe corpus ſuum, qui ita illud pretio proſtituit, & proſternit aliorum libidini. Qua maior contumelia non poteſt dari. Et quid vilius præterea illis qui hoc perpetiuntur? ὕβριν etiam eſſe atque αἰσχύνην, quod meretrix quæ ex eo lucrum facit patitur, dicit magnus auctor Ioſephus, ubi rationem reddit cur Deus non recipiat nec probet ſacrificia ex mercede meretricia oblata. Deinde cum ἀκαθαρσία hæc ſit, & impuritas ſpurcicieſque ſumma, maxime τῷ ἁγιασμῷ contrariã eam eſſe, vel inde cæco patet. Quæ illa ſit immunditia quæ prohibet corpus in honore & ſanctitate conſervari, verſu, qui proxime præcedit, plane expreſſit ac nominavit: Τοῦτο γάρ ἐστι θέλημα θεοῦ, ἁγιασμὸς ὑμῶν, ἀπέχεσθαι ὑμᾶς ἀπὸ τῆς πορνείας. Hæc eſt πορνεία de qua loquitur Apoſtolus in Epiſtola ad Epheſios, quæ πόρνους & πόρνας facit, & per quam πόρνοι & πόρναι corpore quæſtum faciunt, id eſt, meretricium. Quoſnam πόρνων nomine intellexerit, ſatis declarat idem Apoſtolus in Epiſt. ad Timotheum 1, cap. 1. x. ubi eos iungit cum ἀρσενοκοίταις, hoc modo: πόρνοις, ἀρσενοκοίταις, ἀνδραποδισταῖς. Vulgaris recte vertit, *fornicariis, maſculorum*

concubitoribus. Illi nimirum patientes, iſti agentes. Et illi quidem ſcorta publica virilia. *Impudicos* reddidit antiqua verſio in vetuſtiſſimo Puteanorum libro. Et recte quidem, ut iam ſupra notavimus, ubi hanc vocem *impudicos* explicamus de huiuſmodi πόρνοις. Tertullianus *molles*, & *maſculorum concubitores* Latine reddidit. Quia Paulus alio loco μαλακοὺς iunxit cum ἀρσενοκοίταις in Epiſt. I ad Corinthios, cap. VI, ubi ſimiliter *mollem* reddit vulgaris interpres. Quo loco tamen Paulus πόρνους nominat, quaſi diverſos ἀπὸ τῶν μαλακῶν. Sed non alia inter eos differentia, niſi quod πόρνοι quæſtum publice corpore ſuo faciebant. Antiqua verſio priuſquam ab Hieronymo corrigeretur, habuit *impudicos* pro his qui in Græco ſunt πόρνοι. Sed bene ab Hieronymo mutatum in *fornicarios*. Nam μαλακοὶ, de quibus ſtatim ſequitur, ſunt etiam *impudici*, non tamen πόρνοι. Cæſar apud Nicomedem *impudicus* fuit, non πόρνος. *Molles* ergo ſunt qui Græce μαλακοὶ, cinædi nempe, & hi, quos intelligimus, πόρνοι, ſi publice ſe proſtituant. De eadem πορνείᾳ, id eſt, meretricia profeſſione, tam virilis quam muliebris ſexus, id eſt, πόρνων & πορνῶν, accipiendus locus ex Actibus Apoſtolorũ XV, quo loco Apoſtoli

ſtoli ex communi ſententia totius presbyterii nihil de tota lege Moſaica ſervandum gentibus ad Chriſtum converſis præcipiunt, niſi abſtinentiam πορνείας, & reliquorum quæ ibi memorantur. Et nugari docebimus Exercitatorem ſacrum, qui de ſacrificiis ex meretricia mercede oblatis illam πορνείαν interpretatur. Sola ergo profeſſio meretricia ad Chriſtum venientibus gentibus interdicitur illo Canone Apoſtolico, in aliis vero profeſſionibus & artibus quæſtuariis ſola πλεονεξία interdici intelligenda eſt. Hæc porro πορνεία, id eſt, meretricius quæſtus, ideo cum ἀκαθαρσία tot locis apud Apoſtolum iunctim vapulat, quia in illis πορνείοις multa alia nefanda, & vix honeſtis nominanda, cõmittebantur impuritatum genera, ut oris conſtuprationes, & τελεβαδισμοὶ, & alia quæ dici pudor prohibet. Unde illi verſus apud Clementem ex Pædagogo II : c. 10.

Μοιχεία παρά σοί γε, καὶ ἀνδρῶν μίξις ἄθεσμος,
Θηλυγλωνὴς ἀδικός τε, κακὴ πόλι, πάντ' ἀκάθαρτε.

Sic legendum. Et profecto de huiuſmodi qua viris qua fœminis alienæ libidini patientiam indulgentibus dixit Apoſtolus, τὸ πορνεύοντα, εἰς τὸ ἴδιον σῶμα ἁμαρτάνειν.

Ubi

Ubi ὁ πορνεύων eſt ὁ πόρνος, ut apud Septuaginta in Deuteronomio XXIII, XVII, καὶ οὐκ ἔσται πορνεύων ἀπὸ τῶν υἱῶν Ἰσραήλ. De illa igitur πορνείᾳ, id eſt, fornicaria profeſſione, intellexit Paulus in 1 ad Corinthios cap. VI, cum dixit, φεύγετε τὴν πορνείαν. πᾶν ἁμάρτημα ὃ ἐὰν ποιήσῃ ἄνθρωπος, ἐκτὸς τοῦ σώματός ἐστιν, ὁ δὲ πορνεύων, εἰς τὸ ἴδιον σῶμα ἁμαρτάνει. Ergo & de eadem in hac ad Theſſalonicenſes, cum præcipit, *ut ſciat unuſquiſque poſſidere ſuum vas in ſanctimonia, & honore.* Nemo quippe minus vas ſuum, id eſt, corpus, in honore & ſanctimonia obtinet, quam qui alienam libidinem corpore ſuo excipit. Nuperus Criticus non de proprio cuiuſque corpore illud τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος interpretatus eſt, ut pleriſque antiquorum patrum placuit, ſed ultro recentiorem interpretē, quod ſic acceperit, carpere inſtitit. Falli ergo eos vult, qui exiſtimarunt, velle id Apoſtolum, ut quiſque corpus ſuū in ſanctificatione & honore poſſideat. *Atqui*, inquit, σκεῦος ἴδιον *eſt uxor, cū qua vivendū ſancte & continenter.* Non dixit Apoſtolus σκεῦος ἴδιον, ſed quod maiorem habet emphaſim, de ſuo cuiuſque corpore, τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος. Sed cur σκεῦος hic uxor eſt? Quia Petrus σκεῦος ἀσθενέστερον uxorem dixit. Atqui ſi uxor σκεῦος ἀσθε-

νὲς appellatur Apoſtolo, non inde ſequitur, proprie σκεῦος de uxore dici. Sic enim vir dici poteſt σκεῦος, ſed ἰσχυρώτερον, quia mulier σκεῦος eſt ἀσθένεστερον. Sed nec quod è magiſtris adfert, quibus fœmina dicitur *vas non perfectum*, quidquam eum iuverit. Illud nempe hoc ex illorum dicto colligitur, virum vas eſſe perfectum. Addit deinde: *Neque mirum* τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος *ab Apoſtolo hic dici, cum certum ſit, ſuam cuique uxorem tanquam inſtrumentum quoddam proprium & ſuum à Deo aſſignatam.* Quis hoc dixit, uxorem unicuique viro tanquam inſtrumētum eſſe datā? Quis hoc poſſit dicere niſi hic? Non certe Deus hoc dixit cum mulierem formaret ex coſta viri, ſed adiutorē ei ſe dare pronuntiavit, ſimilē & parē ipſi. τὸν βοηθὸν κατ' αὐτόν. Ita enim hæc verba ſonant Græcorum interpretum. Nec ab hac mente longius eunt, ſed eā potius exprimunt Hebraica, כנגדו. Inſtrumentum fabro adiutorium non eſt, ſed ſocius potius laboris & operæ qui in fabricando eū iuvat. Ne ſervus quidem fabri proprie illi adiutor eſt, ſed eſt tanquam vivens inſtrumentum. Ut contra inſtrumentum fabro eſt tanquā mutus miniſter. Ὄργανον, inquit Ariſtoteles in Ethicis, ἄψυχος δοῦλος. Hinc recte Tertullianus ex illis Dei verbis qua ſe mulie-

mulierem viro feciſſe dixit quæ ei adiutor eſſet quaſi alter ipſe, arguit eam non in ſervitium eſſe viro deſtinatam: *ſed quæ ante ſine ulla contriſtatione per benedictionem incrementum generis audierat, creſcite tantum ac multiplicamini: ſed quæ in adiutorium maſculo, non in ſervitium fuerat deſtinata.* Adverſus Marcionem II. Si non in ſervitium maſculo mulier à Deo data, multo minus ut eius inſtrumentum foret. Præterea aliud eſt, inſtrumentũ, id eſt, τὸ ὄργανον vel τὸ ἐργαλεῖον, aliud vas, id eſt, σκεῦος. Sic enim appellatur τὸ ἀγγεῖον, ad recipiendum & continendum aliquid aptum, τινὸς χωρητικὸν, ut Græci definiunt. Si σκεῦος ea ratione vocatur uxor, quia pars illa qua mulier eſt, vas viri ſit, ſemini virili recipiendo idoneum, certe hoc modo nõ tantum σκεῦος ea pars dici debet, id eſt, ἀγγεῖον χωρητικὸν, ſed etiam κυητικὸν ὄργανον. Et paſſim ita vocatur auctoribus. Cæterum non minus vir hac eadem ratione σκεῦος appellabitur, quia & ſpermatica habet vaſa, & κυητικὰ eadem ὄργανα. Non ergo magis iuxta hanc contemplationem uxor viri vas eſſe dicetur, quam vir uxoris. Res illas viriles Latini etiam *vaſa* nuncuparunt, ut Græci σκεύη. Hinc *bene vaſati* qui bene illa merce peculiati ſunt. Reſtat altera Critici ratio,

cur

cur σκεῦος hic de uniuscuiuſque uxore ſit accipiendum, quia Apoſtolus negat, uxorem corpus proprium habere in poteſtate, cum ſit viri: ἡ γυνὴ τοῦ ἰδίου σώματος οὐκ ἐξουσιάζει, ἀλλ᾽ ὁ ἀνήρ. Valde miror, talem virum ex eo loco velle probare, uxorem, quod in viri poteſtate ſit, ideo vas eius debere dici, cum eodem teſtimonio atque argumento evincatur ſimiliter, & virũ pro uxoris vaſe haberi poſſe. Addit enim Apoſtolus, ὁμοίως δὲ καὶ ὁ ἀνὴρ τοῦ ἰδίου σώματος οὐκ ἐξουσιάζει, ἀλλ᾽ ἡ γυνή. Quid cogitabat Criticus cum locum illum ad ſententiæ ſuæ confirmationem adduceret? An putabat, imponere ſe poſſe lectoribus qui ſequentia lecturi non eſſent? Si quis in illo iudicium hoc loco requirat, me iudice nullam ei iniuriam fecerit. Σκεῦος hic proprie eſt cuiuſque corpus. Ita Græci philoſophi σκῆνος uſurpant, quæ vox etiam σκεῦος ſignificat. Et ſic hunc Apoſtoli locum interpretati ſunt ex vetuſtioribus patribus Tertullianus & Theodoretus. Ex recentioribus Oecumenius & Theophylactus. Nec coniugatis tantum hoc Apoſtolus præcipit, ut vas ſuum in honore & ſanctimonia tractent, ſed etiam innuptis. Nam cum abſtinentiam ἀπὸ τῆς πορνείας, id eſt, fornicario quæſtu, & ἀκαθαρσίας, hoc capi-

capite inculcet, illi præcipue, tam viri quã mulieres, qui libidinem alienam corpore ſuo, & pretio quidem pacto, excipiunt, vili æſtimant ſuum σκεῦος, & parvo in honore habent quod ſic propudioſe & probroſe exponunt vænale, & ſubſternunt paſſivæ omnium iniuriæ ac contumeliæ. De his ipſis intellexit idem Paulus, πόρνοις καὶ πόρναις, in Epiſtola ad Romanos, cum dixit, *Deum gentes tradidiſſe in cupiditate cordis eorum in immundiciem, ut contumeliis afficiant corpora ſua in ſemet ipſis*, τοῦ ἀτιμάζεσθαι τὰ σώματα αὐτῶν ἐν ἑαυτοῖς. Non dixit, in corpore uxorum ſuarum eos ἀτιμάζεσθαι, ſed in proprio ipſorum. Et eam ἀτιμίαν intelligit, quæ opponenda eſt huic τιμῇ, in qua vult unumquemque corpus ſuum, ſive vaſculum, poſſidere. Tempore Auguſtini nulli erant amplius πόρνοι in orbe Romano & Chriſtiano qui eam immundiciem publice profiterentur, ut nec Chryſoſtomi. Ideo omnes eiuſmodi πορνείας & ἀκαθαρσίας, à quibus Paulum Græcarũ Eccleſiarum membra ad quas ſcribebat abducere conatur, de adulterio ac ſtupris interpretati ſunt plerique illius ævi patres. Atqui quo tempore eas Epiſtolas ſcribebat Apoſtolus ad Græcæ nationis homines, huiuſmodi πορνεῖαι inter Græcos & Aſia-

Aſiaticos paſſim erant licitæ, cum adulteria legibus vindicarentur. Tanto magis laborandum fuit, ut à vitio familiari atque inveterato eos repurgaret. Scio, aliquando apud Paulum πορνείας vocabulum pro *omni à matrimonio exceſſu*, ut vocat Tertullianus, id eſt, omni inconceſſa venere, uſurpari, cum generatim eam vocem ſumit. Notatque Theophylactus, πᾶσαν ἁπλῶς τὴν ἀκαθαρσίαν τῷ τῆς πορνείας ὀνόματι ipſum περιλαβεῖν. Quinimmo & inceſtum illius qui uxorem patris in matrimonio habebat, vocat πορνείαν ad Corinthios I. cap. V. Ὅλως ἀκούεται ἐν ὑμῖν πορνεία, καὶ τοιαύτη πορνεία ἥτις οὐδὲ ἐν τοῖς ἔθνεσιν, ὥστε γυναῖκα τινὰ τοῦ πατρὸς ἔχειν. Et ſane leges ipſæ gentilium talem inceſtum non tolerabant. Ideo dicit, ἥτις οὐδὲ ἐν τοῖς ἔθνεσιν. Sic enim optimi ac vetuſtiſſimi legunt codices, & vetus verſio, *qualis nec inter gentes*. Non habent illud, ὀνομάζεται. Quo loco nuperus Criticus ineptè, πορνείαν γὰρ ὅλως conſtruit, ut ſit, ἡ ὅλως πορνεία, vel καθόλου οὕτω λεγομένη, quæ in genere ſic dicitur. Quod quid ſit, ſane neſcio. Non enim omnem in genere πορνείαν apud eos audiri queritur, ſed hanc ſolum cui nec ſimilis inter gentes audiatur. Ὅλως hic idem quod ἄρα, ut etiam exponit Heſychius. Et be-

 ne per

ne per *omnino* redditur. De his nos ad locum ipſum. Sed & πορνείας nomen ſæpe in propria ſua ſignificatione ponit Apoſtolus de actu, vel quæſtu meretricio, tam virorum quam mulierum. Sic alibi μοιχοὺς & πόρνους diſtinguit. Et πορνείαν in Epiſtola ad Epheſios propriam facit τῶν πόρνων, id eſt, virilium ſcortorum. Sed & in hoc capite IV. primæ ad Theſſalonicenſes, ubi πορνείαν & ἀκαθαρσίαν nominat, de μοιχείᾳ non eum intelligere, certum eſt. Nec ergo hic verſiculus de mœcho accipiendus in eodem capite, τὸ μὴ ὑπερβαίνειν καὶ πλεονεκτεῖν ἐν τῷ πράγματι τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ. De maſculorum concubitoribus potius eum intelligerem, quatenus & ὑπερβαίνουσι legem naturæ, & πλεονεκτοῦσι τὸν ἀδελφὸν, dum ὑβρίζουσι. Nam omnis cum maſculo coitus ὕβρις etiam Græcis dicitur, ut ante notavimus. Unde ille verſus apud Clementem in Pædagogo ſecundo:

Οὐδὲ ἐστ' ἄρσεν☉ ὕβριν ἀπεχθεία τε συγκρίνετε.

Si ὕβρις dicitur, generali etiam notione πλεονεξία poteſt vocari. Nam ὕβρις genus iniuriæ eſt, quę οὐδὲν κερδαίνουσα, ὅμως ἀδικεῖ. At πλεονεξία ſpecialiter ſumpta, ὕβρις eſt, iniuria illata propter lucrum : generalius uſurpata, quamlibet iniuriam ſignificat. Sed unde, inquies, inter fideles tunc huiuſ-

iuſmodi flagitium? Immo inter fideles unde illo in tempore mœchimonium? Si quis cogitet Græcos illius ævi, minus mirabitur frequentiam talis propudii quam adulteriorum. Nam & hæc puniri tum ſolita legibus, illud ſolutum legum metu. Quod ait, ἐν τῷ πράγματι; ſæpe ita accipitur nomen πρᾶγμα, ut *res* & *negotium* apud Latinos in re turpi, & venerea. Ita ἄσχημον πρᾶγμα apud Septuaginta in Deuteronomio XIV. ὅτι εὕρηκεν ἐν αὐτῇ ἄσχημον πρᾶγμα. *Quod in ea inventum ſit impudicum negotium.* Quod igitur præceſſerit, περὶ πορνείας, & ſequatur, περὶ ἀκαθαρσίας, hic in medio verſiculus de adulterio interpretandus viſus eſt Chryſoſtomo & Theophylacto. Quod amplexus eſt interpretamentum Exercitator nuperus. Quibus non accedo. Qui enim proxime anteceſſit verſiculus, ſatis oſtendit, non poſſe accipi de mœchia: μὴ ἐν πάθει ἐπιθυμίας, καθάπερ τὰ ἔθνη μὴ εἰδότα Θεόν Nam de gentibus certũ eſt, non minus eas quam Iudæos aut Chriſtianos adulteria puniſſe. Longe itaque magis probarim vulgaris verſionis ſententiam, quæ de πλεονεξίᾳ qua circumvenitur in negotio frater, accipit. Nec aliter expoſuit Cyprianus, & alii patrum veterum. Hæc πλεονεξία, ὑπέρβασις eſt iuris

in omni negotio & contractu. Et πρᾶγμα hic ita accipitur, ut apud Apoſtolum eundem in Epiſt. ad Corinthios 1. cap. VI. τολμᾷ τις ὑμῶν πρὸς τὸν ἕτερον πρᾶγμα ἔχων κρίνεσθαι ἐπὶ τῶν ἀδίκων, καὶ οὐχὶ ἐπὶ τῶν ἁγίων; Quodcumque negotium, res, & controverſia, vel contractus, eo nomine intelligitur. Sed & ab illo πρᾶγμα verbum πραγματεύειν, ut à *negotio* negotiari. Qua voce *negotii* Latini etiam uti ſolent pro negotiatione. Sed & pro re qualibet de qua inter conſentientes contrahitur, accipi poteſt. Sic apud Ciceronem in 1. de officiis: *Atque iis etiam qui emunt, vendunt, conducunt, locant, contrahendiſque negotiis implicantur.* Alibi dixit, *in re contrahenda*. Nec ergo dubium quin hic ſit intelligendũ, *in negotio fratrem circũveniri*, de re huiuſmodi vel obligatione quę pacto & conventione vel alio modo cõtrahitur, non de re aliqua turpi ac flagitioſa. Nõ enim hoc ſenſu per ſe & abſolutè dicetur *negotium*, aut Græce πρᾶγμα. Sic πρᾶγμα accipitur apud Ariſtophanem in Comœdia Pluto: Κατηγορεῖς γὰρ πρὶν μαθεῖν τὸ πρᾶγμά μου. Et πλεονεξία proprie ſumpta locum præcipue habet in huiuſmodi negotiis, ut infra ſumus dicturi. Et profecto abſurdum eſt, quod Criticus notat, ἐν τῷ πράγματι dixiſſe Apoſtolum pro ἐν

πράγματι

πράγματι τούτῳ. Hoc non Græcatur eo ſenſu. Nec prohibet ita locum exponi, quod præcedat de πορνείᾳ, & ſequatur de ἀκαθαρσίᾳ. Nam & alibi paſſim Apoſtolus, ut ante vidimus, hæc duo conſociavit, ut inter ſe affinia & coniuncta, πορνείαν & πλεονεξίαν. Et magna vero eſt inter utrumque vitium affinitas. Avaricia quippe eſt quæ ad omne flagitium impellit, ad ſtupra, ad fornicationes, ad adulteria. Hinc ῥίζα πάντων κακῶν ab Apoſtolo nominatur. ἄνελε ταύτην, inquiunt Patres, καὶ οὐκ ἔσαι πόλεμος, ἢ ἔχθρα, οὐδὲ πορνεία. ἡ γὰρ πόρνη ἀργυρίου ἕνεκεν ἑαυτὴν προΐσταται. *Tolle avariciam, & non erit bellum aut inimicitia, neque fornicatio. Nam & meretrix argenti gratia ſe proſtituit.* Salluſtius, *avariciam corpus animumque virilem effœminare,* dicit. Nec aliud facit πορνεία. Apoſtolus πλεονεξίαν eſſe εἰδωλολατρείαν interpretatur, & πλεονέκτην eſſe εἰδωλολάτρην. At paſſim in vetere teſtamento, πορνεία pro idololatria vera accipitur. Hic eſt porro locus ex quo Theologus in Epiſtola arceſſi vult uſurarum modum. *Atque unde,* inquit, *tandem arceſſetur uſurarum πραγματείας modus, niſi ex canonibus illis qui πλεονεξίαν vetant, atque contra πάθος ἐπιθυμίας ſanciunt,* τὸ μὴ ὑπερβαίνειν, καὶ πλεονεκτεῖν ἐν τῷ πράγματι τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ; Certe

 ſi lex

ſi lex nulla ſit civilis quæ ponat uſuris modum, ut nulla eſt quæ pretium mercibus pleriſque taxet, fateor, inde eſſe petendum modum, qui tranſiliri non debet, ne in πλεονεξίαν excidat. Ex eo nimirum Apoſtoli præcepto, quo vetat ὑπερβαίνειν, καὶ πλεονεκτεῖν τὸν ἀδελφὸν ἐν τῷ πράγματι, *iuſtum modum tranſgredi, & fraudare fratrem in negotio.* Nam ut mercator πλεονεκτεῖ τὸν ἀδελφὸν, qui nimium quantum poſtulat pro mercibus quas vili emerit, ita non dubium eſt, hoc idem πλεονεξίας crimen incurrere fœneratorem qui nimis grandes exigit uſuras, ubi legem non habet quam ſequatur. Ideo Ariſtoteles in Nicomachiis lib. IV. cap. I & τοκιστὰς inter eos numerat qui ſæpe πλεονεκτοῦσι, quia legibus Atticis nullus impoſitus fœnori modus, & licebat unicuique lege quæ id expreſſe conſtituebat, quantas à quoque vellet uſuras accipere. Aſt ubi lex modum præſcribit, non poteſt πλεονεκτεῖν qui temperamentum à lege poſitum ſequitur, niſi quis velit legem ipſam ream πλεονεξίας arceſſere. Atqui merum ius lex iubet, non iniuriam. Πλεονεξία autem iniuria eſt, & id omne quod quis acquirit cum damno τοῦ πέλας. Nam inter ἀδικίας genera tria apud Philo-
ſophum

ſophum ἀσέβεια primum locum obtinet, quæ in nullo, aut parciore quam par eſt Dei cultu verſatur. Πλεονεξία ſecundum, quæ cum alterius noxa ſuum compendium quærit. Tertia eſt ὕβρις, quæ ut nihilum lucretur, iniuriam tamen facere ſtudet:

Οὐδὲν κερδαίνουσ' ὕβρις, ὅμως ἀδικεῖ.

Non igitur lex ſuadet πλεονεξίαν, ſed eam amputat. Qui legi itaque obſequitur, nec libidini ſuæ obtemperat, is dici non poteſt πλεονέκτης. Ergo uſurã legitimam, id eſt, à lege ſtatutam, ac proinde moderatam, atque, ut talem, licitam juſtamque, non potuit Apoſtolus comprehendere ſub nomine πλεονεξίας. Suidas ex aliquo antiquo, ut videtur, auctore, πλεονεξίαν apud Apoſtolum notat ſignificare τὴν ὑπὸ τῆς ἐπιθυμίας τοῦ πλείονος βλάβην. *Damnum quod alicui infertur ex nimia habendi cupiditate.* Quicunque igitur iuſto & legitimo quæſtu non contenti ſunt, hoc vitio πλεονεξίας laborant. Ut inter quos demenſum dividitur, is qui alienam partem raperet & ſuæ adiungeret, πλεονέκτης proprie diceretur. Sic Democritus πλεονεξίην interpretatus eſt, τὸ πάντα λέγειν, μηδὲν δ' ἐθέλειν ἀκούειν, de iis qui ſuas alteri loquẽdo partes nõ dant, ſed ipſi loqui ſemper volunt, & cæteros

habere tantum auditores. Criticus ſacer cum hoc dictum Democriti adferret, de his accepit, *qui cum omnia ac libere in alios licere ac dicere permittant ſibi, nihil ipſi audire volunt*, contra mentem auctoris. Πλεονεκτεῖν τινα dicitur qui quacunque in re alicui prævalet, aut potior eſt illo. Aliter tamen dicunt Græci πλεονεκτεῖν τινα, & πλεονεκτεῖν τινος. Qui ex alicuius iniuria, aut ad alicuius iniuriam πλέον ἔχει, tum πλεονεκτεῖν ἐκεῖνον dicitur. At ſi ſimpliciter ſine cuiuſquam damno aut detrimento ſuperior ſim illo aliqua re bona, potiorque mea ſit conditio, tum πλεονεκτεῖν ἐκείνου dicor τῷδε ἢ τῷδε πράγματι. Ut in iſtis, τῶν γὰρ ἄλλων ἁπάντων ἐπλεονέκτησε τῷ τῆς διδασκαλίας λόγῳ. Quod de Paulo dixit Theophylactus. At qui aliquem circumvenit ut ei ſua auferat, πλεονεκτεῖ ἐκεῖνον, non ἐκείνου. Quæ differentia notanda eſt apud auctores. Sic enim fere ſemper utuntur. Male Criticus ſacer obſervat, πλεονεξίαν eſſe νίκην apud Dionyſium Halicarnaſſeum. Quamvis enim id ex Suida habeat, non debuit ſequi prava monentem. Explicat locum illius auctoris ubi dixit, à militibus occupata fuiſſe χωρία εἰς πλεονεξίαν ἐπιτήδεια. *Loca opportuna, unde ſuperiores poſſent hoſtibus exiſtere.* Eſt id omne quo

quis

quis prævalet alteri, & ex eo maiorem habet commoditatem rei gerendæ. Ut is qui caſtra loco commodo metatus eſt, cũ hoſtis hac re inferior iniquo loco ea poſuerit, eum τόποις πλεονεκτεῖν ille dicitur, & χωρία εἰς πλεονεξίαν accommoda inſediſſe. Πλεονεξίαν ibi non ſignificare victoriam, vel illud eſt indicio, quod plerumque vincuntur quibus huiuſmodi πλεονεξία adeſt. Nec verũ eſt quod ibidem Criticus ſacer notat, πλεονεκτεῖν apud Dionyſium Halicarnaſſeum lib. IX. idem eſſe quod *victoriam reportare*, ubi dixit, πλεονεκτεῖν τοὺς πολεμίους, *de victoria ab hoſte*, ut ille Criticus vult. Verba Dionyſii ipſa allata, nihil illum veri dicere, evincent. Apparet enim ex his, illum legiſſe tantũ in Indice. Sic igitur Halicarnaſſeus: πραγματευσάμενοι δὲ καὶ τἆλλα ἐξ ὧν πλεονεκτήσειν τοὺς πολεμίους ἔμελλον. *Cum cætera etiam comparaſſent quibus ſuperiores exiſterent hoſtibus.* Scribit in præcedentibus, Tyrrhenos occupaſſe caſtra à Romanis deſerta, tanquam munimentum caſtris alteris oppoſitum. Locum illum quippe munitum admodum fuiſſe, & opportunum prohibendis, qui ab urbe in caſtra irent, Romanis militibus. Addit, & alia etiam eos ſibi proſpexiſſe, ἐξ ὧν πλεονεκτήσειν ἔμελλον τοὺς πολεμίους. Ut iſta

πλεονεκτήματα multum momenti adferunt ad victoriã, ita pro victoria non ſunt accipienda. Qui opportuniore loco quam hoſtis caſtra metatus eſt, qui commeatibus omnibus abundat, qui aquari, qui lignari tuto poteſt ex loci quem inſedit commoditate, dum hoſtis loci iniquitate, & omnium rerum inopia premitur, tum ille qui habet hæc πλεονεκτήματα, dicitur πλεονεκτεῖν τοὺς πολεμίους Numerus quoque militum maior etiam πλεονέκτημα eſt, ut minor ἐλάττωμα. Sed πλεονεκτεῖν eo ſenſu non eſſe hoſtem vincere, illud fidẽ facit, quod ſæpe vincitur ab hoſte qui iſtis omnibus hoſtem πλεονεκτεῖ. Cæſar *ſuperiorem eſſe* dicit, pro eo quod Greci πλεονεκτεῖν. Sic enim ſcribit lib. 1. de bello civili: *ut noſtri magna inopia neceſſariarum rerum conflictarentur, illi omnibus abundarent rebus, ſuperioreſque haberentur.* Id eſt, πλεονεκτοῦντες. Propriè in idiotiſmo noſtro vocamus huiuſmodi πλεονεκτήματα, *avantages*. Quaſcunque nimirum commoditates ac opportunitates, quæ faciunt ut ſuperiores hoſtibus videamur. Et εὔθετοι εἰς πλεονεξίαν τόποι, *des lieux & poſtes avantageux*. Quibus opponuntur ἐλαττώματα. Nam ἐλάττωμα eſt id omne quo alicuius conditio deterior exiſtit. Inde ἐλαττωτικοὶ Philoſopho, contrarii τῶν πλεονεκτι-

νεκτικῶν, qui nimirum de ſuo iure remittunt, permittuntque, ſuam cauſam aut conditionem peiorem quam eſſet, fieri. Alii Græci προτερήματα & ὑστερήματα vocant, quæ antiquioribus & Atticis πλεονεκτήματα & ἐλαττώματα. Paulus περισσεύματα vocat, & opponit τοῖς ὑστερήμασι. Falſum igitur quod ille Criticus illud Apoſtoli, ἵνα μὴ πλεονεκτηθῶμεν ὑπὸ τοῦ Σατανᾶ, interpretatur, *ne violenter nos expugnet, ne victoriam de nobis reportet Satanas*. Nam & qui dolo præripuerit hoſti ſua πλεονεκτήματα, nõ minus cum πλεονεκτεῖν dici poteſt. Et ita ſolet nos Satanas πλεονεκτεῖν, non vi ac violentia, ſed fraude ac dolo. Unde & μεθοδεῖαι diaboli apud Paulum in Epiſtola ad Epheſios cap. VI. Ἐνδύσασθε τὴν πανοπλίαν τοῦ Θεοῦ, πρὸς τὸ δύνασθαι ὑμᾶς στῆναι πρὸς τὰς μεθοδείας τοῦ διαβόλου. Id eſt, *adverſus inſidias, technas, deceptiones Diaboli*. Inde μεθοδεύειν paſſim apud patres, præcipue apud Chryſoſtomũ. pro decipere, fraudare, fallere. Perperam ſacer Criticus ad illum locum notat, μεθοδεύειν idem eſſe quod vagari, & circumire, ſed intentum. Fallitur ipſe, nec intentus rei fuit cum hæc ſcriberet. Μέθοδος Græcis eſt ars & τέχνη. Inde & in malam partem acceptum eſt, ut illud ipſum vocabulum τέχνη, & apud Latinos
recen-

recentiores *ingenium*. Heſychius : μεθο-δεῖαι, τέχναι. Et μεθοδίται, τεχνῖται. Recte itaque vugaris interpres vertit, *ut non circumveniamur à diabolo*, ἵνα μὴ πλεονεκτηθῶμεν ὑπὸ τοῦ σατανᾶ, non ut placet Critico, *ne expugnemur violenter à Satana, ac victoriam de nobis reportet Satanas*. Tertullianus reddidit, *ne fraudemur à Satana*, in libro de Pudicicia. Sic πλεονέκτης eidem *fraudator* eſt. Sic Gloſſæ veteres μεθοδεύειν exponunt *circumvenire*, id eſt, fallere, & μεθοδεία *circumventio*, id eſt, fraudatio. Ergo μεθοδεύειν & πλεονεκτεῖν idem ſignificant, ſed diverſo reſpectu. Μεθοδεύειν ab arte ipſa ac techna dicitur qui fraudat, πλεονεκτεῖν ab effectu & fine. Ad hoc enim fraudant, ut πλέον ἔχωσιν. Nec iuvat Criticum Heſychius, qui πλεονέκτην exponit βίαιον. Locum poëtæ explicat, ubi ea vox ſic uſurpabatur, πλεονέκτα, βίαιε. Nos hic de ea πλεονεξίᾳ tractamus quæ avariciæ propria eſt, & quæ ſuum commodum captat ex alterius incommodo. Talem πλεονεξίαν, καὶ τὸ πλεονεκτεῖν Græci interpretantur περὶ τῶν παρὰ τὸ δίκαιον πλέον ἔχειν ἀξιούντων. *De his qui præter æquum & bonum iuſtumque amplius quam ſibi lege licet, capere conantur*. Quæ definitio nullo modo poteſt quadrare in eum fœneratorem qui legitimas tantum uſuras

uſuras capit, ſive trapezita ſit, ſive privatus. Multo minus in trapezitam qui à magiſtratu conſtitutas exigit uſuras, hoc eſt, eas quas magiſtratus ipſe nominatim in lege contractus exigendas illi pręſcripſit. Hæc etiam nimis generalis videtur πλεονεξίας finitio de quacunque cupiditate, quæ cum alterius damno ſuum quęrit ac captat compendium, quocunque modo. Illa de qua quærimus, proprie verſatur περὶ χρηματισμὸν, hoc eſt, *circa pecuniæ quærendæ ſtudium*. Ariſtoteles paulo generalius in Ethicis πλεονέκτου ſtudium & propoſitum iniuſtum, verſari ait circa bona περὶ ὅσα εὐτυχία καὶ ἀτυχία. Et interpretes Græci exponunt, οἷον τὰ χρήματα, δυναστείαν, καὶ σώματος εὐεξίαν. Alibi non tam latos dat fines πλεονεξίας notioni. Sed eam totam τῷ χρηματισμῷ includit. Nec fortaſſe hic in alia ſententia eſt. Nec puto audiendum illum Paraphraſten. Nam qui bona corporis valetudine alteri pręſtat, non is πλεονεκτεῖν poteſt dici, quia cū alicuius iniuria hanc εὐεξίαν non habet. Non πλεονεκτεῖ ἕτερον τῇ εὐεξίᾳ, ſed ἑτέρου. Quæ loquutiones quantopere inter ſe differant, nos antę explicavimus. Sed & ille dynaſta, qui, ut plus poſſit, vi graſſatus eſt, non ad eam πλεονεξίαν hoc eius factum

factum referri par eſt, quæ avaricia dicitur. Ut violentus ſit ac tyrannicus, & potentiam ſuam omnimodo promoveat, non tamen avarus audit. At de ea πλεονεξίᾳ hic agimus quæ aut avaricia eſt, aut avariciæ ſpecies. Ergo cum dicit Ariſtoteles, hanc πλεονεξίαν verſari circa bona περὶ ὅσα ἡ εὐτυχία καὶ ἀτυχία γίνεται, ſola χρήματα videtur intellexiſſe, non δυναστείαν, ut nec δόξαν. Ea in rebus contrahendis præcipue cernitur. Quicunq; enim in re contrahenda cum aliquo, circumſcribere eum ac fraudare contendit, ut plus capiat quam æquum eſt, id quod ſic agit πλεονεξία vocatur. Ariſtoteles eam πλεονεξίαν in contractibus verſari tradit; & ſic finit; Πλεονεξία δὲ περὶ τὰ συμβόλαια, παρὰ τὴν ἀξίαν αἱρουμένη τὸ διάφορον. Male vertunt viri doctiſſimi: *arrogantia vero circa contractus commerciumque vitæ, ſupra quam merita eſt, præpollere volens.* Sed nec πλεονεξία hic *arrogantia* eſt. Non melius alius ita reddidit; *Avaricia vero quæ in commerciis præter dignitatem ac meritum potiora expetit & aſſumit.* Τὸ διάφορον quid eſſet, non viderunt. Ne pecunia quidem hoc loco eſt, ſed id quod cuiuſque intereſt. Sic igitur verte: Πλεονεξία *vero* eſt *circa contractus, plus quam par aut iuſtum eſt, pro eo, quod ſua intereſſe putat, accipiens.*

accipiens. Τὸ διάφορον, eſt quod intereſt. Atque ita accipitur apud eundem Ariſtotelem in Oeconomico ſecundo in his verbis: τοῦτο γὰρ αὐτῷ τὸ διάφορον εἶναι, τὸ αὐτοῦ εἶναι τὸ ἐμπόριον, καὶ μὴ ἐκεῖ. *Ipſius enim intereſſe, Emporium iſtic potius eſſe, quam illo loco.* Sic apud Dionyſium Halicarnaſſeum, ὅσον τὸ διάφορον *quantum intereſt.* Alii Grȩci vocant τὸ διαφέρον. Inde τόκοι ἐκ τοῦ διαφέροντες, *uſuræ pro eo quod intereſt.* Quod vocatur noſtris Gallis *intereſt.* Attici dicebant, τόκους ἐκ τοῦ διαφόρου, vel ἀπὸ διαφόρου. Alias τὸ διάφορον apud Ariſtotelem, & alios Atticos ſcriptores, pro pecunia etiam ſumitur. Cum enim quod cuiuſque intereſt præcipue pecunia æſtimetur, hinc διάφορον & pro ipſa pecunia. Ut in definitione ἐλευθεριότητος apud Ariſtotelem, καὶ τὸ βοηθητικὸν εἶναι ἐν τῷ διαφόρῳ, καὶ τὸ μὴ λαβεῖν ὅθεν μὴ δεῖ. Ubi & perperam interpres, *ut ſubſidio, ſicubi maxime referat, eſſe.* Alii *in infortunio* verterunt, alii *in diſcrimine.* Βοηθητικὸς eſt ἐν τῷ διαφόρῳ qui alium pecunia iuvat. Sic paſſim accipitur apud Halicarnaſſeum. ut lib. IV. Τὸ ἴσον διάφορον ὁ πενέστατος τῷ πλουσίῳ κατέφερε. *Eamdem pecuniam pauperrimus ac dives conferebat.* Idem lib. VI διάφορον vocat ſortem quæ fœnori data eſt, quam *pecuniam* abſolutè vocant Iuriſconſulti

multis

multis locis: οἱ πρὸς πολὺ διάφορον, καὶ ἐπὶ μεγάλοις δανεισθὲν τόκοις, πολλὰ καταδουλωσάμενοι πολιτῶν σώματα. *Qui grandem pecuniam ſub magnis uſuris fœnerati multos civium oppreſſos in ſervitutem abduxere.* Eodem libro ſub finem, τὸ συνεισενεχθὲν διάφορον, *æs contributum, collatum.* Hinc paſſim in Macchabęorum libris τὰ διάφορα, ut iam ab aliis notatum eſt, pro pecuniis. Ut lib. II. cap. IV. XXVIII. πρὸς τοῦτον γὰρ ἦν ἡ τῶν διαφόρων πρᾶξις. *Ad hunc enim pertinebat pecuniarũ exactio.* Nec vox hæc propria, ut viri Græce doctiſſimi autumant, de ſumptibus & impenſis. ſed pro ſumptu etiam & impenſa ſumitur, quia in pecunia fiunt impenſæ. Sic accipitur apud Ariſtotelem in libro de virtutibus ac vitiis: Μὴ κατὰ καιρὸν ποιεῖσθαι διάφορον, *ſumptum in tempore non facere.* Et apud Theophraſtum in characteribus φειδωλία τοῦ διαφόρου, de his qui nimis parce ſumptum faciunt. Et notant Grammatici, apud Thucydidem τὸ διάφορον eſſe ἀνάλωμα, ſumptum & impenſam. Quia pecunia, quaſi pretio, res æſtimantur, capitur etiam pro pretio. Unde in Enchiridio Epicteti, cap. XXX; δὸς οὖν τὸ διάφορον, εἴ σοι λυσιτελεῖ, ὅσου πωλεῖται. *Da igitur pretium, ſi tibi utile eſt, quanti conſtat.* Vice verſa, ut τὸ διάφορον, quæ eſt pecunia, pro ſumptu uſurpatur, ita & Latinis

Latinis *ſumptus* pro pecunia, & Græcis τὸ ἀνάλωμα accipi ſolet. Ambroſius Officiorum I. cap. XXX. *Grandis culpa, ſi te ſciente fidelis egeat, ſi ſcias eum ſine ſumptu eſſe, fame laborare.* Id eſt, ſine pecunia, ἄνευ τοῦ διαφόρου. Sic ἀνάλωμα Græcis recentioribus, ut in Hiſtoria Lauſiaca, ἐν χρυσῷ κεκτῆσθαι πολλὰ ἀναλώματα. *In auro multas pecunias poſſidere.* Et paulo poſt: Τίς αὐτοῦ ἄρα ἔλαβεν ἐν τῷ πλοίῳ τὰ ἀναλώματα; *Quis in navigio pecunias eius accepit?* Sed illud τὸ διάφορον de pecunia non dicitur, niſi quatenus pecunia numerata ſolet taxari quod cuiuſque intereſt. Sic uſura quæ pro ſorte penditur, proprie διάφορον illi eſt qui pecuniam ſuam dedit mutuo, ac uſuram pro διαφόρῳ accipit. Inde ergo & διάφορον pro pecunia. Sic cum ſors ipſa κεφάλαιον Græce dicatur, ab eo & κεφάλαιον pro qualibet pecunia. Sic Paulus dixit ſeſe emiſſe civitatem Romanam πολλοῦ κεφαλαίου, id eſt, *multa pecunia.* Θέμα quoque proprie eſt pecunia ſive ſors, quæ apud trapezitam ad uſuram ponitur. Ex eo Græci & θέμα uſurparunt pro pecunia. Unde ἀγῶνες θεματῖται dicti. Ut ad rem redeamus, πλεονεξία locum & nomen in contractibus propriatim habet, quando alter contrahentiũ παρὰ τὴν ἀξίαν τὸ διάφορον κερδαίνει. In cõtrahenda vẽditione & emptio-

ne διάφορον pretium eſt: in locatione & conductione, merces: in opificiis, manupretium: in mutuo, uſura. Ubi τὴν ἀξίαν lex non determinavit, ſed in arbitrio contrahentiũ reliquit: tũ ſi præter æquum & bonũ vel venditor, vel locator, vel opifex τὸ διάφορον paciſcitur & exigit, in crimẽ πλεονεξίας incidit. Non enim debeo, cum rem meam vendo, neceſſitate vel cupidine ementis abuti quo eam carius vendam. Sed in his difficile eſt modum tenere, & paſſim etiam honeſtiores non ſolum occaſionem bene ſuæ rei vendendæ, ſi ſe offerat, non omittunt, ſed etiam, ſi non adſit, eam captant. Et quia nullum à lege temperamentum adhibitum eſt, ſibi legem quiſque in his dicit, aut eam ex ſua libidine parti ſecum contrahenti imponit. In his vero obligationibus, & contractibus, quibus modum lex conſtituit, & τὴν ἀξίαν taxavit, ut in uſuris tam trapeziticis quam communibus, nihil eſt negotii vitare πλεονεξίας culpam. Quiſquis enim non ampliores legitimis uſuras exigit, certum eſt, illum πλεονεκίας notam non incurrere, nec παρὰ τὴν ἀξίαν τὸ διάφορον αἱρεῖσθαι. Ergo πλεονέκται illi ſoli cenſendi ac dicendi ex fœneratoribus, qui modum à lege præſcriptum non obſervant, ſed eum excedunt,

cedunt, quia παρὰ τὴν ἀξίαν τὸ διάφορον αἱροῦνται. De huiuſmodi fœneratoribus πλεονέκταις loquitur Dionyſius Halicarnaſſeus lib. VI. Ταῦτα δὲ ἀπειργάσθαι συγκαλύψαντας, οὐ τοὺς χαριεστάτους τῶν πατρικίων, ὑβριστὰς δέ τινας καὶ πλεονέκτας, οἳ πρὸς πολὺ διάφορον, καὶ ἐπὶ μεγάλοις δανεισθὲν τόκοις πολλὰ καταδουλωσάμενοι πολιτῶν σώματα, τούτοις τε ὠμὰς καὶ ὑπερηφάνους ἀνάγκας προσφέροντες, ἀλλότερον ἐποίησαν γενέσθαι τῆς ἀριστοκρατίας ἅπαν τὸ δημοτικόν. Vocat ὑβριστὰς, quos ibi memorat ex patriciis fœneratores, quia acerbiores eſſent in exigēdis debitis, ita ut civium corpora obæratorum, & ſibi obligatorum ex nexu, in ſervitutem abducerent. Πλεονέκτας autem, quod nimis grandes uſuras & legitimum modum excedentes exigerent, ἐπὶ μεγάλοις τόκοις δανείζοντες. Non aliter proprie hæc vox πλεονεξίας accipitur quam eo quo dixi modo, quæ nimirum in lucris temperamentū non ſervat, & iniuſtis immodiciſque inhiat. Quod in gloria eſt φιλοδοξία, in libidine φιληδονία, hoc in avaricia & lucri cupiditate πλεονεξία. Clinias Pythagoricus, ubi narrat, quibus ex cauſis potiſſimum homines iniuſte agant, & æqui bonique reſpectum nullum habeant, tres has eſſe dicit, his verbis: ὁπόταν δὲ ἐκ τᾶς αἰτίας ἀναῤῥιπισθεῖ-

σας εἶναι, ἀδικεῖν πέφυκεν ἄνθρωπος, αὗται δὲ τρεῖς τυγχάνοντι, φιληδονία μὲν ἐν τῇ ἀπολαύσει τῇ διὰ σώματος, πλεονεξία δὲ ἐν τῷ κερδαίνειν, φιλοδοξία δὲ ἐν τῷ ὑπερέχειν τῶν ἴσων καὶ τῶν ὁμοίων. Eodem ſpectat & Heſychii de πλεονεξίᾳ expoſitio. Πλεονεξία, inquit, τὸ πλέον τοῦ δέοντος ἔκ τινος λαμβάνειν, *plus ab aliquo accipere quam oportet, id eſt, quam per leges licet:* τὸ δέον quippe intelligitur, quatenus æquitas & ius permittit. Ubi enim eam æquitatem ſponte non ſequuntur homines, ſi ipſorum arbitrio relinquatur, lex ei limites ponit, ultra quos rectum non conſiſtat, eoſque tranſcendenti minime impune ſit. Omnes autem quærendi & rei amplificandæ modi, qui πλέον τοῦ δέοντος non accipiunt, nec παρὰ τὸ δέον exercentur, liciti ac legitimi habentur. Stoici, licet inter omnes ſectas philoſophorum maxime aſperã & auſterã viam terentes, χρηματιστικὴν quam probant, id eſt, *pecuniarum quærendarum artem*, ita definiunt: ἡ χρηματιστικὴ, ἐμπειρία περιποιήσεως χρημάτων ἀφ' ὧν δέον, καὶ ἕξις ὁμολογουμένως ἀναστρέφεσθαι ποιοῦσα ἐν συναγωγῇ χρημάτων, καὶ τηρήσει, καὶ ἀναλώσει πρὸς εὐπορίαν. *Quæ vocatur* χρηματιστικὴ, *ars eſt ſive ſcienti acquirendarum pecuniarum, legitimis & honeſtis modis. Eſtque habitus revera, quo efficitu*

u

ut quis verſetur in pecuniarum collectione, conſervatione, & impendio, qui habet pro fine opulentiam. Cum in finitione ponunt, ἀφ' ὧν δέον, excludunt πλεονεξίαν, quæ πλέον τοῦ δέοντος accipit. Inter illos modos quærendæ rei quos pro honeſtis habent, vero verius eſt, fœneratoriam ab his reponi, quæ τὸ δέον nō ſupergreditur, & legitimis uſuris contenta eſt. Non negabant igitur, ſuum ſapientem δανείζειν oportere, nec δανειστικὴν exercere, ne τραπεζιτικὴν quidem, dum τὸ δέον obſervaret, & in πλεονεξίας vitium non excideret, quæ τὸ δέον excedit. De ea πλεονεξίᾳ hi Menandri verſus apud Stobæum leguntur:

Πλεονεξία μέγιστον ἀνθρώποις κακόν,
Οἱ γὰρ θέλοντες προσλαβεῖν τὰ τῶν πέλας
Ἀποτυγχάνοντες πολλάκις νικώμενοι
Τἀδ' ἴδια προστιθέασι τοῖς ἀλλοτρίοις.

Habendi aviditas maximum eſt homini malum,
Nam qui ſtudent aliena ſuis adiungere,
Ita ſæpe voto ſpeque deiecti excidunt,
Sua ut ipſi propria alterius adplicent bonis.

Apud eundem Stobæum Diphilus φιλαργυρίαν dicit τοῦ παντὸς κέρδους εἶναι δούλην, *omnis lucri*, id eſt, iuſti iniuſtique. Sic enim hi verſus legendi: Φιλαργυρία, τοῦτ' ἐστιν, ὅταν ἀφεὶς σκοπεῖν Τὰ δίκαια, τοῦ κέρδους ᾖ παντὸς

τὸς δοῦλος ἧς. *Hic amor eſt nummi ; cum, quod æquum poſtulat Nil curans, omni ſervis lucro deditus.* Cum in vitio ponitur hoc nomen, non aliud apud Græcos ſignificat, ſed nec credo apud Helleniſtas, ſi ulli fuere, ne ad eos confugiat Criticus, ut nobis probet, πλεονεξίαν etiam τὴν ἀκρασίαν περὶ τὰ ἀφροδίσια ſignificare, & maxime adulterium. Quod nuſquam reperitur. Et vellem nimiũ ſcire de viro illo docto, quem aiunt dicere, omnia ſe paratum eſſe defendere quæ in illis Exercitationibus continentur, quomodo hæc ſit defenſurus. Sed ille Comicus φιλαργυρίαν nominat. Quod nomen eſt generalius de omni avaricię genere, quæ multiplex eſt, cum πλεονεξία anguſtiores habeat ſignificationis terminos, ut eam hic ex Ariſtotele & aliis finivimus. Videtur Apoſtolus etiam æque ſtricta notione id verbi ſumpſiſſe, cum πλεονέκτας ἀπὸ τῶν ἁρπάγων diſtinxit in Epiſtola ad Corinthios I, cap. V, ἢ τοῖς πλεονέκταις, ἢ τοῖς ἅρπαξιν. Et verſiculo ſequenti, ἢ πλεονέκτης, ἢ εἰδωλολάτρης, ἢ μέθυσος, ἢ ἅρπαξ. Quibus locis vetus interpres vulgaris interpretatur *avarum*. Quod nimis laxum nomen eſt, & latiorem habet ſignificatum quam qui huic loco conveniat. Nam ἅρπαγες etiam avari ſunt, & impellente avaricia

ricia rapiunt aliena. At Paulus πλεονέκτας eos videtur ſolos intelligere qui per fraudem alieno imminent. Et ſic patres plerique antiquiores interpretati ſunt, qui πλεονέκτην *fraudatorem* Latine reddiderunt, ut Tertullianus & Cyprianus. Atque ita etiam Philoxenus in Gloſſis: *Fraudator*, πλεονέκτης. Hinc & vetus interpres, πλεονεκτεῖν ἀδελφὸν vertit *circumvenire fratrem*. Et ſic etiam Cyprianus in III ad Quirinum: *non circumvenire in negocio fratrem, quia Deus ultor eſt de omnibus.* Eadem ratione illi patres, cum vulgatæ verſionis auctore, ἵνα μὴ πλεονεκτηθῶμεν ὑπὸ τοῦ Σατανᾶ, *ne circumveniamur, aut fraudemur à Diabolo*, verterunt. Quem locũ tamen ita placuit nupero exponi Critico, *ut plus poſſit, ne violenter nos expugnet, ne victoriam de nobis reportet Satanas.* Cui expoſitioni repugnat quod ſequitur apud Apoſtolum, οὐ γὰρ αὐτοῦ τὰ νοήματα ἀγνοοῦμεν. *Non enim eius cogitationes ignoramus.* Quæ νοήματα ad fraudationem & circumventionem potius referenda ſunt, quam ad vim ac violentiam. Et ſunt plane quas alio loco μεθοδείας τοῦ διαβόλου vocavit idem Apoſtolus. Sed de his ad locum illum pluribus. Si πλεονέκτης hoc ſenſu fraudator eſt, & πλεονεκτεῖν fraudare, certe & πλεονεξία non bene *avaricia*

 ver-

vertetur, ſed potius erit reddenda, *circumventio, & fraudatio*. Cum enim Ariſtoteles πλεονεξίαν verſari dicat circa συμβόλαια, ubi quis quod ſua intereſſe putat, ultra iuſtum modum capit, certum eſt, vim ac violentiã in conventionibus & pactis locum non habere, niſi raro admodum. Fraus & dolus in illis magis militant. Euripides in Heraclidis πλεονέκτην deſignavit his verſibus, qui ſic apud Stobæum leguntur, quem συναλλάσσειν, aut συναλλάξαι βαρὺν vocavit, eique, quem δίκαιον appellat, oppoſuit:

Πάλαι ποτ' ἐστὶ τοῦτο μοι δεδογμένον.
Ὁ μὲν δίκαιος τοῖς πέλας πέφυκ' ἀνήρ,
Ὁ δ' εἰς τὸ κέρδος λῆμ' ἔχων ἀνειμένον,
Φίλοις τ' ἄχρηστος, καὶ συναλλάξαι βαρὺς,
Αὑτῷ δ' ἄριστος.

Quæ ſic ex tempore vertimus:

Hoc conſtitutum mente mihi pridem ſedet.
Eſt in propinquos æquitatem qui colat.
Aſt alius animo effuſus in lucrum ruit,
Non bonus amicis, ſed ſibi ipſi perbonus,
Et contrahendis durus in negotiis.

Hic συναλλάξαι βαρὺς, & δικαίῳ oppoſitus, plane is eſt quem dicit Ariſtoteles ἐν τοῖς συναλλάγμασιν παρὰ τὴν ἀξίαν αἱρεῖσθαι τὸ διάφορον. Qui in contrahendo nihil à ſe iuſti æquive impetrari ſinit, ſed ſemper πλέον

ἔχειν

ἔχειν vult, plus habere quam leges ac iura ſinunt. Ideo inter ἀδικίας genera & hanc πλεονεξίαν repoſuit philoſophus. Quam avariciam non bene Latine reddi, vel ex eo liquet, quod ſit avarorum genus qui nihil minus ſunt quam πλεονέκται. Nam neq; aliena appetunt, ſed ſuis tantum ſervandis ſtudent, quibus tanquam ſacris parcunt. Hi ſunt quos Græci φειδωλοὺς, μικρολόγους, κίμβικας, γλίσχρους, κνιποὺς, κυμινοπρίστας, aliiſque nominibus, atque etiam ῥυπαροὺς vocant. Latini *avaros, deparcos, tenaces, ſordidos, ſtrictos, aridos*, & aliis vocabulis. De his accipiendus ille ſenarius: *Tam deeſt avaro quod habet, quam quod non habet.* Quia nempe non utitur eo quod habet, & quamlibet dives, egentis fato vivit & miſeri, ſuumque genium defraudat. Ῥυπαρίαν hanc avariciam Græci nuncupant, ut Latini *ſordes*. Plato Comicus in Parmenide talem ῥυπαρὸν depingit:

Ἤδη χορηγὸν πώποτε ῥυπαρώτερον
Τοῦδ' εἶδες; ὃς δὴ θᾶττον ἐκ τοῦ αἵματος
Ἢ χρημάτων αὐτοῦ γε μεταδῴη τινί.

An tu Choragum, quam hic eſt, ſordidum magis
Vidiſti? Quippe qui proprium vel ſanguinem
Citius daret cui, quam ſuam pecuniam.

Ῥυπαροὺς quoque Ariſtoteles in libello de vitiis ac virtutibus huiuſmodi ſordentis avariciæ homines appellat. Idem ait in IV Nicomachiorum, qui tales ſunt, non appetere aliena, neque accipiendi cupiditate duci, partim, inquit, bonitate quadam naturæ adducti, & rerum turpium vitatione. Videntur enim quidam, certe, hoc præ ſe ferunt, ſe ob id ſua cuſtodire, ne quando turpe aliquod facinus facere cogantur. Alii rurſum propter metum alieno abſtinent, quaſi difficile ſit eumdem quæ alterius ſunt accipere, & non idem ab alio perpeti, ut ſua nimirum alius pariter non accipiat. Hi omnes qui tali ingenio præditi ſunt, ut non largiuntur quibus oportet, ita nec accipiunt à quibus non oportet. Nec ergo definitio ac proprietas πλεονέκτου in eos cadit & quadrat, λαμβάνοντος ἀφ' ὧν οὐ δεῖ, καὶ μὴ διδόντος εἰς ἃ δεῖ. Sunt quippe & ita nati multi ex alio avarorum genere, ut tam libenter aliena invadant, quã ſua conſervare ament. Hi undique accipiunt & quodcunque. Οἳ δ' αὖ, inquit ille philoſophus, κατὰ τὴν λῆψιν ὑπερβάλλουσι τῷ πάντοθεν καὶ λαμβάνειν, καὶ πᾶν. Tales eſſe ait omnes artium illiberalium profeſſores, hoc eſt, qui quæſtuarias artes exercent, ſed & lenones, & omnes

omnes eiuſdem farinæ homines, deinde, & τοκιϛὰς, id eſt, fœneratores. Verba ipſa Ariſtotelis adſcribēda hic ſunt, quia ex illis doctus Theologus adſtruere conatus eſt, non meliores eſſe nec honeſtiores lenonibus fœneratores, quia eos philoſophus hic πορνοβοσκοῖς adnumeret, & quæſtum hunc referat inter artes illiberales, & turpia lucra. Sic igitur ſe locus Ariſtotelis habet lib. IV Ethicorum ad Nicomachum, cap. I. Οἷον οἱ τὰς ἀνελευθέρους ἐργασίας ἐργαζόμενοι, καὶ πορνοβοσκοὶ, καὶ πάντες οἱ τοιοῦτοι, καὶ τοκισταὶ, καὶ τὰ μικρὰ ἐπὶ πολλῷ. Πάντες γὰρ οὗτοι ὅθεν οὐ δεῖ λαμβάνουσι, καὶ ὁπόσον οὐ δεῖ. *Alii*, inquit, *rurſus in accipiendo modum excedunt, quia undique, & quodcunque, accipiunt. Vt ſunt qui illiberales & ſordidos quæſtus exercent, & lenones, & id genus omne, item fœneratores, & qui parva colligunt magno labore. Omnes hi enim accipiunt unde non oportet, & quantum non oportet.* Primo certum eſt, omnes artes quęſtuarias & lucrum pro fine ſibi proponentes hic ab Ariſtotele denotari. Inter quas & mercaturam reponendam eſſe conſtat. Nam & ſordidam eſſe omnem negotiationem ac vilem Cicero dicit, & certum eſt, inter quæſtus illiberales ab antiquis recenſeri. Omnes eiuſmodi artium quęſtuariarū profeſſores,

qui-

quibus licet capere ex arte quantum libet, πλεονεκτικοὶ ſunt. Nemo enim ex his iuſta mercede contentus eſt, aut quantum ſatis eſt petit, aut quantum æquum ſit ſe accipere reſpicit, ſed quantum poteſt, & ab omnibus accipit. Ideo ὅθεν οὐ δεῖ λαμβάνει καὶ ὁπόσον οὐ δεῖ. Ut mercator, qui etiam ab egeno idem pretium pro merce exigit atque à divite, idque quantum maximum poteſt. Vis facere, ut, non quantum libet, ſed quod æquum eſt, hi omnes accipiant, fac per legem aliquã ut non liceat illis ultra id quod illa iuſtum ſanxerit accipere, tum eorum πλεονεξίᾳ fibulam impoſueris. Enimvero quamdiu eorum libidini liberũ erit ſibi ipſi ius dicere in pretiis aut mercedibus poſtulandis, fruſtra voles efficere, ne quiſquam profitentium eas artes, πλεονέκτης ſit, atque non τὸ διάφορον παρὰ τὴν ἀξίαν αἱρῆται. Vix unquam quippe temperabit, immo ne vix quidem, qui lucrum quærit, quin, ſi poſſit, & quandocunque poſſit, quantum maximum lucretur. De hoc primum inter omnes conſtat, pleroſq; hominum, φιλοχρημάτους potius eſſe quam δοτικούς. Si ars deinde accedit, & ex arte conſuetudo quæ eam roboret, tum naturæ illa ad lucrum quæſtumque propenſio in tantum confirmabitur & augebitur, ut

ſemel

ſemel lucrum facere adſuetus, & artem quã optime id faciat callens, avidiſſime deinceps ad id feratur, vel potius præceps ruat, ac pertinaciſſime in eo perſeveret. Canem corio citius abſterreas uncto quam ut eum à lucrandi dulcedine divellas cuius naturã eo ſponte inclinatam ars prorſum impellere cœperit. Philoſophus igitur maxima cum ratione atque optimo iure, ut probaret, eſſe aliquos qui omne acciperent, & ab omni, atque unde non oporteat, & quantum non oporteat, eas artes recenſuit, & quæſtus, quibus liceret quantum liberet accipere. Eæ ſunt quas in Politicis μεταβλητικῆς definitione ac diſtributione complexus eſt, ubi eam diviſit in tria genera, εἰς ἐμπορικὴν, τοκιστικὴν & μισθαρνικήν. Per μισθαρνικὴν intellexit quidquid eſt artium illiberalium quas βαναύσους τέχνας Græci appellant, quibus adiunxit ſub eodem μισθαρνίας nomine quicunq; operam corpore prę̆ſtant ſine arte, ut ſunt qui *mercenarii* vocantur. Horum enim operæ, non artes, emuntur. Præter artes quæ liberales Græcis dictæ ſunt, quas ſeptem numerant, omnes aliæ illiberales & ſordidæ habitæ. Seneca *vulgares* & *ſordidas* ex Poſidonio appellat, in quibus dicit *nullam decoris, nullam honeſti ſimulationem eſſe*,

eſſe, Epiſt. LXXXVIII. Hæc ſunt artificia opificum quæ manu conſtant. Opifices porro omnes in ſordida arte verſari ſcribit Cicero in I de Officiis. *Nec enim*, inquit, *quicquam ingenuum habere poteſt officina.* Sed ubi ſunt, inquies, mercatores & negotiatores cum illis ſordidis & illiberalibus artibus apud Ariſtotelem? Immo ſunt. Non enim τὰς ἀνελευθέρους aut βαναύσους τέχνας dixit, quo nomine ſola artificia opificum deſignaſſet, ſed τὰς ἀνελευθέρους ἐργασίας, qua appellatione non ſolum artificia ſed etiam quæſtus intellexit, id eſt, negotiatorum omnis generis profeſſiones. Nam ἐργασία communis eſt omnium, tam opificum, quam negotiatorum. At ſi τέχνας tantum nominaſſet, ſolos opifices notaſſet. Artes diſtinxit Cicero à quæſtibus in I Officiorum, his verbis: *Iam de artificiis, & quæſtibus, qui liberales habendi, qui ſordidi ſint, hæc fere accepimus.* Περὶ τεχνῶν καὶ ἐργασιῶν. Certum tamen eſt, ἐργασίαν utriſque eſſe communem. Unde & ἐργαστήρια *tabernæ* & *officinæ* tam artificum quam negotiatorum, & inſtitorum, qui ἐργαστηριάρχαι dicuntur. Et Ariſtoteles hoc loco per ἀνελευθέρους ἐργασίας opifices & mercatores intellexit. Hi enim etiam inter illiberales & ſordidas profeſſiones. *Sordidi*, in-

inquit Cicero, *etiam putandi qui mercantur à mercatoribus quod ſtatim vendant.* Nec melius ſentit de ipſis mercatoribus, cum ſi tenuis ſit mercatura etiam ſordidam putandam dicat. Et magnam, qualis eſt *magnariorum*, non admodum commendat, niſi ſatiata quæſtu, vel contenta potius, ſe in agros & poſſeſſiones conferat. Ecquid igitur hoc probroſum fœneratoribus, ſi cum his ab Ariſtotele ſunt nominati? At lenones etiam ſimul commemoravit. Immo hos potius negotiatoribus & opificibus accenſuit, id eſt, τοῖς ἀνελευθέροις ἐργασίαις, quam fœneratoribus, οἷον οἱ τὰς ἀνελευθέρους ἐργασίας ἐργαζόμενοι, καὶ πορνοβοσκοὶ, καὶ πάντες οἱ τοιοῦτοι. *Vt qui illiberales quæſtus exercent, & lenones, omneſque eius notæ.* Per hæc verba, καὶ πάντες οἱ τοιοῦτοι, quaſi canali quodã lato, ſeu limite, diſpeſcuit fœneratores, quos poſtea nominat, à prius nominatis quæſtibus ſordidis, & lenonibus. Sic enim apud eum ſequitur, καὶ τοκισταὶ, καὶ τὰ μικρὰ ἐπὶ πολλῷ. Per hos, qui τὰ μικρὰ ἐπὶ πολλῷ, intellexit mercenarios qui multum ſudant, ut parum lucrentur, ut ſunt qui corpore operas præſtant, nec artem ullam venditant. Enimvero πορνοβοσκοὶ ſive lenones, quales tunc erant in Græcia, melius cum negotiatoribus & mercatoribus

ſocian-

ſociantur quam fœneratores. Homines tum emebantur & vendebantur, ut aliæ merces. Σωματεμπόρους Græci vocant qui mercaturam hominũ inſtituebant, Latini *venaliciarios*. Cum igitur hæc negotiatio vigeret, fuere & qui puellas ære ſuo emerent, eaſque alerent, & merere eas ſibi cogerent proſtitutas, quas etiam amatoribus ſuis, ſi emere eas vellent, ut haberent aut liberarent, vendebant. Inde & πορνοβοσκοὶ dicebantur. *Meretricum mercatores* liceat etiam appellare. Alia conditio eſt lenonum noſtrorum. Tales etiam novit antiquitas Græca & Romana, qui Græce dicuntur μαστροποί. Latine *lenones, Bacariones*, vel *Bacarioli*, πορνοδιάκονοι. Atque inde noſtra appellatio. Hinc cognoſcat Theologus quam recte dixerit, ad infamandos trapezitas, Ariſtoteli ita odioſum viſum eſſe hoc genus, ut eos lenonibus accenſuerit. Ergo etiam odioſos mercatores habuerit, negotiatores, & omne genus opificum artificumque, quibus illos πορνοβοσκοὺς adnumeravit. Non ab ullo odio aut infamia eos omnes ibi recenſuit, ut iam diximus, ſed ut oſtenderet, quinam ſolerent plus accipere quam par aut iuſtum eſſet, omnes nimirum quibus liceret tantum petere quantum vellent.

Addenda hæc illa, q̃ autor circa fin. post indicē libri addi vult.

At

At idem in Politicis fœnerationem prætulit omnibus aliis quæſtibus opificum ac mercenariorum. Hic quoque, ut iam explicavimus, eos ab aliis omnibus quæſtibus & artificiis ſordidis quibus πορνοβοσκοὺς adiunxit, velut interpoſito diſſepimento diſterminavit. Ipſe Cicero in Officiis cum de artibus & quæſtibus ſordidis tractaret, cum & opifices in ſordida arte verſari, & negotiatores ſordidos eſſe putandos ſcripſiſſet, de fœneratoribus dixit, ideo improbari eorum quæſtũ quia in odia hominum incurrunt, ut & *portitores*. Pollux lib. VI. cap. XXXI. enumerat omnes βίους ſive profeſſiones ἐπονειδίστους, id eſt, quæ eas exercẽti probroſę ſunt. In his & portitores repoſuit, non etiam fœneratores. Verba eius hic adſcribam: Βίοι ἐν οἷς ἄν τις ὀνειδισθείη. πορνοβοσκὸς, κάπηλος, ὀπωρώνης ὀπωροπώλης, τελώνης. δεκατώνης, δεκατηλόγος, εἰκοστολόγος, πεντηκοστολόγος, ἐλλιμενιστὴς. κῆρυξ, ναύτης, πανδοκεὺς, πορθμεὺς μαστροπὸς, ὑπηρέτης, βυρσοδέψης, σκυτοδέψης. Perperam interpres βίους ἐπονειδίστους vertit *vitas infames, aut vivendi conditiones quibus infamis quis reddi poteſt*. Nam pleræque ex profeſſionibus ſupraſcriptis non infames fuere, ſed tantum probroſæ & inhoneſtæ. Hoc enim eſt ἐπονείδιστον. At infa-

 mis,

mis, ἄτιμος eſt. Addit, alias eſſe artes ac quæſtus, quas ſi quis recte adminiſtret, nullum ex his opprobrium poſſit incurrere, ſed in ſuperius memoratis etiam ſi bene ſe gerat, dũ illas exercet, nihilominus ipſi eſſe probroſas. Εἰσὶ δὲ καὶ μὴν διὰ πασῶν ἀνελεύθεροι τεχνῶν τὸ ὀνείδισμα τοῖς βελτίω βίον αἱρουμένοις ἀλλ' οἵγε τοιοῦτοι βίοι τὸ ἐπονείδιστον ἐπ' αὐτοῖς ἔχουσιν, εἰ καί τις τῷ δικαίῳ ἐπιμένων τύχῃ. Oſtendimus etiam ſupra, fœnerationem à Romanis non inter probroſas nundinationes habitam fuiſſe, & multo minus apud Græcos. Eat nunc vir optimus, & expoſtulet, nos ſartori fœneratorem prætuliſſe in libro de Uſuris. Neſcio an hoc ad illum quicquam attineat. Nec tamẽ muto nunc quod dixi. Nemo ignorat quam male audiant ſartores, & merito quidem ſuo, niſi qui eorum opera uſus non eſt. Si ad conſcientiæ examen nos revocat, quis dubitat, fœneratores, quales hodie hic auctoritate publica munus ſuum exercent, à Iohanne ad baptiſmum æque fuiſſe admittendos atque illos publicanos qui nihil παρὰ τὸ διατεταγμένον accipiebant? Nec ſane tum pro uſuris quas accipiunt, pœnitentiam agere eos coegiſſet Baptiſta, quia διατεταγμέναι illis ſunt à magiſtratu. Ad ſartores quod attinet, duplicem dubio

bio procul ab his exegiſſet pœnitentiam, & pro πλεονεξία, dum nimium exigunt pro veſtium confectione, & pro furto, quod plus panni requirunt ad veſtes conficiendas quam neceſſe eſt, ac ſuum id faciunt. Non ignota loquar. Si de artis prærogativa contenderent ſartor & fœnerator, & iudicio antiquitatis ſtandum eſſet, ſine dubio præferretur fœnerator. Nec nunc quidem puto aliter iudicari oportere. Si τοκισαὶ porro tempore Ariſtotelis uſuras accepiſſent determinatas à magiſtratu, vel lege ſtatutas, non eos utique numeraſſet inter illos quæſtus qui vulgo ſolerent πλεονεκτεῖν quia poterant, cum in eorum eſſet poteſtate, quantum volunt, arti ſuæ pretium ponere. Qui hoc poteſt, vult etiam quam maximum, nec magis ab eo deterretur quam torrens ab inundatione, ſi ripas nullas in alveo, qua decurrit, nulloſque obices inveniat. Lex quæ modum fœnori ponit, quaſi altior ripa eſt violentius præfluenti amni, ne in agros excurrat. At τοκισαὶ Attici, haud ſecus atque artifices, & aliæ quæſtuoſæ profeſſiones, nullos à lege fixos habuere limites quas vetarentur tranſcendere. Πλεονεξίαν autem non dari ubi lex præfixit quod liceret in fœnore accipere, ipſe

 Iuſti-

Iuſtinianus teſtatur Novella XXXII. ubi fænus quod agricolis dandum eſt, determinavit tã in frugibus quam in pecunia. Sic igitur ſcribit initio conſtitutionis: Πρᾶγμα δεινὸν, καὶ πάσης ἐπέκεινα ἀσεβείας καὶ πλεονεξίας γινόμενον συνείδομεν νόμῳ θεραπεῦσαι κοινῷ, οὐκ ἐπὶ τῆς παρούσης μόνον ἀνάγκης, ἀλλὰ καὶ εἰς τὸν ἑξῆς ἅπαντα χρόνον πολιτεύεσθαι δυναμένῳ. Qua in re antea πλεονεξίᾳ peccabatur, quamdiu liberum fuit unicuique in ea peccare, ne amplius delinquatur, hac lege cauſam πλεονεξίας à ſe tolli profitetur. Ergo qui deinceps poſt illam conſtitutionem ab agricola in frugũ mutuo ſtipulatus eſſet pro modiis octo unum acceſſionis nomine, & in pecunia mutuaticia in ſolidum unam ſiliquam pro uſura, non amplius πλεονεξίᾳ ille peccaſſet. Quod enim lex ſanxit aut magiſtratus ſtatuit, non poteſt eſſe πλεονεξία, niſi quis legem iniquam aut magiſtratum iniuſtum arguere paratus ſit. Πλεονεξία quippe ἀδικία eſt. Inter πλεονεκτικοὺς autem qui ultra iuſtum modum accipiunt, & ἐλαττωτικοὺς qui minus quam iuſtum eſt exigunt, quia de ſuo iure cedunt, medii ſunt quos Græci ἀκριβοδικαίους vocant, nimium ſui iuris tenaces, & in eo perſequendo nihil remittentes, ſed iuſto acerbiores. Ariſtoteles lib. V. cap. IX. ita virum bonum

bonum & æquum, hoc eſt, ἐπιεικῆ deſcribit: ὁ γὰρ τῶν τοιούτων προαιρετικὸς καὶ πρακτικὸς, καὶ μὴ ὁ ἀκριβοδίκαιος ἐπὶ τὸ χεῖρον, ἀλλ' ἐλαττωτικὸς, καίπερ ἔχων τὸν νόμον βοηθὸν, ἐπιεικής ἐστι. *Qui talia ſibi proponit ac facit, & non in deteriorem partem ius ſuum nimis exacte perſequitur, ſed de eo multum remittit, quamvis legem pro ſe habeat, bonus ac modeſtus eſt.* Male vir doctus ad eum locũ notavit, ἀκριβοδίκαιον & ἐλαττωτικὸν ab Ariſtotele poni tanquam contraria. Immo πλεονεκτικὸς & ἐλαττωτικὸς contraria ſunt, quia in duobus extremis conſiſtunt, & ἀκριβοδίκαιος in medio iacet utriuſque. Πλεονεκτικὸς ἀδικεῖ. ἀκριβοδίκαιος οὔτε ἀδικεῖ, οὔτε ἀδικεῖται. ἐλαττωτικὸς ἀδικεῖται, ſed ſua voluntate. Hic bonus eſt. Ἀκριβοδίκαιος, neque bonus neque malus. At πλεονεκτικὸς omnino malus. Contra legem enim facit; Ἀκριβοδίκαιος ſecundum legem. Ἐλαττωτικὸς intra legem. Hic minus capit quam lex ipſi capere permittit. Illi contrarius πλεονεκτικὸς, plus quam per legem ipſi permittitur. Ἀκριβοδίκαιος ius ſuum vult, & quod lex ei accipere concedit, accipit. Fœnerator improbus, qui legitimis uſuras ampliores exigit, dubio procul πλεονεκτικὸς eſt. Qui non niſi legitimas accipit, ſed eas omnino ſibi ſolvi vult, eſt ἀκριβοδίκαιος. Tales ſunt tra-

pezitæ noſtri. At ille, qui minoribus quã quas lex licitas fecit, contentus eſt, re vera ἐπιεικὴς, atq; μειονεκτικὸς habendus. Hæc cum ita ſint, ac veriſſima quidem, non placet Theologo doctiſſimo, quod videor nimis catholice affirmaſſe, nullum genus fenoris nomen πλεονεξίας mereri, niſi quod ultra modum legibus præſcriptum exercetur. Rationem addit, ſane perquam elegantem ac ſcitam. Togam componamus, ut eam audiamus. Nam ita meretur. *Quia*, inquit, *leges novæ quæ abrogarunt centeſimas quæ erant olim legitimæ uſuræ, nunquam rogatæ eſſent, niſi veterem modum legibus præſcriptum, indicaſſent illi penes quos novæ legis condendæ poteſtas erat, πλεονέκταις indultum potius propter σκληροκαρδίαν, quam ex æquo & bono conſtitutum fuiſſe.* Tot verba pro ratione allata, ratione prorſus carentia, optimo viro in caſſum excidiſſe doleo. Primum ſtultiſſimus eſſet & iniquiſſimus legiſlator, qui privatis immanes uſuras accipere indulgeret, propter σκληροκαρδίαν corũ potius quam ex æquo & bono. An tanti facere cuiuſquam σκληροκαρδίαν debet qui leges condit publicas, ut ei cives pauperes comedendos & exorbendos præbeat, eo ſolo nomine, quod ille cui hoc conceditur, ſit σκληροκάρδιος? Abeat potius in Mor-

Morboniã qui talis eſt, quam ut eius ratio habeatur cum pernicie omnium aliorum civium, ipſiuſque adeo reipublicæ. Cor eius durum non emolliendum hac conceſſione curarẽ, ſi legiſlator eſſem, ſed tergum potius malaxandum verberibus carnifici darem, cum hoc ſuperdicto præconis. *Hic est qui propter duriciem cordis voluit ſibi ampliores uſuras permitti.* Videat doctus Theologus, an σκληροκαρδίας appellatio huiuſmodi hominibus, & in tali re, cuius neceſſario à magiſtratu habenda ſit ratio, poſſit competere. Dicit Chriſtus apud Matthæum xix. viii, Moſem propter duriciam cordis repudium permiſiſſe Iudæis, cum ab initio non eſſet ſic. Deum enim à principio creaſſe marem & feminam, ut duo eſſent in carne una. Ubi legiſlator cogitur relaxare rigorem legis moralis in rebus quæ conſcientiam ſpectant, non id facit, habita ratione unius aut alterius ex plebe, ſed totius populi, qui non poteſt cogi ad legis illius iugum ſubeundum. Et tum merito dicitur, propter σκληροκαρδίαν hoc fieri eorum quibus id indulgetur. Si duo aut tres ex populo Iſraëlitico petiiſſent ſibi à Moſe indulgeri licentiam dimittendarum uxorum, an hoc illis permiſiſſet,

quantumvis σκληροκαρδίοις? Præterea, ut dixi, hæc σκληροκαρδία, cui legiſlator concedit, in illis rebus cernitur quæ legem moralem reſpiciunt. cuius rigor cum ferri non poteſt ab univerſo aliquo populo, aut nimis præfracte omnes ei ſe refragari oſtendunt: tum, quia aliter cives ſuos vi domare & ſubigere ad id credendum quod vult, aut recipiendum quod illis imponit, legiſlator non poteſt, legis ipſe ſuæ rigorem emollit, & ab eius rigida obſervatione eos diſpenſat, ut cum vulgo loquar. Sic Papa diceretur alicui indulgere communionem ſub utraque ſpecie *ad duriciam cordis*. Lex ergo civilis hoc modo ſæpe obrogat morali vel derogat, ſi penitus eam abrogare non poteſt, nec debet. In uſuris quales conſtitutæ fuere & obſervatæ ſub Romanis, quid tale? An dici poteſt, niſi ineptiſſime, propter duriciem cordis permiſſas eas fuiſſe fœneratoribus ampliſſimas? Quæ lex moralis apud Romanos uſuras vetuit, cui civilis ob σκληροκαρδίαν populi derogatura, eas indulſerit? Atqui de modo tantum hic quæſtio eſt, non de ipſarum uſurarum indulgentia ac conceſſione. Nemo tunc per conſcientiam ſuam vetabatur fœnus exercere, quia nemo putabat, ſe rem illicitam

citam facere, aut legi ulli morali, vel naturali contrariam. Vir bonus habebatur qui in eo agitando non excederet modum lege præſcriptum. Vir malus contra qui improbum fœnus agitaret. At modus, quicunque eſſet à lege conſtitutus, interim gravior, interim levior, pro tẽporum ratione, is, ut optimus, ab optimo quoque obſervabatur. Ridiculum itaque eſt quod Theologus velle videtur, cum nova lege centeſimæ reductæ ſunt ad ſemiſſes, indicaſſe eius legis conditorem, centeſimas veteribus fœneratoribus indultas fuiſſe, propter σκληροκαρδίαν. Cum unciaria itaque uſura & ſemunciaria, quæ olim ſtante libera republica obtinuit, converſa eſt in centeſimam, id factum volet propter duriciam cordis fœneratorum. Ergo molliſſimi erant cordis qui tum unciario fenore erant contenti. Quid igitur illos derepente fecit ex μαλακοκαρδίοις σκληροκαρδίους? Cur leges, quę per quadringentos fere annos intra illum modum cor eorum continere potuere, poſtea vim eandem uſque ad ultima imperii tempora conſervare non valuerunt? Atqui aliæ leges demum ſub extremo imperio, regnante Iuſtiniano, ſic potuerunt cordis illam duriciem malacillare, & à centeſimis uſuris legitimis ad
 ſemiſſes

ſemiſſes modũ revocare. Lõge tamen tunc adhuc durius cor fœneratorum fuit quam ſub libera republica cum ſub unciario fœnore pecunias dabantˉ. Hoc eſt ſextuplo minore quam ſub Iuſtiniano. Nemo adeo puer eſt in hiſtoria Romana, & re uſuraria, quin iudicet, præcipuam cauſam mutabilis uſurarum modi poſitam ſemper fuiſſe non in voluntate legiſlatorum, aut in duricia cordis feneratorum, ſed in ratione rei pecuniariæ, pro minore aut maiore eius copia, aut inopia. Non nego, & interdum principẽ, qui uſuris modũ ponit, reſpectum habere debere charitatis quæ inter cives eſſe debet, & æquitatis, atque etiam indigentiæ civium, quibus conſulitur per modeſtiam uſurarum. Sed nemo unquam dixit, ſi quando ampliores uſuræ alio quam alio tempore legibus indultæ fuere, datum id eſſe σκληροκαρδίᾳ fœneratorum, quibus tanquam πλεονέκταις hoc concedendum fueritˉ. Eam σκληροκαρδίαν bene mollivit, ſi ulla fuit, Alexãder Mammeæ, cum ad trientes uſuras fœnerationem eorum redegit. Σκληροκαρδία fœneratorum magis locum haberet inter Chriſtianos, ſi uſuræ iure divino ac morali vetitæ fuiſſent. Ita Iudæis repudiorum licentiam per Moſem permiſſam eſſe dicit Dominus ob duri-

duriciam cordis, quia nimirum Deus, qui creavit maſculum & feminam, ac iuſſit ut duo eſſent in carne una, videbatur hoc ipſo repudium prohibuiſſe. Videamus an hoc in fœnore locum habeat. Ita profécto eſſet, ſi quidem Moſes ſimiliter fœnus Iudæis permiſiſſet ob duriciam cordis. Atqui permiſit paſſim id exercere cum extraneis, nullo etiam modo determinato, intra quem ſiſti uſuræ deberent. Inhibuit ab ipſis Iudæis inter ſe. Ergo uſuræ ex lege naturali deſcendunt, cui civilis Iudæorum lex hac in parte obrogavit quoad Iudæos ipſos, non quoad extraneos. Quæ lex civilis de non fenerando reſpectu Iudæorum inter ipſos nunquam mutata eſt poſtea, nec ob duriciem cordis cuiquam eius gratia facta. *At fœnerari, inquiunt, prohibet Chriſtiana charitas, fœnus tamen propter hominum commercia multi magiſtratus quia vident ſe prohibere non poſſe, ideo fœnoris certum modum conſtituunt.* Si non poteſt prohiberi uſura propter cõmerciũ, commercia autem veniunt ex iure naturali, uſuras quoque ex eodem fonte originẽ ducere, certum eſt. Si propter commercia non poteſt prohiberi fœnus, non ergo propter duriciem cordis fœneratorum, fenerationem publice profiteri eis

lege

lege permiſſum eſt, ſed quia commercia aliter conſiſtere non poſſunt. Alioquin & ex duricia cordis, homines mercaturæ inſiſterent, negotiarentur, artes quæſtuarias exercerent, & alia gererent ex quibus lucrum percipiunt, & quidem etiam πλέον τοῦ διατεταγμένου. Enimvero pæne ridiculũ videtur, quod obtendunt de cordis duricie, ob eam nimirum permiſſam eſſe indulgentiã publice fœnerandi trapezitis in provinciis Belgii fœderatis, quocunque modo accipi duriciam illam cordis placeat. Multifariam hæc vox σκληροκαρδίας accipitur, ſed duplici præcipue modo in ſacris Scripturis. Sed nulla eſt ex illis notionibus quæ huic loco cõveniat. Durũ cor alicui eſſe dicitur propter incredulitatem, quia non facile ſe remittit aut relaxat ad credendum iis rebus quas viderit, aut iis hominibus qui res ipſas viderunt. Sic Pharaonis cor durum fuit, qui cum tot miracula à Deo edita vidiſſet in favorem Hebræorum, non potuit tamen adduci ut iis crederet, & propterea favorabiliorẽ ſe Hebreis daret, quorũ in gratiam facta ea videbat. Hæc σκληροκαρδία iungitũr cum ἀπιστίᾳ. Immo ipſius ἀπιστίας cauſa & origo eſt. Hinc apud Marcum capite ultimo: ὕστερον δὲ ἀνακειμένοις αὐτοῖς τοῖς ἕν-
δεκα

δεκα ἐφανερώθη, καὶ ὠνείδισε τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν καὶ σκληροκαρδίαν ὅτι τοῖς θεασαμένοις αὐτὸν οὐκ ἐπίστευσαν *Poſtea cũ accubuiſſent undecim, apparuit eis Ieſus, & exprobravit incredulitatẽ & duriciem cordis eorum, quia his qui viderant reſurgentem eum, non crediderunt.* Non puto de hac duricie cordis quæ ad incredulitatem eſt, eamque operatur, intellexiſſe illos, qui propter duriciam cordis trapezitis datam à magiſtratu licentiam menſæ exercendæ dixerunt. Reſtat altera, qua aliquis duri cordis eſt ad eleemoſynã faciendam pauperibus. Iudæi enim, ut & Stoici, non ſolũ cor ſedem ſtatuunt omnium affectionum & cupiditatum, & voluntatis ipſius, ſed etiam mentis & intellectus. Ita ergo & cor induratur ad intelligentiam ei qui tardus eſt, & ad fidem illi qui eſt incredulus, & ad miſericordiam illi qui miſereri neſcit inopis. Sed & ad tolerantiam laborum illi cui robur & æs triplex circa pectus, ut ait poëta, qualem Græci ταλακάρδιον vocitant. Unde apud Homerum τέτλαθι δὴ κραδίη. Etiam ad amorem & odium cor durum aut molle. Nihil horum convenire poteſt in immitem fœneratorem præter illam σκληροκαρδίαν, quæ non molleſcit ad miſereſcendum. De qua in Deuteronomio XV. VII. *Si fuerit quiſpiam*

piam apud te mendicus è fratribus tuis in una è portis tuis, in terra tua quam dominus Deus dat tibi, non indurabis cor tuum, neque claudes manum tuam à fratre tuo mendico. Apud Septuaginta legitur: οὐκ ἀποςρέψεις τὴν καρδίαν σου, ſed mendoſe. Notant alias legi ἀποςέρξεις. Quod nec ipſum rectum eſt, cum ſit verum ſcribi debere, ἀποςέξεις. Nam ἀποςέγγειν eſt indurare, obſirmare, & στεγανὸν vel στεγνὸν facere, hoc eſt, στερεόν. Unde ἀποςέξαι abſolute de eo qui conſtanter in ſuo propoſito durat ac ſe obſirmat, nec quidquam de rigore remittit: ὁ δὲ προδοὺς ἢ προσποιέμενος, ἀλλ' ἀποςέξας, εὐγενῶς τὸν βίον κατέςρεψεν. Id eſt, *obſtinato & obſirmato animo, generoſe vita exceſſit.* Ἀποςέξας Grammatici recte exponunt, καρτερικῶς ὑπομείνας, ſed perperam legunt, ἀποςέρξας. Sic *durare* Latinis abſolute, *Durate, & voſmet rebus ſervate ſecundis.* ἀποςέγετε, καρτερικῶς ὑπομένετε. In Hebræo eſt, לא תאמץ, ad verbum, *non roborabis, non obſirmabis.* An ergo hæc duricies cordis eſt propter quam fœneratoribus indulgere velit magiſtratus? Si huius immiſericordiæ rationem habere debet, cur non & homicidis indulgeat ob iracundiam, & libidinoſis ob voluptatem, & furibus ob cupiditatem? Si ſola erga pauperes immiſericordia hoc privilegium habet,

habet, & eius gratia tolerantur trapezitæ, cur igitur magiſtratus præ ſe fert, eos à ſe conſtitui ad levandos pauperes? Hæc inter ſe pugnant, quæ dicuntur à theologis de indulta trapezitis fœnoris exercendi licentia ad duriciẽ cordis atq; inclementiam, & quæ dicuntur à magiſtratu de eorundem inſtitutione ad pauperum levamen procurandum. Si immiſericordes fœneratores, quia lucrum faciunt ex ſua pecunia, & pauperibus æque ac divitibus eam dant ſub uſuris ęqualibus, an non eadẽ cordis duricies mercatoribus tribuẽda eſt & artificibus qui merces quoque ſuas & opificia pari pretio venditant egenis ac locupletibus? Nonne aliquos autem putamus eſſe ac fuiſſe trapezitas qui pauperibus ſtipem liberaliter elargiantur? De quibuſdam etiam audivi, qui nemini cederẽt hoc charitatis bono. Ergo hi σκληροκάρδιοι ſimul, propter σκληροκαρδίαν qua tolerãtur. & rurſus μαλακοκάρδιοι, quia erga pauperes miſericordia franguntur, nec cor indurãt ſuũ, nec manũ claudunt egenis. Certe impius & σκληροκάρδιος eſſet magiſtratus, ſi faveret huiuſmodi duri cordis & immiſericordibus fœneratoribus propter hoc ipſum. Sæviſſimos ponamus in exigendis uſuris & paciſcendis eſſe trapezitas, an vindican-

vindicanda ſęvicia debuit magiſtratui eſſe cauſa quare magis eos toleraret. Ridiculum. Et tamen de alterutra, ut dixi, σκληροκαρδίᾳ intelligendum, aut hac quæ cor hominis indurat ad non miſereſcendum, aut de illa quæ illud obfirmat & obſtinatum reddit ad incredulitatem. Vidi qui de illa quæ immiſericordes facit, intelligendum contenderet, magni nominis Theologum. Impœnitentes etiam duri cordis ſunt. Obfirmant enim atque obdurant cor ſuum in peccato. Nam pœnitentia quædam eſt ſui miſericordia, qua flectitur ad ſe reſpiciendum. Clemens in Epiſtola ad Corinthios. Καλὸν γὰρ ἀνθρώπῳ ἐξομολογεῖσθαι περὶ τῶν παραπτωμάτων, ἢ σκληρῦναι τὴν καρδίαν αὐτῶν. Nulla tamen ſatis mihi videtur congruere in trapezitas ut omnium cauſa ſit propter quã magiſtratus eos ſinat impune ac licenter trapezitari. Viri boni qui hanc ſibi cauſam finxerunt, ad inſtar eius σκληροκαρδίας eam commenti ſunt, cuius gratia Dominus in Euangelio dixit Moſem permiſiſſe Iudæis uxores ſuas dimittere. *Quoniam Moſes*, inquit Dominus, *ad duriciem cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras, ab initio autem non fuit ſic.* Nihil hic ſimile inter repudium Iudæis cõceſſum, & fœnus trapezitis permiſſum, ut iam

ut iam antea notavimus, ſed hic iterum urgebimus. De repudiis ait Chriſtus, à principio non ſic fuiſſe, quod per legem Moſis introductum fuit. Deum non faviſſe repudio, ex forma creationis hominis oſtendit. Non uni viro plures uxores in eo creando dedit, ſed unam, ut ex duobus una caro fieret. Ergo voluit ut ad exemplum Protoplaſtorum, unicuique viro una uxor adplicaretur adglutinaretur, & adhæreſceret, indiſſolubili coniugii & conſortii nexu. Ob duriciem cordis Iudæorum primam illam legem homini in prima ſui creatione datam abrogavit Moſes. Quod homines tunc temporis parum illi primitivæ legi ſeſe obedientes præberent, & vim eius non intelligerent, præterea cum in pleriſque matrimoniis alter alterius mores ferre non poſſet, ob duriciam cordis eorum coactus eſt Moſes, latæ in creatione hominis legi derogare per repudiorum permiſſionem, quibus conſuleretur maritis qui moroſas uxores non poterant pati. De fœnore nihil tale poteſt dici, à principio non ſic fuiſſe. E contrario antequam Moſes vetuiſſet fratrem fratri, hoc eſt, Iudæum Iudæo fœnerari, paſſim hæc fœneratio

O inter

inter fratres, id eſt, contribules, frequentabatur. Certas habuit cauſas legiſlator cur prohiberet, eos qui unius gentis eſſent inter ſe fœnus exercere, & mutuum ſub uſuris dare. Eas cauſas alibi expoſuimus. Nam & apud nationes quæ fœnus uſurarium agitabant, amici amicis, cognati cognatis, & affines affinibus mutuum ſine uſura dabant. Tales voluit Moſes omnes invicem Iudæos eſſe, qui omnes ex una origine ac ſtirpe deſcenderent. Alias etiam rationes ſequutus eſt, alio loco à nobis explicatas. At idem legiſlator iuſſit eos fœnerari cæteris omnibus gentibus, ut antea ſoliti. Ergo & fœnebris ratio inter illos olim ex legis naturalis præcepto libere agitata tam cum indigenis quam cum alienigenis, eodem prorſus modo quo & alia commercia. Ergo cũ mercatura & cæteris negotiandi generibus, natam quoque fœnerationem liquet. Eadem initia utramque habuiſſe conſtat, mercaturam & fœnerationem, quia ſine iſta vix illa conſiſtit. De mercatura nihil immutavit Moſes, nec eam reſtrinxit ad certum genus aut modum. Fœnerationem cum ſolis alienigenis quarumcunque nationum Iudæis permiſit exercendam, dum eam inter ſe non

non facerent. Noluit enim quos Deus terræ ſanctæ, & ipſis promiſſæ colendæ deſtinaſſet, deſidioſæ illi nundinationi animũ appellere, quæ facile eos à cultura agrorum avertiſſet, maius & certius expeditiuſque compendium ſectaturos. Nam & hæc etiam ratio fuit legiſlatori divino, ne fœnori paſſivitus inter Iudæos exercendo licentiam indulgeret. At quod uſuras cum externis exercendas iiſdem indulſerit, hanc partem, ſicut ab antiquo fuerat, ex eodem cum commerciis aliarum rerum primordio, reliquit. Nullã igitur hic σκληροκαρδίαν fingi licet, ut in repudiis, propter quam uſuras prius illicitas & incognitas Iudæis permiſerit Moſes. E contra eas paſſim ante cum omnibus, reliquorum commerciorum ac negotiationum more, ex iure naturali licitas, inter ſolos tribules illicitas ſanxit, cum cæteris nationibus ex priſca conſuetudine agitandas. Poſtremo falſiſſimum eſt, etiamſi iſta quæ diximus non eſſent, propter σκληροκαρδίαν trapezitis conceſſam à magiſtratu facultatem τοῦ τραπεζιτεύειν. Nam ne conceſſam quidem dicere eſt illis à magiſtratu hanc indulgentiã, quibus magiſtratus rem ſuam & proprie ad ſe pertinentem potius locet, & ad hoc eos conſti-

tuat, conductores ac redemptores publicæ menſæ futuros, eamque publica auctoritate exercituros. Ubi duricies ergo cordis in trapezitis? Ubi in magiſtratu hoc pro cauſa, ut trapezitis trapeziticam permittat artem? Magiſtratui potius imputanda, ſi ulla eſt, illa cordis duricies. Sed nulla eſt, & utroſque ea libero, tam magiſtratum menſæ locatorem, quam trapezitas conductores.

Clau-

CLAUDII SALMASII

De

TRAPEZITICO FOENORE,

Diſſertatio.

Liber Secundus.

IN omnibus rebus quæ legi morali, iurique naturali non adverſantur, qualia ſunt quæ Græci ἀδιάφορα & μέσα appellant, magiſtratum poſſe arbitratu ſuo eas temperare, vel permittere aut vetare, & ſi permittat, certis conditionibus eorum indulgentiam alligare, indubitatiſſimi iuris eſt. Etenim per ſe huiuſmodi res indifferentes, neque malæ ſunt, neque bonæ. Si bene quis iis utatur, bonæ ſunt atque utibiles: ſi male, malæ & noxiæ. Si modum ergo in his ſervare ſua ſponte non poſſunt omnes qui iis utuntur eaſque exercent, tum ad officium magiſtratus pertinet, videre, utrum ex uſu earum moderato plus utilitatis quã ex abuſu damni redundare in Remp. queat. Tum debet, ſi abuſus tolli poteſt modo adhibito, nec eũ tenere queant niſi ex imperio qui in iis uſurpandis ad abuſum magis proclives ſunt,

omnimodo illum adhibere, eaſq; res intra certos limites coërcere. Multo magis id facere tenetur ſi res illę adeo neceſſarię ſint ut ſocietas humana carere illis vix videatur poſſe. Quia in talibus qui in poteſtate ſua eas detinent, & præſtare cuilibet indigenti optime poſſunt, vel ex arte quam norunt, vel ex copia qua abundant, ſæpius abuti ſolent neceſſitate eorum, qui iis opus habent, & eo recurrere coguntur ut illa nanciſcantur; ne id fiat, magiſtratus eſt providere ut moderatio adhibeatur. Ex eo genere uſuræ ſunt. Quas tolli non poſſe ex mortalium commercio, experientia magiſtra comprobavit. Præterea certum eſt, eas non repugnare legi morali, nec iuri naturali, ſed nec divino. Ita ergo cum ſint neceſſariæ, ut ſine his ſocietas civilis in commerciis ſtare non poſſit, ne, qui eas exercent ex copia nummorũ quibus abundant, inopum neceſſitate abutantur, & modum in his exigendis ea gratia excedãt, modũ iis ipſe magiſtratus ponere neceſſe habet. Ideo piſtor panem pretio à magiſtratu taxato prębet, & vinũ copo, ne, ſi quando reſciſcerent, apud alios piſtores aut caupones panem & vinum ea hora non reperiri, ut ſæpe fit, aut non tam bonum, pretium ſuæ merci ex propria libidine

dine facerent, & homines enicarent. In aliis mercibus, quarum habendarum non tanta neceſſitas urget, quanta in his quas omnino omnibus in prę̄ſẽti habere neceſſe eſt, arbitrio relinquitur mercatoris aut artificis indicaturam earum quã velint facere, eaſque, quo libeat pretio æſtimata, vendere. Niſi enim æquum poſtulent, ad alios itur, qui æquiores ſint, & interim quia velle debent vendere, & æmulatione incitantur merces eaſdem vilius venditantium, ad æquitatem coguntur deſcendere. Ea ratio effecit ut etiam modus uſuris poneretur, non liber proponeretur fœneranti. Quod ſi in rebus quæ in reprehenſione ſunt, quaſque lex moralis non adprobat, permiſſum tamen eſt magiſtratui eas permittere ad maiora mala evitanda, quidni hoc illi liceat in iis quæ indifferentes habentur? Non propterea tamen ex permiſſione magiſtratus bona conſcientia cuilibet licet eas uſurpare, & profiteri. Et ipſe magiſtratus qui ea tolerat, ut maius malum evitetur, vel eo ipſo oſtendit, ſe non illos probare, quia infamia notat. Ut lenones & meretrices apud quos tolerantur, quo adulteriorum frequentia fugiatur. Hiſtriones & mimi, quamvis populo eorum ars placeat, &

magiſtratus eos admittat,non minus tamen ignominioſi ſunt. Et ſi quis recte calculū ponat, plus ex his profeſſionibus mali quam boni venire deprehendet. Malum præterea quod per hæc vitari creditur, poſſet alio modo amputari. Omnibus etiam rite perpenſis,non maius eſt malum quod vitatur, quam in quod incurritur. De meretricibus & lenonibus loquor. Iuventus his corrumpitur, & ab ea corruptela facilius deinde ad adulteria prorumpit, quorum vitatio quærebatur turpi illo remedio. Quod attinet ad hiſtriones ac mimos,nihil ad neceſſitatem nec ad utilitatem conferunt rerum humanarum. Ad voluptatem tantum faciunt. Atqui hæc potius vitanda quam ſectanda. Nam honeſti ea abſtinere debent, inhoneſti carere poſſunt. Omnes igitur hæ profeſſiones, ut turpes ſunt & inhoneſtæ,& bonis moribus contrariæ, ita nec neceſſariæ. In ea etiam ſententia ſum, magiſtratum, præcipue Chriſtianum, non poſſe de his quæ legi morali ac iuri divino illicita ſunt, ut quicquā ſit licitum, lege ſua efficere. Lex moralis conſcientiam ſpectat, & ſimpliciter quæ bona ſunt iubet, quæ mala ſunt vetat. Nihil eorum quæ præcipit aut prohibet, pro indifferenti ac *μέσῳ* haben-
dum

dum eſt. Non poteſt itaque lex civilis à magiſtratu Chriſtiano conſtituenda, ea temperare, & cum modificatione permittere quæ lex divina moralis prohibuerit. Nec reſpectus hominum improbitatis debet eum adigere, ut ſe relaxet ad eorum indulgentiam quæ impermiſſa voluerit iuris divini regula. Quod de Moſe Dominus dixit, ob duriciā cordis permiſiſſe Iudæis repudii renuntiationem, cum à principio non fuiſſet ſic, alius eſt generis, nec hilum huc facit. Deus in creando homine ex lege creationis oſtenderat, unius uxoris virum eum eſſe ſemper oportere, quæ individua copula ipſi adhæreſceret. Poſtea idē Deus per Moſem, perſpecta duricie cordis Iudæorum, divortium inter virum & uxorem permiſit. Quod eo facilius potuit, quia iam ante, etiam Patriarcharum ævo, & inter ipſos polygamia fuerat uſitata. Eam autem certum eſt non minus eſſe contrariam monogamiæ in creatione unius viri cum una muliere ſancitæ, quam repudium. Dicere etiam liceat magis. Nam per repudium, ut antea dicebamus, inducitur polygamia ſucceſſiva, quæ apud omnes gentes bene moratas ſemper viſa eſt tolerabilior quā cumulativa. Tametſi quidam contra ſen-

tiant, eos tamen non audio. Quod enim putant, præceptum monogamiæ in creatione eo tantum ſpectaſſe, ut vir uxorem ſuam non relinqueret, ſed ei adhæreret, etiamſi id concedamus, nonne in polygamia cumulativa hoc ipſum deprehenditur? Qui plures habet uxores uno eodemque tempore, an poteſt uni adhærere, eique adglutinari quin reliquas relinquat? Quas habet pro derelictis, an cum his una poteſt eſſe caro, quod præcepit Deus in fœmina formanda ex viri coſta, quam ei in uxorem & adiutricem daret? Deinde quid eſt quod clarius ei præcepto contradicat, *& erunt duo in carne una*, quam ſi unus vir cum pluribus iungatur uxoribus? Sic duo non ſunt in una carne, ſed plures. Nec polygamiam eo nomine cenſeam reprehendendam quod quidā nuper adſerebat, quia confuſio ſeminis in ea daretur. Nihil ineptius. Non enim maior ſeminis confuſio in pluribus quas ſeminio ſuo unus impartit, quam in una quæ per diverſas vices eo ſemine gravida ſit. Quod ad repudium attinet, correctio potius polygamiæ cumulativæ videtur eſſe, quā ut peiorem putanda ſit invehere polygamiam. Cui licebit, uxori quam non amat repudium renuntiare, ut

aliam

aliam quam diligit ducat, hoc remedio citius utetur, quam ut duas ſimul habeat, eam quam oderit, cum illa quam amabit. Utraque certe polygamia à lege morali ac naturali divertit, ſed magis cumulativa quam ſucceſſiva. Utraque tamen lege Moſis permiſſa. Nam in Deuteronomio cap. XXI, XV, bigamia licita oſtenditur his verbis: *Quum fuerint viro duæ uxores, una dilecta, & altera exoſa, & pepererint ei filios*. Et addit, *non poſſe illo caſu dari ius primogeniti filio dilectæ ante filium exoſæ*. Quod & apud Ioſephum extat, ubi leges Moſaicas explicat. At gentibus, ut dixi, ſemper tolerabilior viſa eſt polygamia ſucceſſiva, quæ per repudium inducitur, quam cumulativa. Nam hanc prohibuerunt legibus ſuis, repudiũ autem admiſerunt. Sed & quod Dominus in Euangelio ita repudium improbat, ut in ſola adulterii cauſa illud recipiat, inter præcepta perfectioris πολιτείας id referri debere, nos infra oſtendemus. Et de Moſe quidem, ut diximus, qui leges, quas populo Dei daret, ab ipſo Deo accepit, certum eſt, potuiſſe illum, ab eadem divina voluntate monitum ac munitum, legi illi naturali de monogamia derogare. Non idem licuit Iudæorum magiſtris, qui ta-

men

men traditionibus ſuis præcepta divina ſic enervabant, ut prorſus tollerent. Sic repererunt rationem qua mandatum Dei de patre ac matre honorandis ſubverterent. Idque eis exprobrat Dominus in Euangelio Matthæi cap. XV, V. Cum enim Deus in Decalogo dixiſſet, *honora patrem & matrem*, rimam excogitarunt qua elaberentur, illi mandato contravenientes, dicendo, ὃς ἂν εἴπῃ τῷ πατρὶ, ἢ τῇ μητρὶ, δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, καὶ οὐ μὴ τιμήσῃ τὸν πατέρα αὐτοῦ, ἢ τὴν μητέρα αὐτοῦ. Qui ita dixiſſet patri aut matri, *donum ſit, quo à me iuvari poſſis*, poterat in bona conſcientia, ſecundum traditionem, patrem & matrem non honorare, quia hoc quaſi ſe ſacramento devinxerat ad non honorandum patrem aut matrem. Honor hic non reverentiam tantum deſignat, qua parentes afficiendi ſunt à liberis, ſed etiam commodum & levamen, quod egeni parentes ex natis poſſunt accipere, ac debent. Ne deberent hoc liberi ſuis parentibus præſtare ex præcepto Dei, hoc ſacramento ſe obſtringebant: Δῶρον, ὃ ἂν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς. *Sacrum illud ſit, quo à me iuveris.* Sic enim illa vertenda. Et quæ ſequuntur, apud Matthæum, καὶ οὐ μὴ τιμήσῃ τὸν πατέρα αὐτοῦ ἢ τὴν μη-

μητέρα αὐτοῦ. Qui hoc ſacramentum nimirum dixerit, & ſe talis voti damnaverit, *non honoret patrem ſuum aut matrem ſuam.* Hoc eſt, poteſt non honorare patrem ſuũ, & matrem ſuam. Idem plane dicit Marcus cap. VII, XI, ὑμεῖς δὲ λέγετε, ἐὰν εἴπῃ ἄνθρωπος τῷ πατρὶ ἢ τῇ μητρὶ, κορβὰν, ὅ ἐστι, δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, καὶ οὐκέτι ἀφίετε αὐτὸν οὐδὲν ποιῆσαι τῷ πατρὶ αὐτοῦ ἢ τῇ μητρὶ αὐτοῦ. *Et ultra non dimittitis eum quidquam facere patri aut matri ſuæ.* Id eſt, gratiam ei facitis benefaciendi patri aut matri ſuæ. Non amplius teneri creditis quicquam boni facere patri, aut matri ſuæ. Quibus reſpondent & illa Matthæi, καὶ οὐ τιμήσῃ τὸν πατέρα αὐτοῦ, ἢ τὴν μητέρα αὐτοῦ. *Et non honoraverit patrem ſuum & matrem ſuam*, qui tali nempe ſe ſacramento obſtrinxerit. Id eſt, poſſit non honorare. Et ſine dubio de eo Iudæorum ſacramento intellexit Ioſephus contra Appionem, ubi ex Theophraſto memorat, peregrinum omne iuſiurandum lege apud Tyrios fuiſſe vetitum, inter quę & κορβὰν appellatum commemorat, quod ſolis Iudæis fuiſſe uſurpatum ibidem ait: λέγει γὰρ ὅτι κωλύουσιν οἱ Τυρίων νόμοι ξενικοὺς ὅρκους ὀμνύειν, ἐν οἷς μετά τινων ἄλλων, καὶ τὸν καλούμενον ὅρκον κορβὰν καταριθμεῖ. παρ' οὐδενὶ δ' ἂν οὗτος εὑ-

ρεθείη

ρεθείη πλὴν μόνοις Ἰουδαίοις. Criticus ſacer in Exercitationibus ad eum Matthæi locum quem attulimus ſupra, verba illa Ioſephi referens, dicit, peculiare apud Tyrios fuiſſe illud iuramentum, quod Iudæis deberent illi. Quod contra Ioſephi mentem eſt. Non enim ille notat, hoc peculiare iuramentum Tyrios habuiſſe, ſed potius lege vetuiſſe, ne quiſquam Tyrius uteretur peregrino iuramento. Atqui & illud inter peregrina, ut pote ſolis Iudæis peculiare. Ergo & Tyriis vetitum. Ὅρκον vocat Ioſephus illud κορβᾶν, quod plane idem eſt cuius Matthæus & Marcus ex verbis Domini faciunt mentionem. Κορβᾶν, ὃ ἂν ὠφεληθῇς ἐξ ἐμοῦ. Cuilibet hoc dicere poſſent, quem à ſe nunquam iuvari ulla in re velle, hoc quaſi iuramẽto ſancirent. Et ſub conditione eſt hic ὅρκος, ut omnia quæ ſic concipiuntur, imprecationis vicem, vel etiam conſecrationis, & obſecrationis. Corban ſit, illud quo poſſis à me iuvari. Ergo non ſit corban, id eſt, Deo conſecratum, omne id quo tibi gratum facere non feret animus. Diſpeream ſi hoc fecero, ſed ſi non fecero, non diſpeream, ſed vivam. Qui igitur hoc patri ſuo vel matri dixiſſet, κορβᾶν, ὃ ἂν ὠφεληθῇς ἐξ ἐμοῦ, hoc ſacramento devinctus haud

haud ultra tenebatur patri prodeſſe, & hoc illi honoris habere ut eum bonis ſuis egentem ſublevaret. Immo religione ſacramenti vetabatur hoc facere. Nec prohibebatur tamē aliis, quos illius iuramenti conceptis verbis non nominaſſet, boni ſi quid vellet, facere. Cum hæc ita ſint, clarum iam inde eſt, quantum avius à mente Euangeliſtarum abierit Criticus ſacer, qui hæc notavit ad Matthæum totidem verbis: *Cum nihil Deo eſſet gratius, quam liberalitas eorum qui ſua Deo conſecrarent, & in gazophylacium, ſive corbonam, aliquid coniicerent, erant inter illos qui ex magiſtrorum ſuaſu plurima vel conſecrarent ſummo numini vel largirentur, ut ex iis nihil ipſis, nihil ſupereſſet proximis. Itaque, ſi quando ſubſidium parentes peterent, opemque liberos rogarent, reſpondebant quod hic dicitur.* Δῶρον ὃ ἂν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς. *Iuvari à me non potes. Id quippe quo iuvari poſſes, donum iam eſt. Dei eſt, non meum. Mihi tibique deceſſit. Deo quippe acceſſit.* Mirum profecto eſt, tot verba à docto homine iactata, quæ ſcopum non feriant. Et pulcrum vero remedium, quod iſti inveniſſent ne parentibus bene facere cogerentur. Certe nec ſibi nec aliis ex eo quod Deo revera conſecraſ-

ſecraſſent, potuiſſent prodeſſe. Bene eſt tamen quod non omnia bona ab illis Deo conſecrata ac donata dicit Criticus, ſed tantum plurima. Nam ſi omnia Deo dediſſent, nihil omnino reſervaſſent, quo ſibi boni aliquid facere potuiſſent, nedú parentibus, nedum aliis proximis. Sed ex illis reſiduis quæ non conſecraverant, an non poterant & patrem & quoſcunque alios vellent, iuvare? Quæ religio eos impediebat ſumere ex illis quæ ſummo numini non devoviſſent, ad largiendum parenti? Præterea quæro à Critico, quæ ὅρκου notio in illis quæ forent revera conſecrata? Finge, aliquem omnia ſua bona Deo ſacraſſe. Opem petenti patri iure hic & merito reſpondiſſet, nihil habeo amplius quod poſſim in te conferre. Quæ habui, omnia iam Dei ſunt. Honeſta ſane hæc oratio, nec contra præceptum morale facit, nec ullam eius inducit παράβασιν, quam Dominus interveniſſe dicit in illis verbis per quæ mandatum de honorandis patre ac matre magiſtri abolitum ibant. Pone etiam aliquem nunc, qui ex pręcepto Dominico omnia ſua bona pauperibus erogaverit, nihilque ſibi reliqui fecerit unde patri aut alii cuiquam queat in ſua neceſſitate ſubvenire. An male fecerit, ſi patri

egenti

egenti non ſuccurrat, qui non poſſit? At qui partẽ bonorum ſibi reſervaſſet, impius foret ſi ex relictis patri non opitularetur. Similiter & ille Iudæus in parentes male pium ſe præbuiſſet, qui parte bonorum conſecrata, parte retenta, ex his quæ retinuiſſet patrem ac matrem recuſaſſet iuvare, præcipue cum nulla religione id facere prohiberetur. At qui nolebant hæc officia charitatis & honoris parentibus ſuis præſtare, hac ſe iuramenti religione obſtringebant, & obſecrabant, ut donum Deo pronuntiarent, quidquid illud foret quo patri ſubſidium ferre poſſent. Nam patris tantum & matris reſpectu, non aliorũ, hoc ſacramento ſe obligabant, & propter illos quidẽ, ſed ſub conditione, ſi animũ induerent eos iuvandi. Quod & verba ſacramenti ſicut ab his concipi ſolebat oſtendunt. כל מה שאני עושה לפי אבא כקונם id eſt, *quodcunque ego paro, erit reſpectu patris mei velut oblatio ſacra*. Ergo aliorum reſpectu non erit. Et ſacramentum hoc potius erat, hoc eſt, ὅρκος, quam votum. Nam voto bona conſecrari revera ſolebant, at ſacramento ita demum conſecrabantur, ſi contra legem quam quis ſibi ipſi dixerat veniret, ut eſſent conſecrata ſi id committeret. Idem plane fuit quod inter

P Chri-

Chriſtianos olim ſacramento quidam ſe obligabant ne cum adverſariis ſuis unquam reconciliarētur. De quibus eſt apud Rabanum Maurum in libro de Pœnitentia cap. xx. *De his qui ſacramento ſe obligant ne ad pacem redeant.* Et citat concilium Hilerdenſe, cuius decreto iubebantur pœnitentiam agere pro periurio per integrum annum. Iurabat aliquis ita ſe cum aliquo litigaturum, ut nunquã pacem cum eo vellet. Ita ſe Iudæus ſacramento *Corban* dicto obligabat, ut patrem non iuvaret, aut ſi iuvaret, illud omne quo illi benefacere cogitaret, ſacrum eſſet. Sed de his ad locum ipſum Euangelii pluribus. Nunc ſatis ſit, ſi doceamus, male factũ à magiſtris qui tali arte ac μεθοδεία iuris moralis pręceptũ non eludi ſed elidi poſſe putarunt. Quid non feciſſent in illis præceptis quę ad legẽ moralẽ non pertinerẽt, cũ in naturali hæc auſi ſunt? Et ſane certũ eſt, eos multa talia excogitaſſe in aliis mãdatis quæ non fuere moralia ſed civilia, ut in anno τῆς ἀφέσεως & ſimilibus. De quibus nos alibi. Quod & in uſuris inter ipſos prohibitis libere & libenter facturi fuiſſe videntur, ut fœneratorium eorum ingenium fuit, niſi aliud remedium, & quidem facillimum, in promptu habuiſſent. Petenti quip-

quippe fratri, id eſt, Iudæo, pecuniam à ſe mutuam, quæ gratuita illi erat ex mandato divino danda, paratum reſponſum ab eo qui ſuum gratis expendere nollet, *non habeo*. Extraneus vero, cui licito poterant fœnerari, ab illo qui ſuam locare pecuniam vellet, non idem reſponſum tuliſſet. Idque hodie nos faceremus Chriſtiani fere omnes, ſi omne fœnus nobis interdictum foret. Hoc eſt, ſi reditibus illis annuis abſtinere aliqua lege cogeremur. Nam ſi hic modus collocandæ cum fructu pecuniæ eſſet ſublatus, nemo pecuniam haberet quę gratis cuiquam utenda dari deberet. Quæ autem παράβασις τῆς ἐντολῆς fuit Chriſto iudice in Phariſæis, qui ὅρκον illum κορβᾶν oppoſuerunt præcepto de patre & matre honorãdis, non fuiſſet in Moſe vel alio propheta, per quem Deus legem ſuam eo modo temperaſſet. Licuit enim ſemperq; licebit ei qui legem tulit poſtmodo eam in totum abrogare, vel ei detrahere, ac pro parte irritam facere, vel moderari. Sic in rebus fidei aut quæ ius morale ſpectant non plus hodie magiſtratui Chriſtiano conceſſum eſt, quam licuit tunc temporis Phariſæis & Scribis apud Iudæos. Plures Canoniſtæ negant Papam poſſe diſpenſare de iure

divino. Quidam contra ſentiunt. Sunt enim qui & Papam tradant permittere poſſe uſuras ad maiora damna evitanda, quamvis eas credant iure divino vetitas. Sed Papa eſt quem ſtatuunt non poſſe errare, & quem articulos fidei ſolum poſſe condere affirmant. Si enim aliam de Pontifice ſummo opinionem haberent, & in ordinem cæterorum patriarcharum cogendum eum putarent, non hanc illi poteſtatem arrogarent. At nullum eſt dubiũ, ſi conſtaret uſuras illicitas eſſe iure divino & lege morali, quin magiſtratus non poſſit eas licitas facere. Ne patriarchæ quidem alicui in foro conſcientiæ licitas facere eas liceret. Immo nec Papæ, hoc poſito, quod non poſſit eorum, quæ iuris divini ſunt, gratiam facere, atque illa remittere, quod vocant diſpenſare. *Charitas prohibet fœnerari*, inquiunt. Si illa charitas id prohiberet quæ ad ſalutem eſt neceſſaria, & ſine qua nemo ſalvari poteſt, concederem, non eſſe fœnerandum. Sed ſunt multi gradus charitatis. Si fœnerator omnis charitate omni exuta hoc propoſitum ſemper haberet & unicum, proximum ſuum fraudare & ſpoliare: ſi hunc totalem charitatis defectũ fœneratio ſola ex omnibus quæſtuariis

profeſ-

profeſſionibus importaret, concederem, eam eſſe ex Chriſtianiſmo totam exterminandam, & profeſſores eius fœneratores omnes expellendos. Cæterum, ut ea charitati adverſetur, non ſola id facit, ſed quantum eſt artium quæſtuariarum, ut iam ſæpius à nobis dictum eſt, eam deſtruunt, niſi cum bono modo exerceantur. Certe & fœneratio ſic temperate exercita minus etiam charitati inimica eſt quam quælibet aliarum. *Charitas*, inquiunt, *prohibet fœnerari*. Quid ſi è contra eadē charitas me prohibet ſine fœnore aliena pecunia uti? Hoc certe verum. Si enim deberem uti gratuita aliena pecunia, & quilibet cogeretur ex charitatis officio eam gratis mutuam dare, quid mea referret me pecuniam habere propriam? Optabilius utique mihi foret, proximū meum eam habere quam me, ſi poſſem quotieſcunque vellem ab eo ſumere, qua uterer gratis, & ipſius quidem ingratiis. Nam labor tantum & cura ſervandæ me maneret, uſus & commodum ei qui à me illam peteret, ſine ſua moleſtia & incommodo, relinqueretur. Dicas forſitan, ſi non eam fœnori dem, quia gratuitam dare debeā, poſſe ex ea me mercari agros, aut ædes, aut merces. Quid mea intererit,

tale quid ex mea pecunia emere? Si enim habeam ædes plures quam quas habitare poſſim, nonne me charitas iubebit gratis eas vicino meo, qui non habet, habitandas dare? Si agros feraces emam, cur non fructus inde venientes utendos proximo dabo, quia id præcipit eadem charitas? Nulla certe ratio in hoc aut illo differentiæ. De mercibus idem dixeris. Cur enim eas non trado petentibus, abſque pretio? De pecunia ſimiliter, cur eget quiſquam me pecunioſo? Sic nemo eſt qui non mallet egere, ſi egeſtati ſuæ ſemper paratum apud divites haberet ſubſidium, quã inutiles & infructuoſos nummos cuſtodire. Ita quippe diſpenſatores forent hi qui aliquid haberẽt, eorũ qui nihil. Profecto, ſi pecuniã ſine fœnore cuilibet expẽdere teneor, præoptarim ab alio mihi expendi, ſi omnes hoc idẽ tenerẽtur obſervare. Si fœneratio ita obſtaret à charitate, ut nemo fœnerator præſtãdæ eius ullo modo poteſtatem haberet, acquieſcerem ſententiæ quæ tollendam putat. Ne tum quidem dubitandum foret quin iuri divino contraria eſſet habenda. Quodcumque enim charitatem evertit, id iuri divino adverſari cenſendum. Sed conſiderent hic mecum qui alia omnia ſentiunt,

tiunt,

tiunt, quam non recte ſentiant. Quid prohibet, fœneratorem ex iis opibus quas legitimis uſuris acquiſierit, quaſque ab aliis accipit qui eas dare poſſunt, liberalem in eos eſſe ac largitorem qui hoc ſubſidio opus habent? Quis enim largiri pauperibus poteſt, niſi cui facultates ad largiendum ſuppetunt? Qui igitur fœnerando multas copias ſibi comparaverit, ſi de illis plurima in pauperes cõferat, nonne hoc modo dum multa largitur indigentibus, charitati magis ſatisfacit quam ei nocet, accipiendo uſuras ab illis qui poſſunt præſtare? Nec eſt quod quis hic mihi obiiciat, etiã à pauperibus eum exigere uſuras. Hoc infra diſcutiemus. Sed hic interim reſpõdeamus, ita à pauperibus illũ accipere, ut poſſit pauperioribus erogare. Si haberẽ tantum quod uni darem, & duo eam ſtipem à me peterent mendici, darem eam utique mendiciori. At non omnes, inquies, hoc faciunt fœneratores, ut liberaliter in pauperes de ſuo impendant. Nec omnes ſane hoc facimus nos qui non ſumus trapezitæ. Sed ſatis eſt ſi id facere poſſit, nec ab arte quam profitetur prohibeatur hoc præſtare, quod ut præſtet, charitas requirit. Mercator dum altero tanto res ſuas vendit quam

quanti emit, an non pauperibus pari pretio merces præbet? Et hoc illi licitum eſſe liquet. Nemo illum prohibet niſi animus ſuus avarus & tenax, quin quod altera manu mercaturis quæſivit, altera in pauperes prodigat. Si non faciat, non eſt mercaturæ vitium, ſed mercatoris. Illa illi ſuppeditat unde beneficus eſſe in egenos queat, ſed ipſe ſibi impedimento eſt ne ſit. Idem de fœneratore liceat dixiſſe, atque omnibus omnino χρηματιστικαῖς artibus & profeſſionibus. Non igitur me prohibet charitas fœnerari, cum etiam fœneratio mihi copias ſuggerat unde poſſim melius charitatem exercere. Hoc tantum mihi obſervandum & cavendū, ne in illa profeſſione exercenda nimis mihi indulgeam, & avariciæ meæ cupiditatique habenas laxem. Si ipſe mihi modum ponere neſcio, adeſt magiſtratus qui imponat ex officio. Si præſcriptum itaque mihi modum à magiſtratu ſequar, & de cætero ita charitati proximi, mea voluntate, quoniam nulla me lex civilis ad hoc cogit, ſatisfaciam, numquid aliud maius à me requiri poteſt, aut exigi debet? Scio, in his omnibus artibus quibus lucrum pro fine propoſitum eſt, difficulter litari poſſe charitati, quin cupiditati laxiora dentur fræna.

fræna. Sed hoc in illis apparet magis, in quibus liberum relictum eſt utendi cuiq; quo modo iis velit, arbitriū. Si fœneratoribus hoc idē liceret quod mercatoribus, ut ex libidine ſua, quemadmodum illi mercibus precium ſtatuunt, ita iſti uſuris modum figerent, in immenſum hæc eorum licentia forſitan exiret. Merito ergo tali libertati in licentiam nimis effuſam proruptura fibulam impoſuit lex. Conſtat tamen, multis in locis, & penes etiam optime moratas atq; inſtitutas reſpublicas, non alium fœnori modum ſtatutum fuiſſe, quam quem uſus & mos commerciorum ex voluntate contrahentium agnoſceret. Quod æque & in mercatura aliiſque negotiationibus obtinuit, & obtinet nunc. Nec video ſane, cur liceat negotiatori quam velit infinitum ſuæ merci pretium cōſtituere, & in pecunia ſua quam locat, non idem fœneratori permittatur. Hoc illi permitte, non tamen in immenſum uſuræ exibunt, ut nec mercium precia mercatori. Fori curſus utraque moderatur ac temperat. Cuius rei exempla ſuppeditat Athenienſium reſpublica, in qua uſuras ex libidine fœnerantium agitatas conſtat. Quæ nihilo ſecius intra certum modum ſtetere, quam lex non definiit, ſed

voluntas contrahentium ex uſu ac ratione commerciorum. Optime tamen factum eſt, quod uſuris modus per magiſtratum aliquis impoſitus eſt, ad refrenandam earum licentiam, & improbitatem. Quod in trapeziticis præcipue ſervari debuit. Quo magis quippe neceſſaria eſt, & quo pluribus, & maiori quidem neceſſitate coactis, eo caſtigatiorem haberi & intra fines certos magis coerceri fuit neceſſe. Quod niſi fieret, facile modum egrederentur fœnerantes, perſpecta urgente eius neceſſitate qui ad eos confugeret. Ut enim panis eodem pretio omnibus præberi debet, qui valde eſuriunt, & qui non admodum, ſed tamen opus eo habent, ita pecuniã de mẽſa ſub æqualibus uſuris dari oportuit, tam iis qui maxima earũ premuntur inopia, quam qui modica. Hoc idem quoque cuſtodire deberent & cæterarum rerũ mercatores. *Nam pretia rerum*, ut ait Paulus iuriſconſultus, *non ex affectu aut utilitate ſingulorum, ſed communiter funguntur.* Licet tamen mercatori quam maximo pretio rem ſuam vendere, & interdũ etiam maiore illis quos credit ea non poſſe carere quin ſtatim habeant. Habeo angulum prati qui denormat agrum vicini mei divitis. Ut quadrata eius centuria

turia exeat, quovis precio paratus eſt à me meum accipere. Si cupiditate eius abuti velim, quod libebit, etiã licebit, ut nõ aliter à me extorqueat niſi ſumma data quę infinito iuſtum pretium excedat. Vidi agellos vix viginti aureis ęſtimandos, pretio ducentorum ſic facile venditos. Qui emebant, etiam beneficium ſe accepiſſe teſtabantur, & gratiam habebant. Quod maius eſt, etiam inter honeſtos hæc frequentari video. Non tamen hoc probat charitas, & pars eſt iniuſticię, quãvis ea lege permittatur. Ita qui in maxima neceſſitate eſſet pecuniæ, etiam quam maximis uſuris eam extundere paratus foret à fœneratore, ſi mediocribus ac iuſtis non poſſet. Nec deeſſent homines æque prompti accipere ingentes, quam ad dandum proclives. Lex igitur bene facit quæ eas determinavit. Nec ille male proinde facit, qui à magiſtratu conſtitutas uſuras exigit, ſi quidem ille iure poteſt tales conſtituere, & eos ipſos inſtituere fœnatores qui tales exigant. Hæc denique eo res redit, ut quæri tantum debeat, utrũ uſura licita ſit iure divino. Atqui hoc iam definitum tenemus. Nec diſcordant cum quibus hæc nobis diſputatio eſt. Nihil igitur tertium eſt: aut licita eſt iure divino,

divino uſura, aut illicita. Si illicita eſt, magiſtratus non poteſt licitam facere, nec eam tanquam licitam permittere. Si conſtabit eſſe licitam, tum nihil erit dubii, quin ad magiſtratum pertineat, tollere eam prorſus, aut permittere totã arbitrio contrahentium exercendã, aut ad certum modum eius licẽtiam reſtringere. Si enim ponatur non vetita iure divino, inter res per ſe indifferentes erit reponenda. Res autem indifferentes ſi magiſtratus ita ſinat eſſe ut ſunt, nihilque ſuper his determinet, tum unicuique liberum eſt iis uti prout volet. Talis mercatura eſt. Si vero magiſtratus in re indifferenti, è qua abuſus metuitur, ſuam interpoſuerit auctoritatem, vel vetanda, vel catenus permittenda, ut abuſus removeatur, uſus retineatur, quod magiſtratus in eo iuſſerit eſt obſervandũ, & non ex bona conſcientia facit qui edicto eius refragatur. In mercatura aliquando permittit monopolium magiſtratus, ſæpius vetat. Interdum pretium taxat mercibus, interdum voluntati vendentium liberum relinquit. In uſurario ſimiliter negotio, quod per ſe μέσον eſt ac indifferens, utpote iure naturali ac divino licitum, aliquando propter abuſum uſuras princeps aut magiſtratus abolendas

lendas cenſet, ut Baſilius Imperator cenſuit. Propter maiorem abuſum ex uſura ſublata ſurgentem alius eas reſtituit, ut Leo philoſophus eius filius. Alii liberas eas ſiverunt ire, perinde ut collibuiſſet contrahentibus, ut Athenienſes & omnis olim vetus Græcia. Alii intra certos fines eas coercuerunt quos non liceret tranſire, ut Romani. Sed illi modi uſurarum aliis atque aliis temporibus apud eaſdem nationes, & in eadem civitate, alii fuerũt. Certũ eſt porro, omnes, qui quandocunq; uſuras illicitas eſſe crediderunt, non alio fundamento earum interdictionem ſuperſtruxiſſe, quam quod putarunt verbo divino eſſe vetitas. Et tamen, quod mirum eſt, ne ſic quidem plebi eas eſſe vetandas cenſuere Nicæni primi concilii patres, ſed ſoli Eccleſiaſtico ordini, cũ propter maiorem eius perfectionem, tum etiam, quod ab omnibus ſæcularibus negotiis ut ſe abſtinerent qui Eccleſiæ erant atque altaris miniſterio mancipati, voluerunt. Mirum autẽ, non aliud uſuræ illicitę teſtimonium ex ſacra ſcriptura Nicænos illos patres allegaviſſe quam ex Pſalmo XIV. *qui pecuniam ſuam non dedit uſuram.* Atqui poterãt ex aliis locis, Exodi, Levitici, & Deuteronomii id firmare. An noluerunt,

luerunt, quia illis locis ita vetatur uſura Iudæo in Iudæum exercenda, ut permittatur eidem cum gentibus agitanda? Ita ſane eſt. Cur igitur Pſalmum allegant? Nã, ut infra notabimus, non nova lex nec alia per prophetas circa fœnus ac uſuram poſita eſt; ab illa quam Moſes ſtatuit. Hac eadem cauſa adducti & aliarum ſynodorum patres, qui uſuram vetuerunt, illo ipſo teſtimonio Davidis tantum eam interdictionem ſtabilierunt. Ut in concilio Calchutenſi Anglicano per Legatos Papæ Adriani habito, ſic habetur: *uſuras quoque prohibuimus, dicente Domino ad David, dignum fore habitatorem tabernaculi ſui, qui pecuniam ſuam non dederit ad uſuram.* Sed hæc in ſequentibus examinabimus & explicabimus. Nunc nobis ideo minus difficultatis reliquum eſt, quia cum eo Theologo rem habemus, qui nobiſcum ſentit, uſuram non eſſe iure naturali neque divino vetitam. Immo vel amplius dicit aliquot locis in Theologica de Uſuris inſtitutione, uſuras licitas ac iuſtas habendas eſſe, non ſolum tolerabiles. At nos volebamus, tantum ideo tolerandas eſſe vel has æquiſſimas in plebe Chriſtiana uſuras, quia neceſſariæ viderentur iis inſtitutis ac moribus quibus hodie utitur

Reſpu-

Reſpublica Chriſtiana. Hoc poſito fundamento quod uſuræ ſint licitæ iure divino; nemo eſt qui negare poſſit quin magiſtratui liberum ſit, modum uſurarum pro temporum & locorum rerumque circumſtantiis determinare, ac modo intendere, modo remittere, Trapeziticum fœnus interdum permittere, interdũ, ſi opus ſit, atque ex re videatur, tollere. Quicunque igitur in his magiſtratus determinationem ſequetur, non poterit errare, & nihil contra conſcientiam ſuam fecerit qui hoc obſervarit quod à magiſtratu præſcriptum erit. Fruſtra igitur quærunt præſtantiſſimi Theologi, vel hac poſita magiſtatus ad fœnerandum permiſſione, *an vero propterea fœnerari bona conſcientia liceat? Minime profecto. Neque enim à civilibus legibus ſed ex Dei verbo petenda eſt conſcientiæ regula.* Nullo certe modo negandum eſt, quin in rebus fidei & quæ iuris divini ſunt, petenda ſit regula conſcientiæ ex Dei verbo. At in rebus indifferentibus ac mediis & quæ iuris ſunt poſitivi, nemini dubium eſt, quin peti habeat regula conſcientiæ ex legibus civilibus, ac permiſſione aut interdictione earundem per magiſtratum facta. Huiuſmodi res ſi per magiſtratum prohibeantur, conſcientiam obligare ad abſtinen-

abſtinendum, pręter metú pœnæ, qui ſolos improbos cóſtringit. Nam in conſcientia quilibet obligatur parere magiſtratui, & omnibus poteſtatibus quas ſuper nos Deus ordinavit. Sin vero à magiſtratu ac lege permittantur, cum bona conſcientia æque eas quilibet uſurpare poteſt ac facere ut alia quæcunque licita ac permiſſa. Talis res fœnus eſt vel confeſſione noſtri Theologi. Id cum non pugnet cum iure naturali nec divino, eius regula, ut cum bona conſcientia agitetur, petenda eſt à permiſſione magiſtratus. Reſpondeo ergo, ſi fœnerari bona conſcientia non licet, neque licere etiam mercari, neque negotiari, neque artificium facere aut profiteri ullum quæſtuoſum. Hęc omnia enim quadantenus charitati contraria ſunt, & difficile eſt ut gratis quidquam impertiatur proximo ſuo, qui lucrari ex omni re conſuevit. Conſcientiæ igitur bonum non vetat fœnerari eum, cuius hæc profeſſio ſit, ut nec mercari, nec publicũ agere cui hoc munus incumbat, ſed vetat πλεονέκτην eſſe, & amplius capere in omnibus illis profeſſionibus, ac functionibus, quam æquum ſit, & à lege conſtitutum, hoc eſt, ut Euangeliſta ait, μηδὲν πλέον παρὰ τὸ διατεταγμένον. Hac conditione admittit Iohan-

Iohannes ad baptiſmum milites & publicanos. Quidni & fœneratores & mercatores, negotiatoreſque omnes aliquam quæſtuariam artem agitantes? Nec aliter acceſſere ad Chriſtū improbi & πλεονέκται quam ad Iohannē publicani, ut pœnitentiam ſe agere oſtenderent, non arti renuntiaturi, ſed improbitati, quæ eos ex arte comitabatur, & qua πλέον ἢ τὸ διατεταγμένον accipere ſoliti erant. Tales Græci ἀπλήστους & ἀμέτρους & βιαίους τελώνας appellant, βαρεῖς & φορτικούς. Immo & παρεκλέγοντας & παρεισπράττοντας. Quæ duo nomina Attici uſurpant de portitoribus plus quam licitum eſſet exigentibus, id quod in Euangelio dicitur, πλέον ἢ τὸ διατεταγμένον λαμβάνοντες. Zacchæus publicanorum princeps ad fidem Chriſti converſus, ubi in conſpectum eius veniſſet, pollicetur, ſe partem bonorum egenis eſſe daturū, & præterea, ſi quod per calumniā & fraudem à quoquam abſtuliſſet, quadruplum eius reſtituturum, Lucæ XIX, VIII, καὶ εἴ τινός ἐσυκοφάντησα, ἀποδίδωμι τετραπλοῦν. Hoc eſt πλέον illud quod exegerat, vel extorſerat, παρὰ τὸ διατεταγμένον. Non dicit autem, ſe telonio abiturum, & publici, quod agebat, functione ceſſurum, ſed quod amplius conſtitu-

to per fraudem ceperat, ſe quadruplione luiturum. Hæc erat etiam pœna olim Romæ ſtante Republica fœneratorum, qui amplius quam ipſis conſtitutum eſſet uſurarum nomine à debitoribus ſuis exegiſſent. Quid ad illa reſpondet Chriſtus? *Hodie ſalus huic domui facta eſt.* ὅτι σήμερον σωτηρία τῷ οἴκῳ τούτῳ ἐγένετο, καθότι καὶ αὐτὸς υἱὸς Ἀβραάμ ἐστι. Manſit publicanus ille Zacchæus, & quidem publicanorum primus, & tamen ſalutem eſt conſequutus, ipſius ſervatoris noſtri verbis. Potuit igitur & per bonam conſcientiam publicanus eſſe, modo ſycophanta non eſſet, nec circumſcriptor, nec concuſſor. Ut bonus eſſet, & regnum Dei lucraretur, non ipſi deponenda fuit profeſſio, ſed quæ profeſſionem illam plerumque comitatur, improbitas & πλεονεξία. Quid aliud dicendū de fœneratoribus? An illi, cæteris paribus, improbiores publicanis? Præſtiterim, longe meliores, etiam ſi quis improbum fœneratorem cum improbo publicano comparet, & probum cum probo. Sceleſtiſſimus quippe fœnerator etiam prodeſt. At publicanus, ſi improbe ſuum munus exerceat, neminem adiuvat, & omnibus nocet. Hinc odium in publicanos longe maius quam in fœneratores,

tores, ut ex ipſa illa Domini voce liquet: *Hic tibi ſit tanquam Ethnicus & publicanus.* Non dicit, *tanquam Ethnicus & fœnerator.* Quinimmo è contrario fœnerator etiam improbus amatur, quia vel talis iuvat. Tametſi inviſus ſit, non poteſt tamen eo carere qui indiget. Ad eum ſaltem decurritur, quamvis inviſum, ut ſuccurrat, cum à publicano omnes abhorreant, & eum refugiant ut ſemper nocentem, etiam quando munere ſuo recte fungitur, & id tantum exigit quod ei lege conceſſum eſt. Cicero lib. 1. de Officiis portitorem cum fœneratore iungit in his quæſtibus memorandis qui in odia hominum incurrunt. *Primum*, inquit, *improbantur ii quæſtus qui in odia hominum incurrunt, ut portitorum & fœneratorum.* τελωνῶν καὶ δανειστῶν. Melius certe, qui in Euangelio vocantur τελῶναι, *portitores* Latine quis verterit quam *publicanos*. Et videmus Ciceronē inter quæſtus odioſos nominare *portitores*, non *publicanos*. Publicani proprie, qui publicū aliquod redimebant, ut viceſimæ hæreditatum, & viceſimæ libertatū, quique cetera huiuſmodi vectigalia conducebant, & portoria. Non illi *portitores* dicebantur, ſed ii tantum qui portoriis exigendis præficiebantur ab illis ipſis pu-

 bli-

blicanis. Exempli gratia, publicanus eſt qui viceſimæ aut decimæ publicũ redemit, & pro eo quod convenit reipublicæ reddit. Quem autem præficit iſte publici redemptor, ſive publicanus, viceſimæ vel decimæ colligendæ, δεκατηλόγος & εἰκοστηλόγος dicitur. At publici redemptor vel publicanus Græce δημοσιώνης. Interdũ etiam τελώνης. Sed illi magis qui in portibus & teloniis ſedẽt ad colligenda & exigenda portoria, quos Græci vocant ἐλλιμενιστάς. Verum hi diverſi erant ab illis magnis publicanis, qui proprie *publicum agere* Latine dicebantur, & quos Græci δημοσιώνας vocant, id eſt, publicorum vectigalium redemptores. Hi honeſtioris erant apud Romanos ordinis, & equeſtris, ut plurimum. Nam Equites Romani, ut notũ eſt, publicani, & δημοσιῶναι. Hi non erant odioſi, nec enim ipſi exigebant vectigalia & portoria, ſed aliis exigenda ea committebant, qui *portitores* dicebantur. Iſti ut rem ſuam facerent, plus ſæpe quam licitum lege ipſi erat exigebant, quos Græci παρεκλέγειν & παρεισπράττειν dicunt. Hinc inter ἐπονειδίστους βίους, probroſas ac turpes profeſſiones, Pollux omne genus iſtorum portitorum recenſet, εἰκοστηλόγους, δεκατηλόγους, πεντηκοστηλόγους, ἐλλιμενιστάς. Et ſane multum dif

differt, exempli gratia, δεκατώνης ἀπὸ τοῦ δεκατηλόγου. Iſte colligit & exigit, ille conducit à republica τὴν δεκάτην. Et iſte proprie publicanus, ille portitor. De his intellexit τελώνας ſive portitoribus Comicus hoc verſu de Oropiis:

Πάντες τελῶναι, πάντες εἰσὶν ἅρπαγες·

Omnis ibi raptor, omnis ibidem portitor.

Hebraice מוכס. Et tantum ſane intereſt inter huiuſmodi minutos publicanos qui proprie Latinis *portitores*, & illos qui publica conducebant vectigalia, quos *Publicanos* iidem Latini vocant, quantum inter magnarios mercatores & viles ſubcciones, vel ὑποκαπήλους. Talis Zacchæus ille videtur fuiſſe, ex maiorũ nempe gentium & vere publicanis dictis, quem ἀρχιτελώνην appellat Euangelium. Quamvis & ἀρχιτελώνης ibi poſſit eſſe eorum portitorum ſive exactorum præfectus, vel primas. Vir doctus, qui nuper edidit librum de legibus Iudæorum forenſibus, ad cap. x illius codicis, notat ex Gemara, diſtinguendum eſſe inter publicanos. Eſſe enim quibus exactio determinata non eſt, ſed redemptis vectigalibus quantum poſſunt extorquent, modo redemptionis ſuæ ſummam magiſtratui ſolvant. Atqui hi ſunt qui proprie *publicani* Latinis dicun-

 tur,

tur, & Græcis δημοσιῶναι. Et hos quidem melioris fuiſſe famæ atque honeſtioris ordinis quam portitores & τελώνας qui portoria ipſi exigebant, certum eſt. Quamvis enim illis exactio determinata non eſſet, non poterant tamen πλεονεκτεῖν, nec quantum poſſent extorquere, quia nihil exigere ſolebant, niſi ab ipſis portitoribus quos colligendis portoriis præponebant. Cæterum portitoribus illis determinata erat exactio, & conſtitutum quantum accipere deberent. Hi modum hunc ſæpe tranſcendebant, & παρὰ τὸ διατεταγμένον accipiebant. Verum de his plura ad ipſum Euangelium. Publicanis honeſtioribus adiungit fœneratores in Veſpaſiani vita Suetonius. Quod ad odium vero profeſſionis attinet, Cicero cum portitoribus eos coniungit. Fœnerator igitur, & publicanus, ſive portitor potius, ſi ſtant intra διατεταγμένον, nec πλεονέκται ſunt, cum bona conſcientia munus ſuum poſſunt adminiſtrare. Quia rem nimirum tractant nec morali lege vetitam, & naturali iure licitam, & à magiſtratu cum modo vel permiſſam, vel iniunctam, & ab Eccleſia vetere ſine pœna relictam. Summus Theologus, ut probet, Apoſtolum, πλεονεξίαν nominando, etiam cogitaſſe de fœnerato-

ratoribus, ait, *negari non poſſe, illum ſaltem eſſe fœneratorum ſtatum, ut non minus illis quam mercatoribus avaricia illa ſit* εὐπερίστατος, *ut eſt in Epiſtola ad Hebræos cap.* XII, *quia immania captantur, qua ex mercibus, qua ex pecunia fœnore locata, compendia.* Quis illi hoc negat, quin omne genus avariciæ & cupiditatis εὐπερίστατος ſit ἁμαρτία illi qui ea laborat, & ingentes divitias per eam acquirit ac poſſident? An ex eo conſequitur, quicunque avarus eſt, etiam ab Eccleſia eſſe repellendum, & à communione ſacra arcendum? De hoc enim quærebatur. Si omnes avari ab Eccleſia excluderētur, plerique eorum qui nunc adyta eius intrant ne limine quidem tenus ad eam aditum haberent. Et hæc unica cauſa eſt, cur veteres Canoniſtæ, ut noviciis longe ſanctiores, ita & prudentiores, avariciam quę alienum adpetit, id eſt, πλεονεξίαν, nullis pœnis Eccleſiaſticis obnoxiam fecerint. Gregorius Nyſſenus in Epiſtola ad Latoium Canonica: τὸ δ' ἕτερον εἶδος τῆς εἰδωλολατρείας, οὕτω γὰρ ὀνομάζει τὴν πλεονεξίαν θεῖος ἀπόστολος, οὐκ οἶδ' ὅπως ἀθεράπευτον ὑπὸ τῶν θείων πατέρων παρώφθη. *Altera autem idololatriæ ſpecies, ſic enim avariciam divinus Apoſtolus appellat, neſcio quomodo abſque ulla pœnæ medela à patribus prætermiſſa ſit.*

Hinc & fœneratores etiam improbum fœnus exercentes, & raptores bonorum alienorum, aliquo prætextu id perpetrantes, aut per potentiam nimiam, Eccleſiaſticarum pœnarum, quæ tunc variis delictis per pœnitentiam publicam infligebantur, habiti tunc immunes. Publicani συκοφαντοῦντες & per calumnias fraudemque circumſcribentes, illo tempore ſecuri Eccleſiam frequentabant cum improbis fœneratoribus, & ſynaxi participabant. Tria ſola delicta ex πλεονεξίᾳ, quaſi fonte ſuo orientia, ab Eccleſia puniebantur veterum patrum ſententia, furtum, ſepulcrorum perfoſſio ad ea expilanda quę monumentis una cum corporibus defunctorum de more inferebantur, & ſacrilegium. Quod igitur εὐπερίστατος ſit ἁμαρτία fœneratoribus æque ac mercatoribus aliiſque avariciæ labe infectis, non idcirco contra illos cenſuræ Eccleſiaſticæ vigor exerebatur. Quod mirere magis, ex legibus civilibus pœna tum impacta eſt modum in fœnore legitimum excedentibus, aut pecuniaria, ut quadrupli, aut infamiæ, ut uſuras uſurarum exigentibus, cum Eccleſiaſtica diſciplina quæ tunc vigebat, nihil in eos decerneret publicæ correctionis. Quanto magis impuniti

niti exibant, qui modum obſervabant à lege præſcriptum? At εὐπερίστατος illis ἁμαρτία ex Apoſtoli dicto. Certe, & mercatoribus, ut ipſe Theologus fatetur, & aliis divitibus, atque omnibus rei quærendæ cupidis. Certum eſt quippe, qui nihil habent, ſed nec habendi cupiditate tenentur, expeditius currere in agone Chriſtianis propoſito, quam qui magnis fortunis præpediti, ut laciniosa veſte, ad curſum tardantur. Sic enim & qui alte ſuccincti iter faciunt, & ſine ſarcinis, facilius incedunt quam qui ſub onere vix ſe ferunt, & impedimenta ſecum trahunt, aut humeris ea baiulant. Ideo iubet Apoſtolus, ὄγκον ἀποθέσθαι πάντα, καὶ τὴν ἁμαρτίαν εὐπερίστατον, *omnem ſarcinarum molem amoliri ac deponere, & peccatum fragile*. Ita vertit vetus Editio à vulgata diverſa. Alii interpretantur, *peccatū quod facile ſubverti poteſt*. Τὴν ταχέως περιτρεπομένην. Quæ interpretatio reſpondet illi verſioni veteri, quæ obtinuit ante quam ab Hieronymo corrigeretur, *peccatum fragile*. Huc etiam referendū, quod Heſychius περίστατον, exponit ἀνάστατον, id eſt, *everſum*, *proſtratum*. Non tamen hic verus eſt ſenſus illorum verborum, εὐπερίστατος ἁμαρτία. Sacer Exercitator quibus nova potius placuerunt quam

 recta,

recta, nuper quæſivit quid eſſet, &, an ſatis id aſſequuti eſſent interpretes, videndum eſſe admonuit. Ubi eorum interpretamenta tam veterum quam recentiorum propoſuit, *quid ſi*, inquit, *aliud hic εὐπερίστατον quam arbitrantur?* Certe & ipſe aliud puto eſſe quam vulgo putant interpretes, ſed an id aſſequutus ſit novus, videamus. Περίστασις, inquit, *illius quidem certe, qui in lucta alterum circumvenit.* Hoc mihi inauditum eſt, & puto etiam aliis Græce Latineque gnaris. *Circumvenire* aut proprie, ſumitur, aut improprie. Si proprie accipiatur, nemo alterum in lucta circumvenire poteſt dici. Nam plurium eſt, pauciores aut unum circumvenire. Cum ponitur metaphorice, pro *fraudare* uſurpatur. Tum unus unum poteſt circumvenire, ut ad Theſſ. IV, VI, πλεονεκτεῖν τὸν ἀδελφὸν ἐν πράγματι, *circumevenire fratrē in negotio.* Sic in paleſtra luctator doloſus, qui ſupplantat adverſarium, utcunque illum circumvenit, id eſt, decipit, metaphora inde ſumpta, quod ex inſidiis plures conſurgentes, paucos hoſtium circumveniunt, & in medio circumventos concidunt. Hinc & *circumiri* & *circumduci* etiam pro fraudari & decipi. Et apud Comicum, *miſerum eſt ſic circuiri.* At proprie loquendo

do non poſſunt ſinguli ſingulos circumve-
nire. At Criticus proprium hoc verbum videtur facere luctæ. Quod eſt falſiſſimum. Sed & curſui etiam tribuit. Quod eſt ridiculum. Εὐπερίστατος *igitur*, inquit, *qui in lucta alterum, aut in curſu facile circumvenit.* Sermo quo utitur hic Apoſtolus non à lucta ſed à curſu per tralationẽ ſumptus, ἵνα δι' ὑπομονῆς τρέχωμεν τὸν προκείμενον ἡμῖν ἀγῶνα. Ergo hoc εὐπερίστατον de lucta non trãſtulit. Critico tamẽ placet εὐπερίστατον eſſe *doloſum*. Et citat Plautum qui dixit de vino, *luctator doloſus eſt, pedes captat primo.* Nihil hoc ad περίστασιν, aut circumventionem: ſupplantatio eſt. Falſum eſt etiam, in curſu περίστασιν locum habere. Nec exemplum Maronis de Niſo quicquam facit. *Exemplo*, inquit, *ſit Maronis ille Niſus, qui cum loco primus eſſet, lapſus, Salio curſu ac velocitate proximo, in gratiam Euryali, qui tertius*, κατὰ περίστασιν, *corpus inter ſurgendum oppoſuit, atque ita in terram proſtravit.* Quod corpus oppoſuit Salio Niſus inter ſurgendum, hoc non fecit κατὰ περίστασιν. Si fraude hoc ab illo factum & dolo, quæ alias per metaphoram *circumventio* dicitur, nemo Græcus auctor περίστασιν hoc ſenſu unquam uſurpavit. Nec fraudationem quippe περίστασις Græce ſignificat, nec il-

lam

lam circumventionem quæ ex inſidiis fit, dum pauciores à pluribus circumveniuntur, unde metaphorice & pro fraude ac deceptione ſumitur. Nec Stephani gloſſator, qui hic citatur à Critico, ſententiam eius adiuvat. Quod περίστασις ibi *circumventio* exponitur, non de ea circumventione intelligenda eſt, quam Criticus hic deſignat. Dicam illi, ſi neſcit, quid Græce vocent περίστασιν ποιεῖν. Cum ſpectatores aliquem morionem aut θαυματοποιὸν circumveniunt ac circumſiſtunt, περίστασιν ποιεῖν dicuntur, & ille morio vel θαυματοποιὸς, περίστατος eſt, qui à multis circumſiſtitur. Unde & *circulatores* vocantur huiuſmodi homines nugatores, quia circulos hominum circa ſe ſpectandi ſtudio convenientium faciunt. Sic περίστασιν ποιεῖν apud Dinarchum expoſuit Harpocration. Μήποτε, inquit, τοιοῦτόν ἐστι τὸ λεγόμενον, ἐν κύκλῳ περιέστη μὲν αὐτὸς καὶ οἱ συμπαρόντες αὐτῷ, καὶ μαρτυρεῖν ἠνάγκαζον, ἵνα τὴν αὐτὴν ἔννοιαν ἔχῃ ὅτι περίστατόν με ἐποιήσαν. Ita legendus ille locus in vulgatis editionibus corruptiſſimus. περίστατον ποιῆσαι aliquem eſt, περίστασιν circa illum facere, & eum circumſiſtere, & circulo vel corona quaſi circumdare. Unde & περίστατοι θαυματοποιοὶ, apud Iſocratem, quos id-

ideo Harpocration interpretatur, *περὶ οὓς κύκλῳ ἵστανται οἱ θεώμενοι*, *circa quos in circulum ſtant ſpectatores*. Ab eo *circulatores*, *οἱ ὀχλαγωγοὶ*, *οἱ περίστατοι*, qui turbas in circulum ad ſe ſpectandum evocant & concitant. Unde *δυσπερίστατος* etiam pro inſano Græcis ſumitur, quia inſani facile hominum turbam eliciunt, à quibus circumſiſtuntur, & *περίστατοι* fiunt. Sed *δυσπερίστατος ἁμαρτία* alio ſenſu hic etiam dicitur, & *περίστασις* Græcis aliud ſignificat quam hanc circulandi & circumſiſtendi alicuius rationem. Inde tamen deducta videtur & vox *περίστασις*, qua turbam, moleſtiam, curam, ſollicitudinem & anxietatem ſignificat. Nunquam enim huiuſmodi *περιστάσεις* fiunt ſine tumultu, rixa, compulſatione & preſſura. Heſychius: *περίστασις, θλίψις, ἀνάγκη, μέριμνα.* Inde *τὰ περιστατικά*, accidentia varia, & caſus adverſi, qui *περιστάσεις* huiuſmodi creant. Clemens Alexandrinus lib. VII, Stromateon: *Τῇ δὲ ἀνδρείᾳ οὐκ ἐν τῷ περιστατικὰ ὑπομένειν μόνον, ἀλλὰ τῷ ἡδονάς τε καὶ ἐπιθυμίας.* Et ſic alibi apud eumdem, *τοῖς περιστατικοῖς περιπίπτειν*, lib. IV: *ἡμεῖς δὲ οὐχ οὕτως ὑπολαμβάνομεν τοῖς περιστατικοῖς περιπίπτειν ἡμᾶς τὸν κύριον βουληθῆναι, ἀλλὰ πεπεισμένως τὰ συμβήσεσθαι μέλλοντα προειρηκέναι.*

In

In accidentia incidere. Ita vocat Quintilianus adverſos caſus, quæ Græcis τὰ περιστατικά. *Poſſimus,* inquit, *fortaſſean aliorum accidentium ſperare finem. Non habent proximorum odia regreſſum.* τῶν ἄλλων περιστατικῶν. Inde & περιστατικοὶ homines Galeno, qui laborioſam, negotioſam & exercitatam habent vitam, ut illi qui res ſuas aut alienas agunt, quos opponit philoſophis & φροντιστικοῖς, otioſam & tranquillam vitam degentibus. Iſti ſunt quos ἀπεριστάτους mei Stoici appellant, & opponuntur illis περιστατικοῖς. *Occupatos* unica voce vocat Seneca in libro de vitæ brevitate. Vide locum. At ἀπερίστατοι ſunt, quibus nihil eſt quo diſtineantur ac diſtrahantur, non uxor, non liberi, non divitiæ, non alia negotia, officia, artes. Talem ἀπερίστατον deſcribit & optime explicat Arrianus in diſſertationibus Epicteti lib. III, cap. πρὸς τοὺς τὴν ἀπορίαν δεδοίκοτας, *ad eos qui egeſtatem metuunt.* Καὶ ἵνα μὴ δόξῃς ὅτι παράδειγμα δείκνυμι ἀνδρὸς ἀπεριστάτου, μήτε γυναῖκα ἔχοντος, μήτε τέκνα, μήτε πατρίδα, ἢ φίλους ἢ συγγενεῖς, ὑφ᾽ ὧν κάμπτεσθαι καὶ περισπᾶσθαι ἠδύνατο, λάβε Σωκράτην. *Et ne putes me tibi oſtendere exemplũ hominis* ἀπεριστάτου, *qui nec uxorem nec liberos habeat, neque patriam, aut propinquos, aut amicos, accipe mihi Socratem.*

tem. Ex hoc characteriſmo hominis *ἀπεριστάτου* facile videre eſt, monachos priſcos & anachoretas revera fuiſſe *ἀπεριστάτους*, ut pote vitam agentes procul negotiis, vacuam cura & ſollicitudine rerum humanarum. At contra *περιστατικοὶ* erant ac dicebantur, qui rebus mundanis & negotiis ſæcularibus implicati, non ſibi tantum vivebant, ſed patriæ & parentibus atque amicis, qui negotiabantur, qui fœnerabantur, qui munia civilia & officia privata obibant. Talem *ἀπερίστατον* qualis ab Epicteto deſcribitur requirit & Dominus, cum dicit apud Matthæũ cap. XIX, XXIX, *καὶ πᾶς ὅστις ἀφῆκεν οἰκίας, ἢ ἀδελφὰς, ἢ πατέρα, ἢ γυναῖκα, ἢ τέκνα, ἢ ἀγροὺς, ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός μου, ἑκατονταπλασίονα λήψεται, καὶ ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσει*. Cum teneamus quid ſit *ἀπερίστατον*, non difficile eſt ſcire quæ ſit *εὐπερίστατος ἁμαρτία*. Peccatum nimirum quo facile quis poteſt in turbas moleſtiaſque, & varia accidentia, & occupationes coniici. Et recte ita interpretatur Theophylactus: *ἢ δι᾽ ἣν εὐκόλως τις εἰς περιστάσεις ἐμπίπτει*, id eſt, ut Heſychius interpretatur, *θλίψεις, μερίμνας, ἀνάγκας*. Nam ut addit idem Theophylactus, *οὐδὲν οὕτω κινδυνῶδες ὡς ἁμαρτία*. Alias etiam adfert expoſitiones, ſed ea ſola vera eſt,

eſt, quam ultimo loco poſuit. Primam adducit, *τὴν εὐκόλως περιϊσταμένην ἡμᾶς, quod facile nos circumſtat*. Eam ſequutus eſt vulgatæ verſionis auctor ab Hieronymo correctę, *facile circumſtans nos peccatum.* Secunda plurimum differt ab utraque, *ἢ τὴν περίστασιν εὐκόλως παθεῖν δυναμένη. Quod facile pati poteſt ſubverſionem*, aut *everſionem.* Adiicit enim, ῥᾴδιον γὰρ, ἐὰν θέλωμεν περιγενέσθαι τῆς ἁμαρτίας. *facile enim eſt, ſi modo velimus ſuperiores peccato evadere.* Cum *περίστατον* etiam idem ſignificet quod *ἀνάστατον*, id eſt, everſum, proſtratum, ac ſubverſum, hinc *εὐπερίστατον*, quod facile ſubverti ac profligari poteſt. Sed non hoc velle Apoſtolum, certum eſt. Falſiſſima autem lectio *ἀπερίστατος*, ne nobis hic Theologus obganniat, *ſive illa ſit avaricia εὐπερίστατος active*, ſive *ἀπερίστατος paſſive.* Ἀπερίστατος non poteſt hic locum habere, & veteres omnes codices & intepretes contra ſtant. Sed & εὐπερίστατος æque poteſt paſſive ſumi, ut ἀπερίστατος. Immo debet. Nam *ἁμαρτία εὐπερίστατος* metonymice pro peccatore, ut quæ cauſa ſit peccatori, propter quam facile exponatur περιστάσεσι. Cum hoc igitur ſignificet quod diximus, ἡ εὐπερίστατος *ἁμαρτία*, non iam erit difficile, quod præceſſit, quomodo exponendum ſit, videre,

ὄγκον

ὄγκον ἀποθέσθαι πάντα. De onere nimirum ac ſarcina mundanorum negotiorum, & curarum ſæcularium, quę faciunt ut qui illis nimis gravantur in εὐπερίστατον ἁμαρτίαν incidant, qua inextricabilibus ſeſe laqueis induunt. Et recte ita idem Theophylactus interpretatus eſt, τὸ βάρος τῶν γηΐνων πραγμάτων, καὶ τῶν ἐπ᾽ αὐτοῖς φροντίδων. Et ὄγκος Græcis ſæpe denotat τὸ βάρος. Omne onus & pondus eſt, ſive moles qua quis premitur. Unde τὸ εὔογκον, εὐβάστακτον, quod facile ferri poteſt. Accipitur quidem etiam pro tumore & arrogantia, ſed ea notio prorſus ab hoc loco aliena eſt. Nec miror proinde ab Exercitatore ſacro ſolam eſſe delectam quam ſequeretur. Nam ita mos eius eſt, ut peſſima conſectari non curet dum ſint nova. Tota metaphora qua hic utitur Apoſtolus, ſumpta eſt ab agonali curſu. In eo autem curſu nemo unquam ideo prohibitus eſt ad metā pervenire quia iam ſe putaſſet perveniſſe. Qui effectus eſt arrogantiæ & vanitatis. Sed hic ea locum non habet. Eſt quidem οἴησις, ἐγκοπὴ προκοπῆς. Non de illa præſumptione hic agitur. Notanda hoc loco obiter magna Critici ἀβλεψία *ſcopum & metam* confundentis in his verbis: *Vt eorum quæ à tergo oblitus, in curſu ſemper promoveret,*

dum

dum ad ſcopum ſive metam perveniat. At *ſcopus* eſt iaculatorum, ad quem collineant, ut deſtinata feriant, *meta* curſorum aut quadrigarū. Inde ἐπίσκοπα βάλλειν, id eſt, σκοποῦ τυγχάνοντα. Talia infinita in illo Opere, quę an omnia auctor propugnaturus ſit, ut quidam nuper ſcribebat, coram die & ſole, nos videbimus. Sed nihil neceſſe eſt de die & ſole. Vel de nocte licebit atque in tenebris hoc agat. Ego adero, & lucernam accendam, propiuſque admotam tenebo tale quid meditanti. Apoſtolus, ut dixi, metaphoram hanc duxit à curſoribus, ſive σταδιοδρόμοις, in gymnico agone, quos lex erat nudos currere. Olim cum ſubligaculis currebant. Sed quodam tempore cum curſori cuidam delapſum eſſet ad pedes in medio curriculo ſubligaculum, & eo obiecta remora tardatus fuiſſet, ac propterea victoria alii cedere coactus eſſet, deinceps inſtitutum, ut nudi currerent. Ea gratia vult etiam Apoſtolus in eo certamine quod Chriſtus ſuis propoſuit nudos decurrere, quaſi dépoſitis ſarcinis & oneribus omnium humanarum curarum ac negociorum, amoto præcipue ex divitiis iam quæſitis ac conſervandis aut quærendis obſtaculo, quo citius queant ad metam pervenire, ubi bra-

bium

bium eos expectat. Ea de cauſa in Epiſtola ad Timotheum 1. cap. VI. dixit, *Avariciam eſſe radicem omnium malorum, quam quidam appetentes erraverunt à fide, & inſerueꝛunt ſe doloribus multis.* Hæc eſt εὐπερίστατος ἁμαρτία, quæ eos cõſequitur qui non abiecerunt omne onus divitiarum. Nam ut ibidem ait, οἱ βουλόμενοι πλουτεῖν, ἐμπίπτουσιν εἰς πειρασμὸν, καὶ παγίδα τοῦ διαβόλου, καὶ ἐπιθυμίας πολλὰς ἀνοήτους καὶ βλαβερὰς, αἵτινες βυθίζουσι τοὺς ἀνθρώπους εἰς ὄλεθρον καὶ ἀπώλειαν. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa ac nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* Hæc omnia egregie ac luculenter lucem fœnerant illi εὐπεριστάτῳ ἁμαρτίᾳ, cui ſunt obnoxii qui ſub onere divitiarum gemunt, & earum quærendarum cupiditate laborant. Nemo enim poteſt duobus dominis ſervire, Deo & Mammonæ. Idololatra divitiarum non poteſt eſſe verus Dei cultor. Ipſa autem avaricia, teſte Apoſtolo, idololatria eſt. Hinc & multi olim ſapientiæ ſtudio dediti, quo melius philoſopharentur, bona omnia ſua proiecerunt, ut Democritus. Unde & Zeno ex naufragio omnium ſuarũ fortunarũ, quæ in mari perierant, ſe in portum philoſophiæ feliciſſime appulſum eſſe gaviſus

 eſt.

eſt. Et recte Philoſophus in Sententiis haud quaquam fieri poſſe dixit, ut idem eſſet voluptatibus addictus & corpori, opibuſque parandis ſimul vacaret & Deum diligeret: *φιλήδονον καὶ φιλοσώματον, καὶ φιλοχρήματον, καὶ φιλόθεον αὐτὸν ἀδύνατον εἶναι.* Ita enim argumentabatur. Qui voluptatibus eſt deditus, utique corporis ſui amore ac ſtudio tenetur. Qui corpus ſuum curat, etiam divitiis quærendis invigilat. Qui porro cupidus eſt bonorum, etiam neceſſario iniuſtus eſt. At qui iniuſtus, idem impius erga Deum, & iniquus adverſum homines. *ὁ δὲ φιλοχρήματος*, inquiebat, *ἐξ ἀνάγκης ἄδικος, εἰς μὲν Θεὸν ἀνόσιος, εἰς δὲ ἀνθρώπους παράνομος.* Hic qui *εἰς ἀνθρώπους παράνομος* ab illo dicitur, proprie intelligendus quicunque contra leges in acquirendis opibus facit, & plus exigit accipitve quam lege conſtitutum eſt, ut fœnerator improbus, ne ab exemplis ſupra poſitis abeamus, & publicanus ſycophanta. Nam *εἰς ἀνθρώπους παράνομος* proprie eſt, *ὁ πλεονέκτης*, quem & *ἄδικον ἐν συμβολαίοις* eſſe dicit Ariſtoteles, ut & *πλεονεξίαν* genus *ἀδικίας* facit. Hinc *παρανόμῳ* fœneratori & publicano, opponitur *ἔννομος* ac *δίκαιος*. Nam inter laudes boni publicani ponit Pollux, *ἔννομον*, & *δί-*

καιον

καιον, & τηρουῦτα τὸν νόμον. Idem hoc de probo fœneratore dixeris, qui exigit uſuras tantum lege licitas. Quia autem in eiuſmodi profeſſionibus, & aliis quibuſcumque artibus quæſtuariis, difficillimum eſt, legem tenere, quin quiſque cupiditati ſuæ potius pareat, ideo tutius tales averſari negotiationes quæ εἰς παρανομίαν facile impellunt, & πλεονεξίαν, quæque ἐπισπάστην habent ἁμαρτίαν. Ut enim vix fieri poteſt quin atro inficiantur qui carbonariam incolũt, & albo qui molendina & calcarias habitant, & quin male oleant qui coriariam factitant; ita qui quæſtuarias artes exercent, rem magnam præſtiterint, ſi charitatem erga proximũ ſervent, & opes parent ſine iuſticiæ & æquitatis offenſione. Certum eſt quippe, eos qui divites fieri volunt, cito etiam fieri velle. His, ut inquit Satyricus, *nulla eſt reverentia legum. Nec metus aut pudor eſt unquam properantis avari*. Hæc παρανομία eſt, ac πλεονεξία. Hinc tam multi fœneratores, tã multi publicani, tam multi mercatores, tam multi negociatores, tam multi opifices παράνομοι & πλεονέκται. His de cauſis dicebat Dominus ad ſuos, difficiliorem ingreſſum in regnum cœlorum dari diviti, quam camelo tranſitum per foramen

 acus.

acus. Qui cum durus ſermo illis videretur, addidit, omnia Deo poſſibilia eſſe, etiam quæ hominibus impoſſibilia viderentur. Eapropter præcipiebat iuveni diviti, ſi vellet eſſe perfectus, ut bona venderet ac pauperibus daret, & ſe ſequeretur. Hæc eo pertinebant, ut εὐπερίστατον ἁμαρτίαν, quæ ex divitiis & earum cupiditate oritur, evitaret. Nec illos audio, qui putant, tentandi tantum iuvenis illius gratia hoc ei à Domino dictũ fuiſſe, cum tamen ſciret, non eſſe facturum quod illi præcipiebat. Non cadit in Chriſtum tam vafrum tentamentum. Non tantum ei dixit, vade ac vende bona tua daque pauperibus, ſi vis eſſe perfectus, ſed etiam, δεῦρο, ἀκολούθει μοι, *& veni, ſequere me.* Hoc idem dixerat diſcipulis quos elegit, *ut omnia relinquerent, ac ſe ſequerentur.* Cum iuvenis ille triſtis diſceſſiſſet, quia amplę facultates illi erant quas nolebat dimittere, tum converſus ad ſuos Dominus, *Amen dico vobis, quia difficile dives intrabit in regnum cœlorum.* Nec contentus hoc ſimplici dicto, magis adhuc id adfirmat hac graviori repetitione. *Et iterum dico vobis, facilius eſſe camelum per foramen acus tranſire, quam divites intrare in regnum cœlorum.* Quæ verba ita pronunciata ſatis oſtendunt, non ten-

tandi

tandi iuvenis gratia dixiſſe illi Dominum, ſi vellet perfectus eſſe, ut vaderet ac bona ſua venderet, daretque pauperibus, ut theſaurum ſibi in cœlo pararet. Ad illud autem Domini dictum, quo negavit difficillime divites intrare poſſe regnum cœlorum, cum perculſi atque attoniti ſtarent eius diſcipuli, dicentes, *quis ergo poterit ſalvus eſſe*, reſpondit ille, *apud homines hoc impoſſibile eſt, apud Deum omnia poſſibilia ſunt.* Hoc gratia igitur operatur divina, ut dives poſſit ſervari cum ſuis divitiis, cum tamen id videatur impoſſibile, ut ſuarum opum, id eſt, Mammonæ idololatra ſe Dei cultorē verū profiteatur. Sed ut non omnes pauperes ſalvi eſſe poſſunt, ita nec omnes divites damnari. Utrunque à Dei pendet gratia, ut & iſte dives eligatur, & ille pauper abiiciatur. Nam & in agone curſuali fieri poteſt ut nudus in medio curriculo offendens concidat, & veſtibus involutus currens ad metam inoffenſo pede perveniat. Non ergo eſt volentis nec currentis, ſed miſereſcentis Dei, ut & iſte impeditus veſtimentis, id eſt, divitiis oneratus, metam contingat, & ille expeditus ac nudus in medio ſpatio lapſus cadat. Certum tamen eſt ſecundum humanam rationem, divitias multis obſtare, ne

ſalutem adipiſcantur. Nam, ut ipſe ait Apoſtolus ad Timotheum, in multas tentationes & laqueos diaboli incidunt divites, & plurimi merguntur in interitum ac perditionem, quos Deus nimirum non vult ſervari. Quos autem prævidet ſalvos eſſe non poſſe cum divitiis, ſi ſalvos eos velit, mentem illis dat ut bona ſua vendant ac dent pauperibus. Sic multi olim mundo renunciarunt, & bonis pariter mundanis. Hæc primo fuit vita Apoſtolica, poſtea & Aſcetica antiqua. Unde & Petrus ad Dominum, de ſe & ſuis collegis, Domini diſcipulis, ἡμεῖς δὲ οἱ ἀφήκαμεν πάντα καὶ ἠκολουθήσαμέν σοι, τί ἄρα ἔσται ἡμῖν; Aliis animum immittit, non ut bona ſua proiiciant, ſed ut curam eorum abiiciant. Ut habeant bona, non ut habeantur à bonis. Ut in arcam ea recipiant, non ut in mentem. Ut ſupra divitias ſuas extent, non infra iaceant, nec iis mergantur. Non ut denique illis ſerviant, tanquam idololatræ, ſed ut iis utantur tanquam ſibi ſubmiſſis. Et plerumque maior materia bene utenti bonis ſuis ad ſalutem conſequendam ſubminiſtratur, quam cum paupertate conflictanti. Una in hac virtus eſt, egeſtatem ſuam bene ferre. In divitiis latior ad virtutes explicandas & bona ope-

na opera facienda campus patet, ſi liberalis inde quis in pauperes ſit, munificus erga viduas egenas, & orbas dote illocabiles. Denique qui talis eſt, bene facere multis poteſt: pauper uni ſibi, ſi modo æquo animo patiatur ſe eſſe pauperem. Sin aliter ſit animatus, nec aliis prodeſſe quit per impotentiam, nec ſibi per impatientiam. Etenim nec paupertas omnis Deo grata, ſed illa tantum cui fecit hanc Deus ipſe gratiam, ut contenta ſit ſuo, id eſt, nihilo, ut poſt divitias non ſuſpiret, ad eas non adſpiret, non inhiet alienis, nec voto divitis vivat in fortuna inopis, ſed ſemper illud Apoſtoli cogitet, ad Timotheum I. cap. VI. *Nihil intulimus in hunc mundum, verum nec auferre poſſumus. Habentes autem alimenta, & tegumentum, his contenti ſimus.* Nihil aliud nobis Euangelium Chriſti prædicat & commendat quam talẽ paupertatẽ. Ab hac expeditior & facilior ad cœlum via, iuxta humanæ rationis reſpectum, quæ longe impeditior ac difficilior diviti, pręcipue illi qui divitiarum eſt totus potius, quam divitiæ illius. Et præcepta omnia Domini quæ ad perfectionem tendunt, ad divitiarum etiam contemptum nos vocant, ſive ut in totum eas amitta-

mus, ſive ad amiſſionem tantum earum ſemper animo parati ſimus. Ut nimirum eas poſſideamus, non poſſideamur: nec adhæreſcamus illis, ſed illæ nobis. Nec ita tamen adhæreant ut partem noſtri faciant; ut ſi perdendæ ſint, non abſcindantur à nobis, ſed abiiciantur tanquam inutiles ſarcinæ, immo graves ſæpe, & incommodæ. Illud certe de amittendis præceptum tutius eſt. Non enim periculum eſt, ne vincamur ab hoſte, quem fugerimus. Honeſtius quidem eſt, pede collato congredi, eumq; vincere. Sed pauci, quos Deus amavit, atque hoc modo elegit, id poſſunt præſtare. Quibus divitibus difficilis ſit ingreſſus regni cœlorum, apertius declaratur in Euangelio Marci, ubi ἐπὶ τοῖς χρήμασι πεποιθότες appellantur, *fiduciam in divitiis ſuis habentes.* Iſti revera ſunt idololatræ, & Mammonæ, non Deo, ſervientes. Duum ergo generum ſunt præcepta Domini in Euangelio, alia ſpecimen perfectionis ingerunt, alia legis tantum moralis obſervationem inculcant. Ut illi iuveni locupleti quærenti à ſe, quid boni facere deberet, ut vitæ æternæ hæres eſſet, præcepta decalogi obſervanda iniunxit. *Noſti*, inquit, *Dei mandata, non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non*

quem-

quemquam defraudabis. In his præceptis nullũ fuit quo quis fœnerari prohiberetur, aut publicum agere. Nam & Iudæi tunc licite fœnerabantur gentibus, & ex his multi publicum exercebant. Potuit itaque iuvenis ille, & fœnerator eſſe & publicanus, & tamen implere iſta mandata moralia, dum ne amplius quam conſtitutum lege exigeret. Quod in Marco exprimitur inter illa præcepta his verbis: μὴ κλέψῃς, μὴ ψευδομαρτυρήσῃς, μὴ ἀποστερήσῃς. Iohannes baptiſta hæc eadem præcepta iniecit ad ſe venientibus ut baptizarentur, μηδὲν πλέον παρὰ τὸ διατεταγμένον πράσσειν, *nihil præter quod conſtitutum eſt, exigere.* Cuius præcepti vis ad omnes pertinet, duobus illis verbis apud Marcum comprehenſa, μὴ ἀποστερῆσαι, *non defraudare*, aut *circumſcribere quemquam.* Hoc eſt, *nihil à quoquam exigere præter id quod lege conſtitutum eſſet.* Sed & ἀποστερεῖν proprie dicitur, qui debitum inficiatur, depoſitum negat, & cōmmodatum non reddit. Quæ omnia ἀποστερήσεως genera plane pertinent ad octavum præceptum, *non furaberis.* Ergo qui non furatur, nec fraudat aut circumvenit in negotio proximum, legem quidem implet, ſed non eſt perfectus. Qui furatur, contra legem facit. Cui vero furtum

furtum ſit nec furtum perſequitur, qui fraudatur nec fraudatorem ſuum in ius vocat, ille certè perfectus eſt, quia ab imperfecto, id eſt, ab eo qui peccat in legem, abeſt quam longiſſime, id eſt, à fure ac fraudatore. Nam qui ſe patietur circumveniri, nec litem ſuper eo movebit, multo minus ad fraudandum alterum animum adiiceret, quam qui nimis eſt acer in iure ſuo perſequendo, & vindicanda iniuria quæ ipſi facta eſt. Hinc inter notas Apoſtolicæ πολιτείας & hæc refertur ab antiquis, ἀποστερούμενος μὴ δικάζου. *Fraudatus ne iure agito.* Hoc manavit ex præcepto illo Dominico, ἀπὸ τοῦ αἴροντος τὰ σὰ μὴ ἀπαίτει. *& ab eo qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas.* Lucæ VI. XXX. Item ex illo Matthæi V. καὶ τῷ θέλοντί σοι κριθῆναι καὶ τὸν χιτῶνά σου λαβεῖν, ἄφες αὐτῷ καὶ τὸ ἱμάτιον· *Volenti tecum contendere & tunicam tuam accipere, dimitte & pallium*, ne cum illo ſcilicet δικάζου. Pejerare lex vetat, non iurare. At qui omnino non iurabit, à periurio citius abſtinebit. Nam iurandi facilitas, & crebritas ad periurium viam munit. Ut enim Græci dicunt, ἐν τῇ συνεχείᾳ τοῦ ὀμνύειν, ῥᾳδίως ἂν μεταπέσοι τὶς εἰς ἐπιορκίαν. *Ex iurandi aſſiduitate, facile quis ad pejerandum prolabatur.* Idcirco Dominus vetuit, μὴ ὀμόσαι ὅλως.

Quod & Pythagoricis placuit in illo aureo præcepto, καὶ σέβου ὅρκον. Hæc enim eius ſententia eſt, ut alibi dicam. Εὐορκία certè inter politicas virtutes, quę & à fraudatione & circumventione proximi prohibet. Etenim qui fraudandi animum habent, in abnegando debito aut depoſito, periurio utũtur. Unde illud Satyrici, *iusiurandũ emplaſtrũ eſſe æris alieni.* Πῶς γὰρ, inquiũt Gręci Philoſophi, ὁ φιλοχρήματος πρὸς ἀργυρίου λῆψιν ἢ ἀπόδοσιν εὔορκός ποτε γένοιτο; πῶς δὲ ἀκόλαστος ἢ δειλὸς ἐμμένοι τοῖς ὅρκοις; Sic Dominus dum à iusiurando abſtinere iubet ſuos, lõgiſſime à periurio eos removet, & omne fraudandi telum iis adimit. Hoc non arriſit novo Critico, ut Chriſtus omne iuramentũ ſuſtulerit illis verbis, μὴ ὀμόσαι ὅλως. *Verba,* inquit, *non recte diſtincta aut ſatis intellecta.* Quomodo igitur ea intelligis, aut diſtinguis, ὦ φοινικίδιον? Facit Chriſtum dicere, inſtituto, quod tunc obtinebat, peſſimo per cœlum terramque iurari. Ergo iurandum eſſe, ſed per nomen Dei, quia lex extat, quæ diſerte habet, *Iehovam Deum tuum timebis, & ipſum coles, ac per nomen eius iurabis.* Deut. VI. XIII. Ita igitur verba Euangeliſtæ connectit, ut illum quem vult ſenſum tinniant, ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, μὴ ὀμόσαι ὅλως μήτε ἐν τῷ οὐρανῷ. & quę ſequuntur.

Ut

Ut per illa iurari non velit Chriſtus, ſed per Deum. Si hic iurare illo modo fas, per Deum, auſim dicere, nihil eſſe falſius illa interpretatione, & interpunctione. Expreſſiſſima eſt ſentẽtia Domini de non iurando in totum, μὴ ὀμόσαι ὅλως. At cum ea ſignificatione quam ſibi fingit Criticus, dixiſſet Dominus, μὴ ὀμόσαι μήτε ἐν ἑτέρῳ. Deinde qualis hæc eſſet ratio? *Dictum eſt*, inquit Dominus, *antiquis, nõ peierabis. At ego dico vobis, non eſſe iurandum niſi per Dei nomen.* Iudicium & bona mens quo abiſtis? Non vidit Criticus, Dominum toto illo capite plus à ſuis exigere quam legẽ Moſis à Iudæis, dum multa non ſolum vetat fieri quę illa cõcederet, ſed etiam longe minora. Talionem illa ſanxerat: Dominus non ſolum eam tollit, ſed & in maxilla percuſſum alteram prębere percutiendam iubet. Lex hominis cædem vetabat: ne iram quidem licitam eſſe vult Dominus. Mœchari lex prohibet: eum vel mœchari Dominus dicit qui concupierit alterius uxorem. Iam ergo cum lege ſua Moſes iurare permitteret, dum ne peieraretur, Dominus ne iuris quidem iurandi libertatem conceſſit. Ubi itaque in totum vetuit iurare, poſtea enumerat omnia iuramenti genera quæ vulgo tunc uſurparentur.

rentur. Omne iuramẽtum ab eo prohiberi, verba eius in fine addita demonſtrant, ἔστω δὲ ὁ λόγος ὑμῶν, ναὶ ναὶ, οὒ οὔ. Ergo non vult iurari, cum hæc tantum velit uſurpari in quocunque ſermone, *eſt eſt, non non*. Ubi ſtrenue nugari Criticum hic & in aliis, oſtendemus. Qui verberatus non reverberabit, multo minus alteri inferet verbera. Ideo dixit Dominus, τῷ τύπτοντί σε ἐπὶ τὴν σιαγόνα, πάρεχε καὶ τὴν ἄλλην. Hinc in Apoſtolicæ vitæ Characteriſmo, τυπτόμενος ἐπίβαλλε. Id eſt, *pulſatus caput operito*. Quod idem eſt ac, *ſinito te verberari*. Hoc enim ſolẽne apud veteres, ut, qui verberabantur, ſi referire non poſſent, aut nollent, ii veſtis lacinia ſuper caput reiecta ſe præberent ictibus. Unde illud: ἐγκαλυψάμενός γε τύπτομαι. *capite operto vapulo*. Inde ille Eumolpus Petronianus cum lapides in eum recitantem mitterẽtur, operuit caput, & extra templum profugit. Quod tamen videri potuit feciſſe ne agnoſceretur. Cæſar cum à coniuratis impeteretur ſtrictis pugionibus, ac videret ſe repugnare non poſſe, caput operuit. *Vtque, animadvertit*, inquit Suetonius, *undique ſe ſtrictis pugiionibus peti, toga caput obvolvit*. Ita & capite operto ſe in flumen mittebant qui hoc interitu vitam finire quærebant.

bant. Ita ergo hic, τυπτόμενος ἐπίβαλλε, omnino ſignificat, *inter vapulandum caput obvolve, & te verberari patere.* Ita accipiendum liquet verbum ἐπιβαλὼν apud Marcum cap. XIV. de Petro, καὶ ἐπιβαλὼν ἔκλαιεν. Id eſt, *& capite operto flebat.* Sic enim moris fuit, & præcipue viris, quibus indecens fletus, ut capite obvoluto flerent. Et recte Theophylactus de hac interpretatione monuit, τουτέστιν, ἐπικαλυψάμενος τὴν κεφαλήν. Quæ ſola expoſitio vera eſt, cæteræ omnes falſæ. Iſocrates in Trapezitico, ἐπειδὴ ἤλθομεν εἰς ἀκρόπολιν, ἐγκαλυψάμενος ἔκλαιε. Hoc eſt, *capite operto flebat.* Quod Marco dicitur, ἐπιβαλὼν ἔκλαιε. Dum mactaretur Iphigenia, olim, qui hoc ſacrificium repræſentavit pictor, caput operuit Agamemnoni, quia flentem exhibebat, non ut auctoribus quibuſdam placet, quia triſticiam eius aliter exprimere penicillo non poſſet. Sed de hoc alibi. Ἐπιβαλὼν non poteſt eſſe ἐννοήσας, ut viro ſummo placuit, quia ἐπιβαλόμενος hoc ſenſu dicendum fuiſſet. Ridicule Criticus ſacer ἐπιβάλλει κλαίειν de eo interpretatur qui hoc vehementer, ſive μετὰ σφοδρότητος agere incipit. Ergo, inquit, ἐπιβαλὼν ἔκλαιε, ut ἀρξάμενος ἔλεγε: pro eo quod eſt, λέγειν ἤρξατο. Certe multi ex veteribus ita acceperunt

perunt interpretibus, ut Ægyptius & Latins. Hic vertit, *cœpit flere.*, Ægyptius ſimiliter quod in Arabico expreſſum eſt, جعل يبكي .Hoc eſt, Gallice de verbo expreſſum ad verbum, *& ſe mit à pleurer.* Sed in hac ſignificatione nunquam ἐπιβάλλειν Græce, ſed ἐπιβάλλεσθαι, id eſt, *incipere aliquid, conari, aggredi.* Unde ἐπιβολὴ, προκάταρξις, ἐπιχείρησις, & ſimilia. Cum autem ſumitur pro irruere cum impetu, tum ἐπιβάλλειν dicitur, non ἐπιβάλλεσθαι. Nugatur igitur Exercitator ſacer, qui ἐπιβάλλει κλαίειν exponit de eo qui vehementer flere incipit. Fefellit eum puſilla apud Theophylactum menda, quæ duas interpretationes in unam confundit, ἢ ἀντὶ τοῦ, ἀρξάμενος μετὰ σφοδρότητος. Hoc arripuit Criticus. Atqui legendum eſt, ἀντὶ τοῦ, ἀρξάμενος, ἢ μετὰ σφοδρότητος. Quæ duæ ſunt diverſæ expoſitiones. *Aut cœpit flere, aut vehementer flebat.* Si accipiatur pro ἀρξάμενος, non Græci ſolent pro eo ponere ἐπιβαλὼν, ſed ἐπιβαλόμενος. Ut ἐπιβάλλομαι τῶδε, ἢ τῶδε, hoc aut hoc facere aggredior & incipio. Sed & ἐπιβάλλετο κλαίειν potius dixiſſet, quam ἐπιβαλλόμενος ἔκλαιε. Cum autem pro irruere & cum impetu aliquid facere ſignificat, in agendi forma uſurpatur,

tur, inde ἐπιβάλλειν τῇ χώρᾳ τῶν πολεμίων, *impreſſionem facere in terram hoſtilem*. Non poteſt autem Græce dici ἐπιβαλὼν ἔκλαιε, pro, *vehementer flebat*. Nihil itaque verius, quam, ἐπιβαλὼν ἔκλαιε, id eſſe quod diximus, & *capite operto flebat*. Quod etiam in Oriente fuit uſitatiſſimum, ut alibi dicam. Ἐπιβαλὼν, eſt, iniecta capiti veſte. Et hæ ἐλλιπεῖς loquutiones frequentes tam Græcis quam Latinis. Sic ἐγκαλυψάμενος abſolute dicitur pro ἐγκαλυψάμενος κεφαλήν. Ita εἰς τὴν ἐπιοῦσαν, ſubaudiendo ἡμέραν. Sic eſt ἐπιβαλὼν, pro ἐπιβαλὼν τὴν ἐσθῆτα, iniecta in caput lacinia pallii. Inde ἐπιβολὴ ἱματίων in vita Epicuri: ὥστε ἀδυνατεῖν καὶ τὴν τῶν ἱματίων φέρειν ἐπιβολήν. Non aliter ergo & illud accipiendum, τυπτόμενος ἐπίβαλλε. Apponitur & alia nota vitæ Apoſtolicæ, ἀγγαρευόμενος προσίθει. Id eſt, *ad angariam quæ à te exacta fuerit etiam addito, ut plus facias quam à te poſtulatum eſt*. Hoc ex Dominico illo pręcepto quod eſt apud Matthæũ VI, καὶ ὅστις ἀγγαρεύσει σε μίλιον ἕν, ὕπαγε μετ' αὐτοῦ δύο. Et qui te coëgerit angariam ipſi præbere per unum milliare, vade cum eo duo millia paſſuum. Hoc eſt plane ἀγγαρευόμενον προστιθέναι. Hæc eſt ἀγγαρεία de qua Arrianus in Epicteti diſſertationibus lib.

lib. III, cap. XVIII, ἂν δὲ ἀγγαρεία ᾖ, καὶ στρατιώτης ἐπιλάβηται ζώου σου, ἄφες, καὶ μὴ ἀντίτεινε, μηδὲ γόγγυζε. *Si angaria ſit, & miles apprehendat animal tuum, ne renitaris, neque obmurmures.* Perperam interpres, *ſi abducaris in ſervitutem, & capiaris ab hoſte.* Nihil tale ſonant illa verba. Et notabis obiter, ἐπιλαβέσθαι ζώου, eſſe, animal apprehendere & capere, ne cum Critico ſacro ἐπιλαβόμενος apud Lucam accipias pro μόνον ἁπτόμενος. Qui Græce neſciret, ita interpretaretur. De quo nos ad locum ipſum. Angariæ autem locus erat præcipue expeditionis tempore, hoc eſt, ut Græci iuriſconſulti loquuntur, ἐν καιρῷ στρατοπέδου, cũ exercitus per vias militares tranſibant. Tum ius erat militibus capiendi ex municipiis & villis viæ militari proximis animalia ac iumenta ad vehendas ſarcinas ſuas. Quod cum facerent, ἀγγαρεύειν dicebantur, & ἀγγαρεύεσθαι qui hoc pati cogebantur, id eſt, *angariari.* Inde & *angaria* etiam uſurpata eſt pro vehiculari curſu & clavulari, quẽ Græci πλατὺν δρόμον, & δι' ὀχημάτων vocãt. Et ea ratione *angaria* à veloci curſu, id eſt, ὀξεῖ δρόμῳ, diſtinguebatur, quẽ nos *poſtæ* nomine hodie nuncupamus. Quia enim ruſtici iumenta tantum habebant ad vehicularem curſum idonea, ut

boves & aſinos, ideo *angaria* de clavulari curſu ſive vehiculari aliquando proprie uſurpatur. Alias Græci recentiores etiam ἀγγαρείαν pro ipſo tranſitu & evectione per viam publicam acceperunt. At veteribus ἀγγαρεία ipſa eſt δουλεία, ſervitium, vel opera quæ ab invito præſtatur. Angariabantur autem homines vel in proprio corpore & perſona, vel in ſuis animalibus quæ præſtare ad angariam adigebantur. In perſona propria, ut hic in Euangelio, καὶ ὅστις σε ἀγγαρεύσει μίλιον ἕν. Et apud eumdem Matthæum cap. XXVII, de Simone Cyrenæo, quem milites qui Chriſtum ducebant, ad baiulandam eius crucem per angariam coëgerunt. Hæc perſonalis angaria dicta eſt infimo latinitatis & barbaro ævo *manopera*: quæ ad vehicula præſtabatur, *carropera*. Milites autem, ut dixi, expeditionis tempore, dum exercitus procederent, angariare ſolebant. Atque ita accipiendus locus Euangeliſtæ, ὅστις σε ἀγγαρεύσει, de milite. Sententia autem Stoica, quæ iubet τὸ ἀγγαρευόμενον animal ſuum ſponte militi dimittere, nec contra tendere, nec murmurare, ne comparanda quidem eſt cum Chriſti præcepto, qui præcipiebat, τὸ ἀγγαρευόμενον προσθεῖναι. Stoicus voluit tantum, ut quod neceſſe erat

vel

vel invito & coacto facere, ut id volens atque hilaris lubenſque faceret. At non magnam rem præſtat qui quod omni modo patiendum eſt, id volens patitur. Nam ut addit ibidem Epictetus, εἰ δὲ μὴ, πληγὰς λαβὼν, οὐδὲν ἧττον ἀπολεῖς καὶ τὸ ὀνάριον. *Si vero volens non dimiſeris, verberibus acceptis nihilominus aſinum tuum amittes.* Lucratur igitur verbera, & iacturam ſui animalis, qui volens illud militi capienti concedit per angariam, Amplius Chriſtus, cui neceſſitas & angaria incumbit per unum tantum milliare cum milite aliquo eundi, vult etiam adiici unum à volente milliare præter illud ad quod angariatus eſt. Qui hoc faciet, longe magis aberit ab angariando altero, dũ ad eam angariam quam cogitur præbere, alterum tantum addit ex propria voluntate, cui nõ eſt obnoxius. Qui iubet, ad unum miliare angariatum, alterum adhuc miliare adiicere ſponte ſua, an non ille & debitorem, præter uſuras pactas & legitimas creditori ſuo alterum tantũ pro fœnore ſolvere iuberet, etiã non rogatum? Idem ſane eſt ἀγγαρευόμενον προστιθέναι, & δανειζόμενον maiores uſuras quam quæ promiſſæ ſunt, præſtare. Cui & ſimile eſt præceptum mutuanti datum à Domino, ut etiã fœneretur non reddituro. Hu-

ius generis ſunt omnia Domini præcepta quæ ad perfectioris πολιτείας faſtigium nos evehunt. In dandis talibus mandatis legem ſe implere dicebat, nõ diſſolvere. Et certe, qui plus præſtat, tanto facilus & minus poteſt præſtare. Minor quippe abſtinentia ac temperantia continetur maiore, & qui oculos ſuos continet ne alienam uxorem concupiſcant, tanto magis ab adulterio eius ſe continebit, quod lex vetat. Legalis charitas non ulterius ſe extendebat quam ut ne quis alteri faceret quod ſibi fieri nollet. Ex talione quippe Moſaica hoc præceptum dependet. Non vis te verberari? ne alium verberato. Non vis te augariari? ne alteri angariam imponito. Non vis tibi tuum animal ſubripi? alteri ne hoc facito. Uſuras legitimis maiores non vis à te exigi? nec exigito ab altero improbas. Hæc eadem charitas legalis proximum ſuum diligendũ iubebat, & inimicum odio habendũ. Chriſtus eam perfectiorem reddere voluit, præcipiendo diligi debere & inimicum. Inde & ille ἀποστολικῆς πολιτείας character, μισούμενος ἀγάπα, διωκόμενος ἀνέχου. Loco autem illius præcepti legalis quo talio aſſerebatur, *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, ſubrogavit iſtud Chriſtus, plenius ac perfectius cha-

charitatis exemplar: *Et prout vultis ut faciant vobis homines, facite vos illis ſimiliter.* Quod præceptum latiſſime patet, & charitatem conſummatã, & omnibus ſuis numeris abſolutam exhibet. Et in Matthæo dicit, *hoc eſſe legem & prophetas.* Etenim qui iſtud ſervabit, tanto magis & illud legale cuſtodiet, *quod vobis fieri non vultis, aliis ne faciatis.* Quippe ut ait Tertullianus, in illo præcepto, *& ſicut vobis fieri vultis ab hominibus, ita & facite illis*, utique alia pars eius ſubauditur, *Et ſicut vobis non vultis fieri ab hominibus, ita & vos ne faciatis illis.* Chryſoſtomus in homilia XVIII in poſteriorẽ ad Corinthios, longe plus eſſe dicit in iſto præcepto Chriſti, quo iubemur *omnia facere aliis quæ nobis volumus fieri*, quam in altero legali, quo vetamur *alteri facere quod nobis nolimus fieri.* Ὅσα, inquit, ἐὰν θέλητε ἵνα ποίησωσι ὑμῖν, καὶ ὑμεῖς ποιεῖτε αὐτοῖς. οὐδὲν φορτικὸν, οὐδὲ ἐπαχθὲς, οὗτος ὁ νόμος ἔχει. ἃ θέλεις πάσχειν, ταῦτα ποίει, φησί. ἴση ἡ ἀντίδοσις. καὶ οὐκ εἶπεν, ἃ μὴ θέλεις πάσχειν, μηδὲ ποιεῖτε, ἀλλὰ τὸ πλέον. ἐκεῖνο μὲν γὰρ ἀποχὴ κακῶν, τοῦτο δὲ ἐργασία καλῶν. κἀκεῖνο τούτῳ συμπεριείληπται. *Quæcunque vultis ut faciant vobis, & facite ea vos ipſis. Nihil grave aut moleſtum hæc lex habet. Quæ vis pati, hæc aliis fac, inquit. Par remuneratio eſt. Et non di-*

xit, quæ non vultis pati, nec facite, ſed aliquid amplius. Illud enim abſtinentia à malis, hoc bonorum operatio. Et illud iſto continetur. Charitas perfectiſſima & conſummatiſſima ex hoc præcepto educitur. Vis te cum nudus es tegi, cum eſuris paſci, cum in carcere es liberari, cum inopia premeris ſublevari? hæc ſimiliter aliis præſtato. Poſſes pati, cum pecunia eges, eam tibi gratuitam commodari? hanc alii pariter egenti ſine uſura da. In altero præcepto nõ eadem vis eſt. Vetat tantum ne quis alteri faciat quod fieri ſibi nollet. Apud Lucam cap. VI, ſtatim poſt illud præceptum, *& ſicut vobis fieri vultis ab hominibus, ita & vos facite illis*, ſtatim ſubiungitur, ſi diligamus qui nos diligunt, non magnum à nobis præſtari, cum & peccatoribus idem ſit mos, neque ſi bene fecerimus his qui nobis benefaciunt. Deinde ſequitur; *Et ſi mutuum dederitis his à quibus ſperatis recipere, quæ gratia eſt vobis? Nam & peccatores peccatoribus mutuum dant, ut recipiant æqualia,* καὶ γὰρ οἱ ἁμαρτωλοὶ ἁμαρτωλοῖς δανείζουσι, ἵνα ἀπολάβωσι τὰ ἴσα. Hunc locum nec pro uſuris nec contra uſuras facere, alibi docuimus, qui tamen vulgo affertur ad uſuras impugnandas ab earum adverſariis. Hoc Domini dictum convenit cum cæteris

quæ

quæ præcedunt, & eodem plane pertinet. Nemini negandum eſſe aliquid petenti, non ſolos eſſe diligendos amicos & benefactores, dandum eſſe mutuum illis à quibus non ſperes te quidquam eſſe recepturum. Cum enim ait Chriſtus, & peccatores peccatoribus ita dare mutuum, ut accipiant quod dederint, hoc eſt, τὰ ἴσα, ſi nihil plus fecerint qui perfecti videri volunt, quæ gratia hinc illis aut quæ merces expectanda? Certiſſimum autem eſt, & inter peccatores Iudæos extitiſſe qui mutuum darent, τὰ ἴσα tantum recepturi, hoc eſt, ſine uſuris. Nec enim aliter per eorum legem licebat Iudæum dare Iudæo, cum uſuræ inter ipſos à Moſe eſſent vetitæ. Phariſæis autem qui inter Iudæos ſectam perfectioris πολιτείας affectabant, reliqui non adeo ἀκριβεῖς legis cuſtodes, pro ἁμαρτωλοῖς habiti. Sed & inter gentes fuiſſe multos ſatis conſtat qui mutuum darent ſine fœnore, τὰ ἴσα tantum recepturi. Cum hæc ita ſint, noſtro tamen Theologo non potuit iſta interpretatio placere. Putat enim, verba Lucæ ut concepta ſunt, non excludere modicæ uſuræ æquabilem compenſationem. *Quia eſt,* inquit, *aliquid, quod videatur, illũ quaſi ipſum fructum exprimere. Nam & loquutio illa, ut*

 paria

paria accipiant, finem notat utilem, qui in nuda reſtitutione ſortis nullus eſt. Et Græcum vocabulum, τὰ ἴσα, ſignificat, τὸ δίκαιον, τὴν ἰσότητα, ſeu iuſticiæ æqualitatem in mutuo. Hæc ille. Ergo τὰ ἴσα apud Lucam ſunt uſuræ modicę, iuſtę, æquabiles, ſecundum Theologi ſententiam. Ego nunquam ἴσους τόκους Gręce legi pro modicis & æqualibus uſuris. Sed nec ſcio quæ ſint *uſuræ æquales* Latine. Aequales ſorti ſunt cum eam exæquarunt, & cum ſorte pariaverunt. Qui non plus reddit quam accepit, τὸ ἴσον illum reddere, vel τὰ ἴσα, nemo eſt tam communis ſenſus expers, & tam Græci ſermonis imperitus, qui ignoret. Sic *par pro pari referre* Latine dicitur de eo qui vicem reddit, atq; eadem quidẽ menſura. Si plus rependat, non iã par pro pari ab eo refertur. Τὸ ἴσον & τὸ πλέον ita ſemper opponebatur apud Græcos. Nam τὸ ἴσον mediũ eſt inter τὸ πλέον & τὸ ἔλαττον. Atq; hinc omnis petenda definitio lucri & dãni, & eius quod inter utrumq; medium eſt, quo nec lucrum facimus, nec damnũ patimur. Qui plus accipit quã dedit, τὸ πλέον ἔχει. Et hoc lucro apponendum eſt, ut in illo qui uſuras ultra ſortẽ accipit. Qui minus accipit quam dedit, iacturam facit pro lucro. Ut ſi quis debitor totam ſortem reddere impos, paciſceretur

retur de dimidia parte reſtituenda cum ſuo creditore. Quod ſæpe fit. Hic τὸ ἔλαττον locum habet. At cum aliquis ſortem ipſam recipit ſine ullo augmento, aut detrimento, tum τὰ ἴσα, vel τὸ ἴσον recipit. Ariſtoteles in v. Nicomachiorum cap. VII, egregie hanc differentiam tractat his verbis: τὸ μὲν γὰρ πλέον ἔχειν ἢ τὰ ἑαυτοῦ, κερδαίνειν λέγεται. τὸ δ᾽ ἔλαττον τῶν ἐξ ἀρχῆς, ζημιοῦσθαι, οἷον ἐν τῷ πωλεῖν καὶ ὠνεῖσθαι, καὶ ἐν ὅσοις ἄλλοις ἄδειαν ἔδωκεν ὁ νόμος. *Etenim qui plus ſuo habet, lucrum facere dicitur: qui minus quam quod initio habuit, damnum pati, ut in venditionibus & emptionibus, & aliis quibuſcunque licentiam lex dedit.* In his etiam fœnus apud Atticos locum habuit, cui ἄδειαν dederat ὁ νόμος, ut aliis contractibus, empti venditi, locati conducti, commodati & cæteris. Addit protinus philoſophus: ὅταν δὲ μήτε πλέον μήτε ἔλαττον ἀλλὰ αὐτὰ δι᾽ αὐτῶν γένηται, τὰ αὐτῶν φασιν ἔχειν, καὶ οὔτε ζημιοῦσθαι, οὔτε κερδαίνειν. ὥστε κέρδους τινὸς, καὶ ζημίας μέσον τὸ δίκαιόν ἐστιν τῶν παρὰ τὸ ἑκούσιον, τὸ ἴσον ἔχειν καὶ ὕστερον καὶ πρότερον. *Cum vero nec plus, nec minus, ſed illa ipſa habere cœperint,* quæ antea ſcilicet habuerãt, *tũ ſuum eos habere dicunt, neq; lucrum facere, nec damno affici. Sic inter lucrum & damnum medium locum obtinet quod iuſtũ eſt in contractibus voluntariis,*

tariis, paria nempe habere nunc & olim. Sic hæc vertenda. Τὸ ἴσον ἔχειν πρότερον καὶ ὕστερον, par pari habere ante & poſtea, qui idem prorſus, ac pari quantitate, numero ac menſura recipit quod dederat. Ut ille cui ſua pecunia redditur ſine uſuræ acceſſione. Hæc enim lucrum eſt, & τὸ πλέον. Nullum quippe tam modicum fingi poteſt uſuræ incrementum ultra ſortem datum, quin τὸ πλέον illud invehat, ac τὸ ἴσον perdat. Heſiodus in mutuo reddendo αὐτῷ τῷ μέτρῳ, commendat, quod eſt τὸ ἴσον. Sed cum adiicit, καὶ λώιον αἴκε δύνηαι, τὸ πλέον vult reddi. Ariſtophanes in uſura definienda, τὸ πλέον ἀεὶ γίνεσθαι dicit. Sic *pares rationes* Latinis dicuntur, cum accepta datis paria ſunt, nec alterum altero ſuperatur. Ἴσος ζυγὸς Græcis, cum lances ita pares ſunt, ut neutra inclinet, aut elevetur. Quis ergo dubitare poſſit, præter Theologum, quin τὰ ἴσα recipere aut reddere idem ſit atque ſortem ipſam ſine ullo augmento & acceſſione? Non refutabo pluribus quæ ille congeſſit ad eam ſententiam adſtruendam, cum uno verbo liceat dicere, omnia eſſe falſiſſima. Hæc omnia Chriſti præcepta, quæ ſupra expoſuimus, eius generis ſunt, ut ſupra legẽ videãtur eſſe, ſed eo fine, quo melius

melius mandata legis impleãtur, & perfectius. Tanto quippe facilius proximũ diliget, quod lex iuſſit, qui à ſe impetraverit, nec inimicũ odiſſe, quod lex permittebat. Per iram non occidet quemquam qui ne fratri quidem iraſci ſuſtinebit, quod Chriſtus præcipit. Qui paratus erit omnia bona amittere, & in contrahendis negotiis circumſcribi non magni pendet: quique in omnibus ἐλαττωτικὸν ſe potius oſtendet, & μειονεκτικὸν, quam ἀκριβοδίκαιον, hic longius diſtabit à πλεονεκτικῷ & iniuſto quam qui ἀκριβοδίκαιος fuerit. Facilior enim ac brevior tranſitus ab eo homine qui nimis exacte & acerbe ius ſum perſequitur ad iniuſticiam & πλεονεξίαν, quam ab illo qui inde abeſt longiſſime, dũ perdere ſuum potius optat, quam acerbe illud exigere. Nam, ut inquit ille, *plerumq; ſummum ius, ſumma iniuria eſt.* Quo ſpectãt omnia illa Domini præcepta, ad legis præſcriptum quaſi ultra menſuram & regulam pro cumulo addita, ut ad obſervandam legem ipſam magis conſtringerentur homines illo quaſi ἐπιμέτρῳ. Ubi omnia illa proſequutus eſt Chriſtus apud Matthæum cap. v, ſub finem capitis addit pro clauſula, ἔσεσθε οὖν ὑμεῖς τέλειοι ὥσπερ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς τέλειός ἐστιν. Ab eorum om-

omnium præceptorũ quæ toto illo capite tradita ipſis à Domino ſunt, obſervatione futuros eos perfectos dicit, ut pater ipſorum in cœlis perfectus eſt. Quo ſenſu hic τέλειοι dicantur, non admodum obſcurum eſt. Ita dicebat Chriſtus illi diviti qui ſe iactabat omnia mandata legis impleſſe, & quærebat quid amplius ſibi eſſet faciendum, ut acquireret vitam æternam, εἰ θέλεις τέλειος εἶναι, ὕπαγε, πώλησόν σου τὰ ὑπάρχοντα, καὶ δὸς τοῖς πτωχοῖς. *Si vis perfectus eſſe, vade ac vende iſta quæ habes, & da pauperibus.* Apud Lucam pro illis, εἰ θέλεις τέλειος εἶναι, ſcriptum eſt, in eadem narratione, ἔτι ἕν σοι λείπει, πάντα ὅσα ἔχεις πώλησον, καὶ δὸς πτωχοῖς. *Adhuc unum tibi deeſt.* Quod eamdem habet ſententiam. Nam cui aliquid deeſt, perfectus non eſt. Non tentandi illius divitis gratia hæc ei à Domino dicta eſſe, apparet cum ex aliis, tum etiam quod ubique omnibus Chriſtus idem præcipiebat, ut bona ſua venderent & elargirentur pauperibus. Ut apud eumdem Lucam XII, πωλήσατε τὰ ὑπάρχοντα ὑμῶν, καὶ δότε ἐλεημοσύνην. Ergo τέλειοι ſunt quibus nihil deeſt ad perfectionem vitæ atque inſtituti illius, quod nihil aliud ſibi proponit præter exactiſſimã legis ac voluntatis divinæ obſervationem.

Sic

Sic τελείυς futuros dixit Dominus Apoſtolos, ſi illa omnia præcepta eius obſervarent quæ ad eam τελειότητα conſequendam pertinerent, qua perficitur in nobis, quanta maxima poteſt ineſſe, Deo ipſo iuvante, Dei dilectio, & proximi charitas. Sacer Exercitator ad illa verba, Lucę ἔτι ἕν σοι λείπει, notat, *paradoxum eſſe æterna ſapientia dignum*. Quomodo paradoxum hoc Deo poſſit eſſe quod ne ſapientiæ quidē humanæ tale unquam viſum eſt? Omitto philoſophos, inter quos, quāvis in diverſa opinionū diviſos, ſemper tamen & omnino conſtitit, divitias homini ad ſummum hominis bonum tendenti eſſe maxime contrarias. Huiuſmodi ſententiarum pleni etiam ſunt oratorum & hiſtoricorum libri. Nequiſſimus ille libidinum Arbiter *paupertatem, ſororem bonæ mentis eſſe* dicit. Adeo hæc veritas in omnium oculos mentemque incurrit, etiam eorum qui non ad eius normam vitam ſuam formant. Avaricia fere ſemper ſequitur divites, ſive dū nimis tenaces ſunt in ſervandis quę iā quæſierunt, ſive quærendi adhuc quod non habent per fas ac nefas cupientiſſimi. Hæc πλεονεξία eſt, illa κιμβικία. Utraque certe avaricia. Nam omnes πλεονέκται avari, quamvis non omnes avari πλεονέκται.
Hi

Hi tamen, qui πλεονέκται non ſunt, nec expendere ſua vellent in pauperes, nec illa ullo modo perdere pro nomine Chriſti. Multo minus id facerent qui alieno inhiant atque imminent. Nam & hi minus habent charitatis. At charitatem qui non habet, etiāſi alia omnia habeat, & mandata cętera impleverit, non poteſt dici perfectus. Ideo Dominus cum hoc iuveni diviti dixiſſet, vade & vende quæcumque habes, & da pauperibus, triſtemque ex eo receſſiſſe videret, nimis addictum ſuis facultatibus inde eſſe cognovit quā ut perfectam habere charitatem poſſet, quæ totius boni ſumma eſt, teſte Auguſtino. Idem ergo ἓν ἔτι σοι λείπει, ac ſi dixiſſet, οὐκ ἔτι τέλειος εἶ. Ideo apud Matthæum pro eo habetur, εἰ θέλεις εἶναι τέλειος. In omnibus ſcientiis, & artibus, alii ſunt incipientes, alii proficientes, alii perfecti ac τέλειοι. Hi nimirū ſunt, qui artis aut doctrinæ ſummā attigerunt, quibus nihil deeſt ad abſolutam eius ac perfectam cognitionem. Ita Stoici in ſapiētiæ ſtudio alios eſſe προκόπτοντας, alios τελείους, tradūt. Hunc τέλειον ipſorum ſapientem, de quo mira prædicant, rarum eſſe inventu, immo nec inventum unquam ad eam quam exigunt normam, fatentur, ut nec perfectum orato-

oratorem dicendi magiſtri . Quod idem dicere liceat de quibuſcunque artibus & doctrinis. Pro perfecto tamen eſt qui perfecto proximus. Nec illum τέλειον Græcorum ſapientem aliter poſſis reddere Latine quam *perfectum*. Atque ita vocat Seneca, vel *conſummatæ ſapientiæ virum*. Quidni & eo modo *perfectus* ſit ac dicatur in perfecto ſapientiæ genere, quæ θεοσέβεια eſt? In hac, ut & ſapientia humana, Eſt aliqua prodire tenus ſi non datur ultra. Qui hoc unum ſtudet, in eoq; ſe totum exercet, poteſt plures exequi numeros, etſi non omnes, eius perfectionis ad quam contendit, quam qui nec de ulla eius parte aſſequenda cogitat. Ut omnis ars perficitur exerercitatione aſſidua, ita & ſapientia ipſa humana, ita quoque & divina, quæ θεοσέβεια eſt. Librum ſcripſit Philo, cuius titulus, βίος σοφοῦ τοῦ κατὰ διδασκαλίαν τελειωθέντος. Eſt & aliqua τελείωσις in pietatis exercicio iugi & frequenti, quod multũ conducit ad ſummam conſequendam. Illum in quo Dei dilectio perfecta eſt, an non *perfectum* dicere poſſumus? Sic loquitur Iohannes Epiſt. I cap. IV. ἐὰν ἀγαπῶμεν ἀλλήλους, ὁ Θεὸς ἐν ἡμῖν μένει, καὶ ἡ ἀγάπη αὐτοῦ τετελειωμένη ἐστὶν ἐν ἡμῖν. Sed & ipſi τῇ ἀγάπῃ τελειοῦσθαι dici-

mur, cum Deum toto corde diligimus, & proximum ſicut noſmet ipſos. Cum perfectio hominis poſita ſit in Dei cognitione ac ſui, in meditatione legis divinæ atque obſervatione, quod perfectum eius bonum eſt, τέλειον ἀγαθὸν, perfectus etiam quodammodo erit qui ad eam toto corde, toto animo, ac ſtudio adſpirabit. Et poſſumus omnino talẽ in homine perfectionẽ eſtimare, modo quantacunq; poteſt in eum cadere, à Deo ipſo dari eam credamus, à quo principium, medium, & finis vel ſumma perfectionis. Quis negabit, perfectiorem eſſe Dei cultorem qui plura eius mandata cuſtodierit quam qui nulla? Qui diligentiſſime ea ſervaverit quam qui negligenter? Σῶμα δουλαγωγῶν, φρόνημα ταπεινῶν, ἐννοίᾳ καθαρεύων, ὀργὴν ἀφανίζων, ἀγγαρευόμενος προστιθεὶς, τυπτόμενος ἐπιβάλλων, ἀποστερούμενος καὶ μὴ δικαζόμενος, μισούμενος καὶ ἀγαπῶν, διωκόμενος καὶ ἀνεχόμενος, βλασφημούμενος παρακαλῶν: Qui hæc omnia pro virili exequi conabitur, quæ præcepta continentur ſupraſcripto capite v. Matthæi, nonne quod in fine eius pro concluſione à Chriſto adiicitur, τέλειος erit ſi comparetur cum illo qui nihil eorum ad curam ſuam & ſtudium revocaverit? Sed qui τέλειος ibi vocatur à Chriſto, non eſt *perfectus*. Ita

certe

certe videtur Exercitatori ſacro, qui in virum ſummũ Bezam arietat quod ita cũ veteri interprete reddiderit. Quid igitur ille ſibi vult? *Huiuſmodi interpretationes & voces Catharos, Novatianos, alioſque id genus omnes quos puritatis demens afflavit opinio, primo peperiſſe aut confirmaſſe.* Quod eſt ridiculum. An Cathari & Novatiani τελείου vocem inſerſerunt in Novum Teſtamentum? Sciat Criticus, ubicunq; τέλειος in Græcis reperietur, ibi comparere poſſe & *perfectum* Latinorum. Cum dixit Dominus illi diviti qui omnia ſe mandata legis à puero impleſſe iactabat, εἰ θέλεις τέλειος εἶναι, ὕπαγε, πώλησον τὰ ὑπάρχοντά σου, quomodo ea verba vertenda cenſeat Criticus, velim ab eo exquirere. An eodem modo quo hic interpretatur, ea interpretabitur, *ſi vis eſſe integer?* Id eſt, ut eam vocem exponit, innocens, ſincerus, & minime hypocrita. Ita enim hoc loco Matthæi Latine vult reddi, τέλειοι ἔσεσθε, *integri eſtote.* Ergo & reliqua quæ ſequuntur ſic vertenda: ὥσπερ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς τέλειός ἐστι. *Quemadmodum & pater veſter qui eſt in cœlis, integer eſt.* Id eſt, *innocens & ſincerus.* Deus quidẽ ſolus perfectus, id eſt τέλειος, & ſolus ſapiens. Clemens in Pædagogo II. cap. X. σοφὸς δὲ ὁ Θεὸς μόνος, ἀφ' οὗ ἡ σοφία, καὶ

τέλειος μόνος, διὰ τοῦτο καὶ μόνος ἐπαινετός. An hic Θεὸν τέλειον pro innocente ac integro interpretaretur Criticus? Quod Deus ſolus vere ſit ſapiens, hoc non prohibet quin homines laudentur tanquam ſapientes, eo modo quo eſſe ac dici tales poſſunt. Sic Deum ſolũ eſſe ἀγαθὸν, ac dici debere, Dominus ipſe dicit. Homines tamen ἀγαθοὺς ſæpe vocamus, viros bonos, qui de Dei imitatione boni ſunt, in quantum eſſe poſſunt. Ita ergo & τέλειοι homines pro captu ſuo efficiuntur imitatione Dei, qui eſt ſolus vere τέλειος & à quo omnis τελειότης procedit quæ in hominem poteſt cadere. Præclaræ illius verſionis, quæ τέλειον *integrum* reddit, auctorem habet Criticus gloſſarii conſarcinatorem, qui ἀκεραίους, *integros*, exponit. An τέλειοι hic ἀκέραιοι ſunt? Certe ἀκέραιος interdum & ὁλόκληρον ſignificat Græcis. Sed ut ὁλόκληρος pro integro qui innocens eſt nunquam uſurpatur, ita nec τέλειος, dum pro ὁλοκλήρῳ accipitur, & cui nihil ad perfectionis ſummam deeſt. Sed unam anchoram acutus & ſagax Criticus ſuo navigio ſufficere non putavit. Attulit & aliam interpretationem vocis τέλειος, & hanc deprompſit ex myrothecio linguæ ſuæ Helleniſticæ. *Videndum*, inquit, *ſemper*

per quid ædificet, quæ mens cuiuſque loci: quid poſtremo lingua quā in ſuis Novi Fœderis auctores exprimunt, admittat aut requirat. Illa lingua ipſi eſt Helleniſtica. Videamus itaque qualē ædificationem nobis ex ea dialecto ad huius loci novam ſententiam adſtruendam ſuppeditet. *Mihi quidem*, inquit, *exprimi τὸ* שלמים *vix dubitandum videtur, qui non modo integri, quod dixi, ſed & mites ac pacifici vocantur.* Adfert deinde locos ſcripturæ, ubi vox שלמים redditur à Græcis quos Helleniſtas putat, per εἰρηνικοί. Cum verbum porro Hebræum שלם, etiam perfectum & integrum ſignificet, inde & τέλειον Græcorum idem vult eſſe quod εἰρηνικὸν, mitem ac pacificum. Ita certe & καίεσθαι Græcorum bardum eſſe atque hebetem notavit, quia vox Hebraica utrunque denotet, & bardum eſſe, & ardere. Hæc certe ſpeluncam leonum non quærunt, ſed manſionem illam quam nolo dicere. Et videbimus aliquando an *coram ſole ac die* hæc defenſurus ſit. Sed cur τέλειοι hic apud Matthæum pro mitibus & pacificis accipientur? *Videatur*, inquit, *quod de fratribus ac hoſtibus præcedit, videatur totus locus, qui cum hoſte ipſo pacem colere & amorem iubet.* Immo videatur totum caput, in quo multa alia præcepta dantur præter illud

 de pa-

de pace & gratia cum inimicis cōcilianda, ut de non aſpicienda muliere aliena ut cōcupiſcatur, de nō iurādo, de non referiendo verberatore, de nemine qui aliquid petat repellendo, atque aliis quæ ſuperius expoſuimus. Quæ omnia præcepta ad conſummandam θεοσέβειαν pertinent. Nam pro ἐπιμέτρῳ addita, ad legem adimplendam magis faciunt, & perfectius exequendam. Ideo poſt tradita illa præcepta ſubiunxit Dominus, ἔσεσθε οὖν τέλειοι, *perfecti ergo eritis*, ſi omnia illa quæ dixi vobis, adimpleveritis. Ut ut ſit, nunquam ex ſua Helleniſtica perficiet Criticus ſacer, ut τέλειος ſit pacificus, & mitis vel innocens. Ab illo præceptorum Dominicorum genere, perfectionem, in quantum eius capax eſt, homini Chriſtiano conciliantium, nata illa πολιτεία in Eccleſia primitiva, quæ ad Apoſtolicæ vitæ imitationem ſe totam componeret. Ita primi Chriſtiani magna ex parte vixere. Non negotiabantur, non fœnerabantur, omnia indiſcreta inter ſe habebant. Poſtea ſoli preſbyteri & Epiſcopi, ea ſemita ivere. Deinde, ubi & iſti ad communem redierunt vitam & βιωτικὴν, monachi & anachoretæ antiqui eam ſectam ſequi inſtituerunt, & ἄσκησιν vocarunt. De qua nos alibi.

alibi. Hinc duplex inſtituendæ vitæ genus in Eccleſia Chriſtiana, teſte Philone, cuius hęc verba apud Suidam leguntur. Ἡ τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησία δύο βίους νομοθετεῖ καὶ τρόπους, τὸν μὲν ὑπερφυῆ καὶ τῆς κοινῆς καὶ τῆς ἀνθρωπίνης πολιτείας ἐπέκεινα, οὐ παιδοποιίαν, οὐ περιουσίαν ὕπαρξιν παραδεχόμενον, ἀλλ' ὅλον τῆς κοινῆς καὶ συνήθους τῶν βιωτικῶν ἀνθρώπων ἀγωγῆς παρηλλαγμένον. *Eccleſia Chriſti duo vitæ genera & ſectas inſtituit. Vnā quæ ſupra naturam eſt, ultra communem & humanam converſationem, non admittens liberorum procreationem, neque bonorum acquiſitionem, ſed in totum à vulgari & ordinario hominum ſecularium inſtituto diverſam.* Hic plane ἀπερίστατος βίος ac τρόπος, qualem ſupra deſcripſimus. Sequitur in verbis Philonis τῶν περιστατικῶν, quos & βιωτικοὺς vocabant, deſcriptio. Ὁ δὲ δεύτερος καὶ ὑποβεβηκὼς ἀνθρωπινώτατος, καὶ τοῦ πρώτου λίαν ἀσύγκριτος, ὃς καὶ γάμοις συγκατιέναι σώφροσι καὶ παιδοποιίαις, οἰκονομίας τε τῆς κατὰ τὸ δίκαιον ἐπιμελεῖσθαι, καὶ στρατευομένοις τὰ πρακτέα ὑποτίθεται, ἀγρῶν τε καὶ ἐμπορίας καὶ τῆς ἄλλης πολιτικῆς ἀγωγῆς φροντίζειν. *Secundi autem ordinis & inferioris vita maxime ad humanum modum comparata, nec comparanda cum priore. Quæ & nuptiis caſtis copulari, & liberis procreandis operam dare, & rei familiaris adminiſtrationi ſtudere cum nullius iniuria præcipit, & militibus, quæ agenda ſint, præſcribit,*

& agriculturæ ac mercaturis inſiſtere, aliaque civilia munia & officia procurare. Quæ deſumpta eſſe opinor ex Philonis opere quod hodie non extat περὶ τῆς διαγωγῆς τῶν χριστιανῶν. In hoc vitæ Chriſtianæ inſtituto, cui & mercatura & negotiatio, & rei amplificandæ familiaris ratio, & aliæ adminiſtrationes civiles curæ fuerunt, non dubium quin & fœneratio legitima, ſollemnis & uſitata fuerit. Nam vel ſub οἰκονομίᾳ à Philone comprehenſa eſt, ut apud Ariſtotelem τῆς οἰκονομικῆς partẽ facit πρόσοδος ἀπὸ ἀργυρείου, cum à privatis fœnus exercetur: vel ſub ἐμπορείᾳ, cum ad publicam nundinationẽ, qualis eſt τραπεζιτικὴ, refertur. Forſan & ſub illis verbis intelligitur, καὶ τῆς ἄλλης πολιτικῆς ἀγωγῆς. Patres quoque antiqui hoc duplex vitæ Chriſtianæ genus agnoverunt cum Philone: unum perfectum, ut ſublimius: alterum minus perfectum, & magis humanum, cum illud eſſet hominum quaſi humanitati renuntiantium, ut ad altiora & diviniora contenderent. Athanaſius: δύο εἰσὶν ὁδοὶ ἐν τῷ βίῳ καὶ δύο πολιτεῖαι. ἡ μὲν μετριωτέρα καὶ βιωτικὴ, φέρουσα καρπὸν ἐν λ, ἡ δὲ ἀγγελικὴ καὶ ἀποκόσμιος, φέρουσα καρπὸν τὸν τέλειον ἐν ρ. *Duæ ſunt viæ, ſive ſectæ in vita, & duæ converſationes. Vna meriti mediocris & ſæcularis, quæ trige-*

trigeſimæ frugis fœnus reddit: altera angelica, & mundo abdicata, quæ fert fructum centeſimi fœnoris, perfectum. Vocat πολιτείαν uniuſcuiuſque vitæ inſtitutum ac morem. Nam ut ait Ariſtoteles, πολιτεία eſt ὁ πόλεως βίος. Immo πολιτῶν pluriũ, inſtitutis ac moribus legibuſq; iiſdẽ utentium ſub eodem rectore, vel magiſtratu. Hinc & pro eo vitæ modo ſumitur quem quiſque ſibi privatim proponit ſectandum. Arabes vocant سيرة. Secta igitur illa quæ fructum reddit perfectum, ipſa etiam perfecta. Nam τέλεια τῶν τελείων. Eorum & τέλειαι ἀρεταὶ dicuntur, & θεῖαι, & ἐπιστημονικαὶ, & θεωρητικαί. At ſectæ imperfectioris virtutes propriæ ſunt, βιωτικαὶ, πολιτικαὶ, & πρακτικαὶ, atque etiam ἠθικαί. Nec velim cum Critico ſacro ea voce *perfectionis* eos abſtinere qui vertenda ſibi ſacra ſumpſerunt, modo recte exponatur, & omnis illa perfectio quantæcunque homo capax eſt, Deo accepta feratur. Etiam apud Iudæos duplex illud vitæ genus celebratum. Sanctius in ſpeciem, & ſublimius Phariſei tenuerunt: alterum inferius ac meriti minoris atque ordinis, homines quicunque negotiis ſeſe applicarent. Georgius Monachus: ἐκοσοῦ ὥσπερ ὁ παλαιὸς νόμος εἰς δύο βίους ἦν διῃρημένος, εἴς τε τὸν φαρισαϊκὸν καὶ τὸν ὑψηλὸν, καὶ εἰς τὸν ὑποδεέστερον,

ρον, κοσμικὸν, οὕτω δὴ καὶ ὁ κατὰ χριστιανισμὸν νέος θεσμὸς, εἰς μοναστικὸν ὑπερφερῆ καὶ βιωτικόν. Et quemadmodum lex vetus in duas ſectas erat diviſa, in phariſaïcam & ſublimem, & in inferiorem ac mundanam, ſic & nova per chriſtianiſmum inſtitutio in duo genera vitæ diſtincta eſt, in monaſticum, quod antiſtat & excellit, & ſæculare. Certe & Phariſæi, inquit, ita appellati, quod ſe ab aliis ſegregarent, caſtitatis plenioris & innocentiæ merito maiore, & legum exactiore ac diligentiore obſervatione, εἰς τε τὸ καθαρώτατον τοῦ βίου καὶ ἀκριβέστατον, καὶ τὰ τοῦ νόμου ἐντάλματα. Sed illi quidem hypocritæ. Cæterum, ſi quod ſimulate agebant, ſerio & vere egiſſent, & quam ſanctimoniam vitæ profitebantur, eam re ipſa præſtitiſſent, nihil illis hominibus extitiſſet perfectius, ut hoc etiam utamur nomine. Græci quoque philoſophi vitam humanam in duas ſectas diviſerunt, ſapientumque alteram fecerunt, alteram βιωτικῶν. Illa & θεωρητικὴ, hæc πολιτικὴ & πρακτική. De utriuſque differentia multa diſſerebamus anno ſuperiore ad Epictetum, quæ hic non repetemus. Ergo & inter Chriſtianos in Eccleſia ſtatim primitiva duæ hæ ſectæ ac πολιτεῖαι locum habuerunt. Una, quæ ἀπὸ τῶν σωμάτων & σωματικῶν παθῶν lõge refugere tendebat, altera

quæ

quæ in communi vita permanebat, Prior illa ita quidem perfecta præ iſta habenda & vocanda, ſi tamen nihil ſanctitatis meritoriæ in tali propoſito reponat, *καὶ ὡς ἂν ἐκ τούτου δικαιοσύνην ἔχουσα, tanquã per hoc ſe iuſticiam habere credens*, ſed eam viam hac mente & conſilio calcans, ut declinet *ἀπείϛατον ἁμαρτίαν*, & omnem occaſionem delinquendi devitet Etenim qui in animo ſuo ſentit ſibique conſcius eſt, non poſſe cum divitiis ſe recta capeſſere, & tentationem laqueoſque diaboli, quibus per illas vel tenacius ſervandas ſine bono proximi, vel cupidius quærendas cum malo eiuſdem, nos impedit, exuere, tum & proiicere potius illas debet quam ut eorum opera pereat. Nam ut dicebat Dominus, ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum & proiice abs te. Hoc ille ei præcipit, qui concupiſcentiæ oculum adiiciebat alienæ uxori ad mœchandum cum illa. Quid ni ergo, ſi & divitias, alicui ſcandalum & impedimentum obiicientes ad vitam æternam pergenti, abiiciat, & liber evolet quo vult? Hoc Apoſtoli fecerũt, & primi Chriſtiani. Hoc Dominus præcipue ſuis diſcipulis inculcat, toto illo quo dixi v. Matthæi capite. Nec ulla in illis præceptis allegoria admit-

admittenda. *Qui petit à te, da ei: & volenti mutuari à te, ne avertaris.* Nec audio Hieronymum, qui ad illa verba ita commentatus eſt: *Si de eleemoſynis tantum dictum intelligimus, in pleriſque pauperibus ſtare non poteſt. Sed & divites ſi ſemper dederint, ſemper dare non poterunt. Poſt bonum ergo eleemoſynæ, Apoſtolis, id eſt, doctoribus, præcepta tribuuntur, ut qui gratis acceperunt, gratis tribuant. Iſtiuſmodi pecunia nunquam deficit. ſed quanto amplius data fuerit, tanto amplius duplicatur. Et cum ſubiecta ſibi arva rigat, nunquam fontis unda ſiccatur.* Ad litteram verba Chriſti eſſe capienda, palā eſt, ac de mutuo pecuniæ, τὸν θέλοντα ἀπό σου δανείσασθαι μὴ ἀποστραφῇς. Sed ſi ſemper dederit dives, ſemper dare non poterit. Quid illi peius inde accidet quam ut pauper ipſe pro nomine Chriſti evadat? Nonne idem præceptum eſt quo Dominus præcipiebat illi diviti vendere ſua bona, & elargiri pauperibus ſi perfectus eſſe vellet? Eiuſdem notæ & illud Dominicum apud Lucam præceptum, *date mutuum nihil inde ſperantes.* Nam facile exhaurietur ille qui mutuum omni petenti dederit, non recepturus ipſam ſortē, id eſt, τὰ ἴσα quæ dederit. Hæc perfecta præcepta, & ad perfectionem data liquet. Horum omnium difficillimum,

limũ videtur quo præcipimur diligere inimicos noſtros. Multi enim facilius pati poſſent evolvi ſe bonis ſuis, quã inimicos diligere. *Multi*, inquit Hieronymus, *præcepta Dei imbecillitate ſua, non ſanctorum viribus, æſtimantes, putant eſſe impoſſibilia quæ præcepta ſunt, & dicunt ſufficere virtutibus, non odiſſe inimicos, cæterum diligere plus præcipi quam humana natura patiatur. Sciendum eſt ergo Chriſtum non impoſſibilia præcipere, ſed perfecta, quæ fecit David in Saul & in Abſalon. Stephanus quoque martyr pro inimicis lapidantibus deprecatus eſt, & Paulus anathema cupit eſſe pro perſecutoribus ſuis. Hæc autem Ieſus & docuit & fecit, dicens, Pater ignoſce illis; quod enim faciunt, neſciunt.* Nonnulli quoque ex gentium philoſophis, haud diſſimili animi robore induto, cum ſua ſponte pauperes facti ſunt, & μηλόβοτα, ſua prædia, dereliquerunt, tum inimicos ſuos ac perſequutores benevolentia & favore proſequuti ſunt. Cætera de genere hoc Chriſti mandata charitatem proximi conſummatam ſpectantia non poſſe executioni mandari, ſi alibi dixi, non ſimpliciter nec abſolute id intellexi, ſed ſine adiutorio divino. Ipſe eſt Chriſtus qui dixit, *apud Deum omnia poſſibilia eſſe, apud homines non item.* Cur enim Chriſtus cum efficacia dixit Apoſtolis ſuis,

ſuis, *venite poſt me, & faciam vos piſcatores hominum?* Et ſtatim illi relictis omnibus eum ſequuti ſunt. Hanc nempe mẽti eorum indidit obſequendi verbis ſuis promptam voluntatem. At ſine effectu dixit idem iuveni diviti, *vade, & vende facultates tuas, daq; eas pauperibus, & ſequere me.* Cur iſte non audivit vocantem? Quia Deus eum in ſuo ſenſu reliquit, nec amore divitiarũ pectus eius obſeſſum ſpiritus melior intravit, ut liberaretur à malo, id eſt, Mammona. Nũc videndũ, qualia illa præcepta Dominica fuerint, quæ veteri legi non derogarunt, ſed ei potius ſtrictiorem obſervationem adrogarunt, & quibus præcipue data. Qui inter illa & mandata legis priſcæ diſtinguunt, ut inter conſilia & præcepta, toto cœlo errant. Præceptum quippe obligare ſub peccato contra ius naturale aut divinum: conſilium, maiorem ſpectare perfectionem. Nulla enim ratio eſt, ut ab eodem profecta conſilia gravius adſtringant, & præcepta levius. Aut ut præcepta quæ credũtur obligare ſub peccato contra ius naturale ac divinum, facilioris ſint obſervationis, quam conſilia, ab eodem præſertim auctore manantia. Nemo enim neget quin facilius ſit non mœchari quam concupiſcere.

cere.

cere. Atqui edicit concupiſcentem pro mœcho eſſe habendum, & cum eadem auctoritate ac iure loquitur atque ille qui ſimpliciter mœchari prohibuit, non dat conſilium, ſed præceptum, & quidem auſterius. Hinc perſpicuum eſt, concupiſcentiam quæ prohibetur ultimo præcepto non eamdē eſſe cum illa de qua dixit Dominus Matthæi V. XXVIII. *Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Hic loquitur Chriſtus de concupiſcentia ad mœchandum: at Moſes in præcepto decimo de concupiſcentia ad propriam habendam uxorem proximi, eodem modo quo res cæteræ deſiderantur, domus, ager, aſinus, bos & ancilla. Nam repudiorum beneficio tunc uxor aliena æque facile haberi poterat, & propria poſſideri, atque ancilla, bos & aſinus, ac domus. Vetus præceptum fuit de non occidendo: Dominicum, ne fratri quidem eſſe iraſcendum. Hoc longe difficilius obtinetur quam illud. Multi ab homicidio manus temperant, qui iræ non poſſunt imperare. Quis ergo dicat, in magis arduis conſilia locum habere, in factis facilioribus pręcepta? Medicus qui venā ſecari pręcipit, qui phlebotomum aut catharticum præſcri-

præſcribit, difficiliora iubet & magis neceſſaria ęgro, quam cum eidem ſuadet ptiſana potius uti in potu quam cerviſia. Non de genere hoc præcepta Domini, quæ veterem legem intendunt, & fortiori nodo ad eam cuſtodiendam conſcientias adſtringũt. Ratione dantis, & eius cui datur, reique ipſius quæ præcipitur aut ſuadetur, conſilia à præceptis diſtinguuntur. Si medicus præſcribat catharticam potionem ægroto, qui ea opus habet, præceptum eſt. Si non medicus eidem ægro hoc idem ſuaderet, conſilium potius eſſet quam præceptum. Rurſus ſi bene valenti medicus auctor eſſet vinum potius aqua dilutum bibere quam purum, loco conſilii magis haberetur, ad ſanitatis tutelam, quam præcepti. Et tamen certum eſt, qui illo conſilio uteretur, præceptum hoc illi futurum pro conſilio. Effectus quippe ipſe & eventus, dum paretur ab eo cui conſilium datur, mutat conſilium in præceptum. Minoris quippe fit lex, cui non obtemperatur, quam conſilium cui paretur. Veteres ſapientes duobus modis philoſophiam, hoc eſt, beatæ vitæ ſcientiam, doceri dicebant, decretis ac præceptis. Eam partem ſapientiæ quæ præceptis docetur, παραινετικὴν & *præceptivam*

vocabant,

vocabant: quæ decretis, δογματικήν. Dubitarunt quidam, an παραινετική, ſive *præceptiva*, ſatis eſſet ad conſummandã ſapientiæ artem.. Alii negarunt, quibus placuit eam decretis tantum perfici. Decretis ſimilia ſunt præcepta moralia, ac naturalia Decalogi, *non occides, non mœchaberis, non furtum facies*. Scita enim quædam ſunt, ac vim legis obtinent, quibus omnino obtemperare neceſſe eſt. Sanctiones etiam conciliorum, decreta ſunt potius quam præcepta, vimque legis habent, & totidem regulæ ſunt quibus ſtandum eſt. Præcepta molliora ſunt, & ſuadent potius quam imperant, conſiliiſque proinde propiora. Non enim aliter ad actiones rectas perducunt, niſi obſequens ingenium nanciſcantur. Non huius generis ſunt Domini præcepta. Non enim tanquam παραινέσεις & ὑποθῆκαι tantum haberi debent, quibus obedire aut non obedire integrum ſit ei qui decretis ſolis contentus eſſe queat, ad vitam beatam adipiſcendam, quæ ſtudio ſapientiæ acquiritur. Decreta formant ſapientes, & alios omnes artifices, ſed præcepta eos confirmant. At Dominus non tantum ſuis præceptis præcepta legis confirmat, ſed etiã auget, exaggerat, & intendit.

Audiſtis, inquit, *quia dictum eſt antiquis, non peierabis, ego autem dico vobis, non iurare omnino*. Hæc dicta edicta ſunt, & cum pari auctoritate ac poteſtate pronuntiantur à novo legiſlatore, ac ſua ab antiquo. Cur igitur leges hodie Chriſtianorum publicæ puniunt mœchum, non puniunt concupiſcentem? Periurium vindicant, non iuramentum? Cur iudex conquerenti ſe pulſatum non opponit Chriſti præceptum quo iubetur ut percuſſus in una mala alteram præbeat percidendam? Quæ cauſa denique eſt ut in iudicio ſe fraudatum monſtranti minime obiiciatur ab adverſario, noluiſſe Chriſtum ut qui circumſcriptus eſſet, litem eo nomine intenderet? Cur etiam dica non ſcribitur iracundo, ut homicidæ? Qui negat alicui mutuum, deberet cogi dare ex eodem Chriſti mandato, τὸν θέλοντα ἀπὸ σοῦ δανείσασθαι μὴ ἀποστραφῇς. Mutuum in iure repetentem ſimiliter Chriſti dicto deberet repellere debitor, *mutuum date nihil inde ſperantes*. De aliis idē dici conveniat. Quæ omnia ut ad legē veterē melius adimplendam pertineant, non tamen admiſſa fuere in regiminis civilis diſciplina quam Chriſtianus orbis uno conſenſu adſumpſit. Nec ſane admitti paſſim oportuit. Magna

gna enim inde aperta pateret ianua improbis ad bonos opprimendos. Quis ab iniuria boni viri malus temperare potuiſſet, qui non ſolum inde impunitatem à legibus ſibi promitteret, ſed etiam ab offenſo nullam timeret in reſiſtendo contumaciam? Quinimo facilitatem & comitatem quandam in accipienda contumelia ex illis Chriſti verbis: *Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* Si, cum de mea tunica apud prætorem controverſiam mihi aliquis moveret, deberem iuxta Chriſti vocem pallium inſuper litigatori illi dimittere, hoc exemplo invitati λωποδύται non opus haberent detexere pallia de nocte ambulantibus. Sufficeret vel in mero meridie, & coram ipſo iudice dicere, da mihi tunicam tuam, ſtatim quippe & palliũ meum ad eum cum tunica devolaret. Nõ tamẽ hoc inter mandata legalia & Dominica præcepta diſcriminis ſtatuendum eſt, ut illa pro decretis quæ neceſſario fieri oporteat, hæc pro conſiliis accipienda ſint, quibus liberum ſit unicuiq; non obſequi. Reſpectu perſonarum quibus utraq; edicta ſunt, differẽtia inter illa conſtituenda eſt. Lex omnibus poſita eſt, quia iuri naturali & morali con-

ſentanea eſt, & proinde omnes obligat, ut Iudæos olim quibus data eſt, ita & hodie Chriſtianos, quia Chriſtus eam etiam cum ἐπιτάσει confirmavit. Sed illa Dominica præcepta, quibus legalia mandata Chriſtus ad maiorem deduxit obſervationis rigorem, non omnibus per illum tradita ſunt, ſed ſolis diſcipulis. Non tantum quia debuerunt perfecta præcepta perfectioribus tradi, ſed etiam quia oportuit ſeveriore imbui diſciplina per quos nova ac ſevera doctrina mundo innoteſceret. Cum enim auctor eius ipſe Chriſtus morte crucis ignominioſa eam initiaviſſet, & per ſimilia paſſuros Eccleſiam ſuam fundare deſtinaret, non niſi duriſſima quæque eis proponenda fuere, quorum uti miniſterio ad prædicandum Euangelium ſuum per ſupplicia & cruces voluit. Nec auſteræ videri illis potuere tales præceptiones, quibus atrociora erãt ſubeunda in fide Chriſti propaganda laborantibus. Præterea quorũ vita ad exemplũ debuit eſſe novam doctrinam ſuſcipientibus, eos quoque decuit ſub perfectiore & aſperiore diſciplina proficere. Poſtremo cũ Chriſtus ſectatoribus ſuis, quos ad ſequendũ ſe vocaret, omnia relinquere, quæ haberent, præciperet, non alio pretio

tio in hac vita niſi perſequutionū & ſupliciorum, levia illa omnia & facilia factu videri debuerūt mandata quæ ſupra explicavimus. Ea ſpeciatim diſcipulis illum ſuis præcepiſſe, ex ipſo capitis initio manifeſtum eſt, his verbis: *Videns autem Ieſus turbas, aſcendit in montem, & quum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & aperiens os ſuum docebat eos, dicens.* De his etiam ſolis loquutus eſt cum dixit eodem capite. *Vos eſtis lux mundi.* Longe aliud itaque & perfectius vitæ ac diſciplinæ exemplar in his expetitum eſt, qui cæteris prælucere debebant. In ea autem doctrina ac diſciplina quæ tota auſteritate commendabatur, triſtiſſima quæque ac ſeveriſſima, etiam perfectiſſima. Non omnibus etiam dixit, ſed ſolis diſcipulis, cum eos ad prædicandum Euangelium miſit, ut nudipedes eſſent, ut ne plus ſingulis tunicis haberent, ut in zonis pecunias non ſumerent. Antiqui poſtremo omnia illa præcepta de quibus ſupra egimus, ἀποστολικῇ πολιτείᾳ ſoli vindicarunt. In locum Apoſtolorum ſucceſſere Epiſcopi, iidemque preſbyteri, quibus præfecturam & curam Eccleſiarum mandarunt Apoſtoli. Et illi primo ſeſe totos ad Apoſtolicæ vitæ normam, tanquàm & ipſi veri

 Chri-

Chriſti vicarii, compoſuerunt. Sed & in iis adlegendis maiorem perfectionem exegerunt Apoſtoli quam in reliqua plebe. Hinc in Epiſcopo requirit Paulus præter alia, ut ſit uxoris tantum unius vir, cum cæteris illo tempore Chriſtianis liceret eſſe bigamis, non cumulative, ſed ſucceſſive, per mortem prioris uxoris, aut per repudium. Ergo ne repudiare quidem licuit uxorem illi qui vellet eſſe Epiſcopus, ut alteram duceret, ne quidem ex Chriſti præcepto propter adulterium. Nam presbyter ſive Epiſcopus qui uxorem propter adulterium repudiaſſet, altera mox ducta, bigamus extitiſſet, ac proinde ad Epiſcopatum minime idoneus ex Pauli præſcripto. Quod reliquis Chriſtianis permiſſum fuit. Non enim repudium alia conditione licitum factum, niſi ut alteram quoque liceret ducere. Et ſciendum porro eſt, præceptum de repudio non uſurpando niſi ob cauſam adulterii, inter illa præcepta Dominica apud Matthæum recenſeri, quorum nullum receptũ fuit in regimine civili Chriſtianorum. Eiuſdem ergo cum cæteris notæ & numeri, in eumdem ut pote cenſum à Domino ipſo dedicatum, & cum aliis eodem loco & ad eoſdem datis, præſcriptum. Capite illo

quip-

quippe v. Matthæi cum Chriſtus de mœchia dixiſſet, antiquis dictum fuiſſe non eſſe mœchandum, ſe vero dicere qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatum eſſe in corde ſuo, ſubiicit ſtatim de repudio. Deinde adiungit de periurio, quod vetitum veteri lege fuiſſe ait, ſe vero in totum iurari nolle. Sequuntur deinde alia præcepta eiuſdem κόμματος ſolis Apoſtolis data, & perfectis, & ad perfectionem maiorem. Quæ cum recepta non fuerint in Chriſtiana Republica, ut gravioris molis, quam quæ communiter ab omnibus ferri poſſent, miror Pontificii iuris Canonici auctores etiam addidiſſe ad Chriſti menſurã, & onus adgravaſſe, quod ſolis perfectioribus Dominus impoſuerat. Chriſtus enim eo loco non vult repudiari uxorem niſi ob adulterium, cum lege Moſaica & Romana, quæ tunc in Iudęa obtinebant & toto imperio, licitum eſſet ob quamcunque cauſam divortium facere. At repudium non permiſſum erat niſi ad hoc ut illa abiecta quã nolles, alteram toro recipere poſſes quam velles. Ducebat uxorem qui non poterat continere. Qui ſtabile conſortium cum illa non poſſet tenere, ea repudiata alteram ducebat. Et multo minus uxore

abſtinere queat, qui iam aſſueverit. Cum igitur Chriſtus etiam perfectioribus permiſerit uxorem ob adulterium repudiare, eo ipſo eis quoque permiſit aliam poſtea ducere. Quod Canoniſtæ prohibent, atque ita onus importabile, de quo Chriſtus non cogitavit, cervici Chriſtianæ plebis imponunt, maritoſque ipſos innocentes puniunt, quarum uxores ſolæ ob privum peccatum erant plectendæ. At imperatores Chriſtiani non ita acceperunt, quaſi omnibus Chriſtus eam legem de divortio dicere voluerit, ut nemini liceret Chriſtiano, niſi ob ſolum adulterii crimen, uxori repudium renunciare. Non enim ad alias cauſas quam præter eam quæ à Domino nominatim excepta fuerat, repudiorum licentiam extendiſſent. Conſtantinus præter adulterium, alia etiam duo crimina admiſit, propter quæ liceret viro mulieri ſuæ repudium mittere. *In maſculis*, inquit, *ſi repudium mittant, hæc tria crimina inquiri conveniet, ſi mœcham, vel medicamentariam, vel conciliatricem repudiare voluerit.* Per *conciliatricem* intelligit lenam. Non quin liceret ob alias cauſas repudium uxori dicere lege illa Conſtantini, ſed in repudianda propter illa ſola crimina uxore, dotem eius lucrabatur.

Alio-

Alioquin eadem conſtitutione, ſi ab illis criminibus liberam eieciſſet uxorem, omnem dotem reſtituere debebat, & aliam ducere vetabatur. Ergo poterat aliam ducere, ſi ex cauſa ſupradictorum criminum eam eieciſſet. Honorii lex quæ ſequitur in eodem Codice Theodoſiano, nullum ſpeciatim crimen exprimit quod pro cauſa legitima ſit uxoris repudiandæ, ſed in genere ſtatuit, ut ſi grave crimen mulieri vir intulerit, & perſequatur legibus accuſatam, impetrata vindicta, *& dote potiatur, & ſuam recipiat largitatem, & ducendi mox alteram liberum ſortiatur arbitrium.* Non unum crimen adulterii intellexit, ſed quodcunque gravius crimen, ut ea omnia quæ *publica* appellabantur, & publicis legibus vindicari ſolebant. Sequitur in eadem lege, etiam *propter mores* repudiari poſſe uxorem, ea tamen conditione, ut donationem tantum recipiat ante nuptias, ſed dotem ei relinquat, & poſt biennium aliam poſſit ducere. *Si vero morum eſt culpa, non criminum, donationem recipiat, dotem relinquat, aliam poſt biennium ducturus uxorem.* Theodoſius paulo poſt cum Valentiniano legem de repudiis emiſit, qua cauſas legitimas nominatim expoſuit quibus liceret tã viro uxorẽ

dimittere quam uxori viro repudium mittere. Ac de viro quidem, ſi uxor eius non ſolum eſſet adultera, ſed venefica, aut homicida, aut plagiaria, aut ſepulcrorum diſſolutrix, aut ex ſacris ædibus aliquid ſubtrahens, aut latronum fautrix. Hæc ſunt gravia crimina de quibus Honorii lex intellexit. Quod ad morum culpam attinet, de quibus eadem conſtitutio loquitur, ita eos Theodoſii lex enumerat, ſi extraneorum virorum nolente vel ignorante marito convivia appetat, aut foris pernoctet, vel circenſibus aut theatralibus ludis, aut arenarum ſpectaculis eo inſcio aut invito interſit. Præterea ſi mariti vitæ vel veneno vel gladio inſidietur, vel alio quocunque modo, ſi manus audaces ei ingerat, ſi falſaria ſit, ſi conſcia machinantium contra imperium. *Tunc*, aiunt imperatores illi, *neceſſario ei diſcedendi permittimus facultatem, & cauſas diſcidii legibus comprobare.* Iuſtinianus poſtremo, bonus ac pius, quod nemo negat, Princeps, eaſdem cauſas Conſtitutione Theodoſii & Valentiniani memoratas ad repudium legitime faciendum adprobavit, & novam addidit, ſi per duos annos coire propter imbecillitatem naturæ vir cum uxore ſua non potuerit, leg. x. Cod.

de

de repudiis. At leg. XI. Cod. eod. adiicit & has cauſas ad ſuperius enumeratas, *ſi forte uxor ſua ope, vel induſtria abortum fecerit, vel ita luxurioſa eſt, ut commune lavacrum cum viris libidinis cauſa habere audeat, vel dum eſt in matrimonio, alium maritum ſibi fieri conata fuerit.* His omnibus caſibus & propter illas cauſas conſtitutionibus illorum principum Chriſtianorum recenſitas, divortio facto, utrique licebat, alias ſibi nuptias optare ac quærere. Et hoc iure uſus eſt orbis Chriſtianus ſub imperatoribus Chriſtianis, ſexcentos & amplius annos, donec Pontifices Romani imperio Occidentis potiti, τὸ βαρὺ illud φορτίον iniecerunt humeris miſerorum Chriſtianorũ, pietatis ac ſanctitatis pretextu, ſed cui vera cauſa fuit, potentiæ ſuę promovendæ cupido, & iuriſdictionis civilis uſurpandæ. Ideo enim plures caſus conſcientiæ facere ſategerunt, ut de pluribus poſſent diſpenſare. Ideo & nuptiarum vetitam copulam ultra eos gradus extenderunt qui lege Moſis erant definiti. Scio Paulum dicere, non ſe, ſed Chriſtũ, vetare ne uxor virum relinquat, aut vir uxorem dimittat. Cæterum id intelligendũ ſicut à Chriſto mandatũ eſt, ut nempe repudio ob cauſã adulterii miſſo, liceret ad ſecũdas nuptias viro

aut

aut mulieri convolare. Præterea, ut dixi, Chriſti illud præceptũ inter illa datum eſt quę ἐπίτασιν habent perfectis ſolis convenientem, quorum nullum conſtat receptum fuiſſe in politico regimine Chriſtianæ reipublicæ. Si præcepta illa quibus Chriſtus legis moralis regulas ad maiorem rigorem intendit, tanquam νομοθετήματα omni tempore & in omnes valitura ſanxiſſet, nemini Principi liceret eis derogare, & non nemo Chiſtianus teneretur ad ea adamuſſim obſervanda. Ut miracula, ita & illa mandata, certis præcipue data ſunt, & ad tempus, ita requirente, quæ tunc urgebat neceſſitate, Eccleſiæ formandæ, & doctrinæ Chriſtinæ firmandæ. Cum ad hoc miracula neceſſaria Chriſtus videret, plurima fecit, & faciendorum poteſtatẽ poſt ſe ſuis tradidit ſucceſſoribus Apoſtolis. Cum etiam prævideret, odio futuram nominis ſancti novam profeſſionem, & perſequutionibus poteſtatum proinde obnoxiam, ad extrema quæque patienda diſcipulos ſuos novæ legis doctores cum exemplo ſuo invitavit, tum per illa præcepta præparavit, quæ duriſſimam ἀγωγὴν & πολιτείαν inſinuabant. Quæ etiam quo facilius ab his executioni mandarentur, καρτερίαν illis &
ὑπο-

ἀπονίαν ψυχῆς neceſſariam ſuggeſſit, omneſque ἀνεκτικὰς & ἀπεκτικὰς virtutes. Alia conditio fuit Eccleſiæ iam fundatæ, iam quietæ, & in ſolido locatæ. Tunc viſum eſt, ſufficere moralis legis obſervationem, cum operibus charitatis, quæ teſtentur, fidem Chriſti nos habere non mortuam, ſed veram atque vivam, qua ſola ſervamur. Ut miracula ceſſarunt, cauſa ceſſante propter quam edita ſunt, ita & præceptorum illorum uſus eſſe deſiit, pace Eccleſiæ parta, iterum rediturus ubi ſimilis inciderit περίστασις, ut patres noſtri viderunt. Neque tum deeſt Deus ſuis animum addere eumdem, iiſdem conſtanter tolerandis pro nomine ſuo quæ olim ſimilem ob cauſam perpeſſi ſunt primi fidei ſatores. Et recte in proverbio communi dicunt Græci hodierni, ὁ θεὸς κατὰ ῥοῦχα μερίζει καὶ τὴν κρυάδα. Non ſolum tamen ut veſtis eſt, ita frigus dat, ſed etiam pro frigore veſtem ſuppeditat. Suo igitur tempore præcepta illa neceſſaria ſunt, alio voluntaria. Nemini enim interdictum eſt ad ſuperiora eniti, qui ſe ſciat auxiliante divina gratia id poſſe, aut qui ad id ſe vocatum ſentiat, aut qui imbecillitatem ſuam noverit ad reſiſtendum mundi & carnis tentationibus, niſi procul

cul recedat. Sed & quo quiſque Chriſtum preſſioribus veſtigiis & propioribus lineis ſequutus & imitatus fuerit, tanto perfectior erit. Et certũ eſt, perſequutionis temporibus meliores ac veriores extitiſſe Chriſtianos, nunc & olim. Apoſtolicæ conſtantiæ & continentiæ viros ea ſæcula tulerunt, quamdiu miſera & afflicta fuit Eccleſia Chriſti, quales dives facta ac pacata vix produxit. Et quis neget, Apoſtolos fuiſſe perfectiores, ut hac voce ſæpe utamur, quam qui in eorum locum nunc ſe ſucceſſiſſe dicunt, & in eorum Cathedra ſedere? Non hic perfectionem intelligimus qualem Pelagiani homini cuilibet ineſſe ex vi propriæ naturæ imaginabantur. Sed quæ in homine perficitur ſpiritus divini ope & opera, quia eo ſpiritu abundantiſſime Chriſtũ ſuos Apoſtolos ac diſcipulos impertiſſe, extra dubium eſt. In his non ſolum perfecta ſcientia, ſed etiam fides, & charitas fuit, ad eam uſque plenitudinem, quæ dari à Deo homini poteſt, & quanta in illis debuit eſſe quos ut ſal & lux mundi eſſent Deus determinavit. De illis ergo dixit Chriſtus, τέλειοι οὖν ὑμεῖς ἔσεσθε. *Perfecti ergo eritis, ut eſt perfectus veſter pater qui eſt in cælis.* Nec ſolũmodo tales ipſi per Chriſtum

ſtum redditi, ſed etiam, ut ipſi efficerent πλείους quos fide conſummata & ſcientia inſtruerent, imbuerentq;, à Chriſto poteſtatem acceperunt. Hinc illa Barnabæ ex Epiſtola Catholica, ἀφ᾽ οὗ ἔλαβον μέρους, ἐσπούδασα κατὰ μικρὸν ὑμῖν πέμψαι, ἵνα μετὰ τῆς πίστεως ὑμῶν τελείαν ἔχητε καὶ τὴν γνῶσιν. Quæ ita reddita ſunt in verſione Corbeienſis codicis: *Hac in mercede adpropiavi pauca vobis mittere, ut fidem veſtram conſummatam habeatis, & ſcientiam.* Quæ corruptiſſima ſunt, nec ſatis fideliter verſa. Corrigendum ſaltem eſt, *adproperavi pauca mittere.* Et, *hac è mercede.* Non mirum itaque, ſi multi prioribus ſæculis, ut adſpirarent ad illam perfectionem Apoſtolicam, à mundo ſeceſſerunt, & eorum πολιτείαν æmulari conati ſunt. Quod olim propoſitum primis ἀσκηταῖς fuiſſe, certũ eſt, dum hypocriſis aberat, & μόρφωσις εὐσεβείας. Nunc alia eſt ἄσκησις. Enimvero ut ad rem redeam, ita voluntaria hæc Chriſti omnia perfecta præcepta videri debent, ut iis ſecundum ea vitam ſuam componere ſtatuentibus decreta ſint ac ſcita, legis inſtar ac vim obtinentia, non conſilia. Nec idcirco omnibus pro lege obſervanda indici oportet. Quod & Apoſtoli ipſi caverunt ne facerent, dum concilio habito de-

decreverunt, quid gentibus ad Chriſtum converſis ex lege Moſaica cuſtodiendum eſſet. Pauca admodum ſunt quibus obligandas eſſe gentes ad Chriſti fidem venientes cenſuere, ac nulla ex illis Chriſti præceptis ſupra memoratis ſervanda præſcripſere. Quinimo cùm inter illa perfecta præcepta Chriſtus ipſis Apoſtolis mandarit ut facerent aliis quæcunque ſibi fieri vellent; ipſi Apoſtoli gentibus Chriſti militiæ nomen daturis hoc tantum oneris impoſuerunt, ut alteri non facerent quod ſibi fieri nollent. Quantum interſit inter utrumque præceptum, nos ſupra declaravimus, & infra adhuc pluribus explicabimus. Viderint igitur an meliores ac perfectiores Apoſtolis ſint, qui onera non ferenda iniunxerunt Eccleſiæ Chriſti quæ illi removerant. Nulla ſane cum ratione inter alia uſuras ac fœnus plebi interdixerunt, ſolis Epiſcopis preſbyteris ex Pauli præcepto vetandas, & concilii Oecumenici primi Nicæni decretis. Nuſquam enim Chriſti ullo præcepto diſerte fœnus vetitum extat. Quod enim mutuari iubet nihil inde ſperantes, poteſt huic mandato, ex illo ipſo genere præceptorum intenſivorum, illud opponi per conſequentiam de uſuris etiam duplicibus

ſol-

ſolvendis. Cui præcipitur angariato per mille paſſus, & alteros mille cum angariante pergere: cui mandatur poſt pallium ereptum tunicam inſuper dimittere: cui denique præceptum hoc datur, ut percisſum os ab una parte, ex altera percidendum ultro præbeat: ſi creditori cum uſuris is pecuniam deberet, an non ex ἀκολουθίᾳ illorum præceptorum & analogia alterum tantum ſponte ſua uſuræ nomine præſtare deberet, quam quantum exigeretur? Nihil igitur illud facit ad uſuras vetandas, quod Chriſtus præcepit de mutuo dando etiam his, à quibus nihil ſperes te eſſe recepturum. Videamus igitur, quid Paulus Epiſcopatum deſideranti præcipiat. Non φιλάργυρον eſſe vult, nec αἰσχροκερδῆ. Tacite & uſuraria negotiatio per hæc Epiſcopo prohibetur. Notabis, non illum dicere, Epiſcopum minime eſſe debere πλεονέκτην. Ita enim πλεονεξία avaritia eſt, ut hæc etiam in privatis vetita ſit, ac legibus vindicetur. Non enim ſimpliciter amplificatio rei familiaris hoc nomine ſignificatur, ſed ea quæ nocet proximo, ut ſupra abunde docuimus. Non hoc vitiũ ab Epiſcopo removet, quod vel in privatis leges licitum eſſe nolunt, ut aliquis cum malo & noxa proximi rem

ſuam augeat familiarem. φιλάργυρον eum eſſe vetat, id eſt, eo modo avarum, quo ſolent eſſe qui cum nullius damno ſuorum nimium parci ſunt. Mos illis qui tales ſunt, etiam in eleemoſynis dandis eſſe parciſſimis. Avaritiæ itaq; malum vitandum ei precipit, non ut aliena non appetat, quod & publicæ leges puniunt, quæ πλεονεξία eſt, ſed quo nec ſua, quæ ſunt aliena, nimis contente & avare ſervet, quæ φιλαργυρεία eſt nomine generali. Addit & Apoſtolus, non debere eſſe αἰσχροκερδῆ. Ea voce, quam tamen vetuſtiſſimi quidam codices hic non agnoſcunt, illiberalis & ſordidi quæſtus negotiatorem intelligit. Non puto eam hic locum habere. Nec enim præſidentes Eccleſiæ preſbyteros & Epiſcopos, ſordidis ullis quæſtibus vel artificiis putem vacare potuiſſe, ut de eo monendi fuerint. Certe nec Theophylactus eam agnoſcit. Contextus prætereа ipſius orationis abeſſe debere oſtendit, μὴ πάροινον, μὴ πλήκτην, ἀλλ' ἐπιεικῆ, *non vinolentum, non verberatorem, ſed modeſtum.* Opponitur ἐπιεικὴς τῷ πλήκτῃ, id eſt, mitis ac modeſtus plagoſo & verbera libenter ingerenti. Alias δάρτης dicitur. Qui ex omni occaſione ac levi de cauſa ſuę diſciplinæ commiſſos cædit. At ἐπιεικὴς eſt, ut

Græci

Græci exponunt, & uſus auctorum confirmat, & vocabuli proprietas, mitis ac clemens leniſque, qui facile iniurias fert & condonat. Cui contrarius ἀεικὴς, unde ἀείκεια & ἀϊκία, & per contractionem αἰκία, quæ iniuria eſt, ac præcipue quæ per cædem & verberationem infertur, ut in libro de Uſurarũ modo explicavimus. Certe & ἐπιεικὴς etiam ſumitur apud Atticos pro eo qui facile de ſuo iure remittit, quem ἐλαττωτικὸν & μειονεκτικὸν vocant, atque iſta notione non male ſubiiceretur τῷ αἰσχροκερδεῖ, ut oppoſitus. Nam proprium eſt αἰσχροκερδοῦς, ut nunquam ſuo iure cedat, ſed alieno potius immineat & πλεονεκτικὸς ſit. Sed quia aliter libri plerique habent, ita melius eſt interpretari. Apud Clementem quoque in Apoſtolicis conſtitutionibus non aliter legitur lib. 11, cap. 11, qualem eſſe oporteat Epiſcopum: ἀπάρραχος, μὴ πάροινος, μὴ πλήκτης, ἀλλ' ἐπιεικής. Et preterea maius aliquid requirit in Epiſcopo ſive preſbytero qui Eccleſiæ præſidere debet, quã in Diacono, qui miniſtrare. Ergo Epiſcopũ vult Paulus non eſſe φιλάργυρον. Quæ φιλαργυρεία in eo etiam cernitur, qui ſuo contentus, nimis tamen parcus eſt. At in Diaconis exigit ne ſint αἰσχροκερδεῖς. Quo loco Theophylactus exponit αἰσχροκερδῆ.

κερδῶ, τὸν μηδὲν κέρδος παραιτούμενον κἂν ὅθεν δή-ποτε ᾖ, qui nullum recuſat quæſtum unde-cunque proveniat. Cui lucri bonus eſt odor, ut ille ait, ex re qualibet. Iniuſti etiam lucri appetentem ea vox deſignat. Nam cum τὸ αἰσχρὸν Græcis quattuor ſignificet, τὸ ἄδικον, τὸ δειλὸν, τὸ ἄκοσμον, τὸ ἄμορφον, ex his turpitudinis generibus, τὸ αἰσχρὸν, quod in quæſtibus & artibus locum habet, non poteſt aliud eſſe quam ἄδικον. Ariſtoteles omnium artium & quæſtuum quibus lucrum pro fine eſt, αἰσχροκέρδειαν communem eſſe vult. Plus enim ſemper appetunt quam licet & quam debent, ac πλεονεκτικοὶ ſunt. Vera enim definitio τοῦ αἰσχροκερδοῦς, ὁ λαμβάνων ἀφ' ὧν οὐ δεῖ, καὶ μὴ διδοὺς εἰς ἃ δεῖ; ut Pollux ait. *Qui accipit à quibus non oportet, & non dat quibus, vel ad quæ, oportet.* Nihil tamen vetat, etiam in artificiis & quæſtibus modum tenere, & ἐπιείκειαν ſervare. Et nonnulli reperiuntur qui id faciant, quamvis rari ſint. Plus igitur dicit qui vetat eſſe φιλάργυρον, quam qui αἰσχροκερδῆ. Nam qui ἀφιλάργυρος, multo minus ſit αἰσχροκερδὴς, cum etiam multi φιλάργυροι ſint; qui tamen αἰσχροκερδείας vitio non laborent. Sua nimis tenaciter ſervant, ſed non inhiant alienis. Morbus ille etiam honeſtiores vexat, αἰσχροκέρδεια non niſi

arti-

artibus quæſtuariis & ſordidis familiaris eſt. Hic mihi verbo uno reſpondendum eſt illis qui me incuſarunt, quod mercaturam & omnes artes quæſtuarias ac *βαναύσους* turpes eſſe & inhoneſtas dixerim. Quod enim, inquiunt, turpe & inhoneſtum eſt, non poteſt eſſe cum virtute & pietate coniunctum. Atqui ipſe Paulus artem quæſtuariam & *βάναυσον* exercuit. Et iniuria fieret omnibus pauperibus, ſed piis & bonis viris, qui nunc manu ſua victum quærere debent. Hæc illi. Ego antiquitatis iudicio tueri poſſum quod ſcripſi ac dixi, unanimi ſententia definientis, illiberales quæ dicebantur artes & quæſtus, pro ſordidis & inhoneſtis eſſe habendos. Non inde tamen ſequitur, cum virtute & pietate coniunctum non eſſe quod ſit ſordidum & inhoneſtum. Nec honeſti definitionem pro recto & bono, ſecundum philoſophos, hic accipimus. Poteſt bonus vir ac pius eſſe qui calceos ſuit, ſi artem ſuam bene exerceat, & boni civis munia impleat, & bonum Chriſtianum præſtet, fidem habendo, pietatem colendo, & opera charitatis quæ Chriſtus ſuis præcipit, faciendo. Nihilo tamen minus in arte ſordida verſabitur, & quam nollet vir paulo honeſtior exercere, multo mi-

nus in dignitate aliqua & honore poſitus. Honeſtioris eſt ordinis magnarius mercator, minus honeſti qui mercatur à mercatore quod ſtatim vendat. Ita ſunt alii minus ſordidi, alii magis. Et per gradus iſtæ artes inhoneſtæ, & illiberales, quia liberali & ingenuo indignæ ſunt, ſordes ſuas explicant. In his tamen exercendis licet boni ac pii viri, immo & fidelis ac Chriſtiani, officio fungi. Nec enim ipſa earum profeſſio quamvis ſordida ſit, impedit, quominus virtutes, quales expetit ars illa, colere poſſit qui eam profitetur. Sed nec ars ipſa obſtabit quominus & vitam æternam lucretur qui eam facit, ſi ex Chriſti præcepto agat. Nam & Chriſtus oſtendit poſſe per huiuſmodi artes ad regnum cælorum aſcendi, ſi cum his illa quæ ad ſalutem eſſe voluit neceſſaria, accipiantur. Elegit quippe tales, quorum miniſterio Eccleſiam ſuam inſtitueret. Et cum ipſe profeſſus ſit, ſe præcipue veniſſe in hunc mundum, uti peccatores ad pœnitentiam vocaret, non ut iuſtos, ideo ex peccatorum numero accepit, quos ad prælucendum toti mundo conſtitueret, ad tenebras eius diſcutiendas, & veræ doctrinę, quaſi novi ſolis, radiis illuminandas. Diſcipulos enim ſibi adſci-

adſcivit ex artibus non ſolum ſordidis, ſed etiam ſordidiſſimis, & infamibus odioſiſque, quæ αἰσχροκερδείᾳ & peccato ſolent eſſe magis obnoxiæ. Hoc eſt quod Barnabas in Epiſtola dixit, ὅτι τοὺς ἰδίους ἀποστόλους, τοὺς μέλλοντας κηρύσσειν τὸ εὐαγγέλιον αὐτοῦ, ἐξελέξατο, ὄντας ὑπὲρ πᾶσαν ἁμαρτίαν ἀνομωτέρους, ἵνα δείξῃ, ὅτι οὐκ ἦλθε καλέσαι δικαίους, ἀλλ' ἁμαρτωλοὺς εἰς μετάνοιαν. Hoc eſt, ut habetur in verſione veteri ex Corbeienſi codice deſcripta, quam mihi miſit optimus ac doctiſſimus vir Iohannes Cordeſius, *Tunc Apoſtolos ſuos, qui incipiebant prædicare Euangelium ſuum, elegit, qui erant ſuper omne peccatum peccatores, ut oſtenderet, quia non venit vocare iuſtos, ſed peccatores.* Ex hoc Barnabæ loco ſumpſiſſe ait Celſum Origenes quod exprobrabat Chriſtianis, Apoſtolos Ieſu ἐπιρρήτους fuiſſe ἀνθρώπους, τελώνας καὶ ναύτας πονηροτάτους. *Infames ac probroſos homines, portitores & nautas impuriſſimos.* Nam & τελῶναι & ναῦται inter ἐπονειδίστους βίους, teſte Polluce, eo loco quem ſupra citavimus, ab antiquis repoſiti. Origenes lib. 1. contra Celſum: γέγραπται δὲ ἐν τῇ Βαρνάβα καθολικῇ ἐπιστολῇ, ὅθεν ὁ Κέλσος λαβὼν τάχα εἶπεν, εἶναι ἐπιρρήτους καὶ πονηροτάτους τοὺς ἀποστόλους, ὅτι ἐξελέξατο τοὺς ἰδίους ἀποστόλους Ἰησοῦς, ὄντας ὑπὲρ πᾶσαν ἀνομίαν ἀνομωτέρους. Propter Matthæum ex publica-

nis in Apoſtolatum à Chriſto adlectum videtur ita ſcripſiſſe Barnabas, qui τελῶναι peſſimi audiebant, & cum peccatoribus & meretricibus in Euangelio iunguntur ſæpe. Sed & ναύτας appellabat Celſus, quia piſcatores plerique ex diſcipulis. Sed & Petrus in Euangelio Lucæ ad Ieſum dicit, ſe eſſe peccatorem, ἔξελθε ἀπ' ἐμοῦ, ὅτι ἀνὴρ ἁμαρτωλός εἰμι, κύριε. Et Paulus ipſe talem ſe fatetur in ea ad Timotheum, πιστὸς ὁ λόγος, ὅτι Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ Θεὸς ἦλθεν εἰς τὸν κόσμον ἁμαρτωλοὺς σῶσαι, ὧν πρῶτός εἰμι ἐγώ. Ita certe Origenes reſpondit Celſo. Et certum eſt, maximam peccandi materiam & occaſionem dari ex artibus illis quę nihil ſibi turpe putant quod lucrum ferat. Rarus eſt earum cultor qui avidas manus à quæſtu iniuſto retrahere queat. Et in hoc præcipue vim ſuam gratia divina exeruit, ut qui in peccantibus artibus verſarentur, fierent vaſa electionis, & præirent iuſtis ac ſapientibus in via quæ ducit ad ſalutem. Si omnes hodie qui quæſtuariam aliquam exercent artem ita eam facerent ut Paulus, ne quæſtuarias quidem facere dici quirent. Cum eſſet σκηνοποιός, ita illi operi vacabat, ut nihil plus quam victum ac veſtitum ex ea arte quæreret. Quod qui propoſitum habet, quæſtum & lucrum

lucrum facere qui dici poſſit? Ab αἰσχροκέρδεια certe multum abeſt. Priores Aſcetæ, ut Apoſtolorum imitatores, tam illi qui in commune viverent, quod erat κοινόβιον, quam ſolitarii, manibus etiam ſuis debebant quod viverent, ne ulli eſſent oneri, nec tamen artes quæſtuarias exercuiſſe dicendi ſunt. Magis eſt quæſtuaria mendicitas illa votiva quę hodie tanquam genus ἀσκήσεως μοναστικῆς exercetur. Ipſe etiam Paulus dicit, ad Timotheum, *habentes victum ac veſtitum debere eſſe contentos.* Et nonnulli tunc inter Apoſtolos manibus ſuis operabantur, & quærebant quæ ad victum eſſent neceſſaria, ut ipſe Paulus & Barnabas. Alii ex Euangelio vivebant. Sed & quos imponebant tunc Apoſtoli Epiſcopos Eccleſiis, Diaconoſque, ab eccleſia ſtipendium accipiebant, neque aliam artem unde victum pararent, facere cogebantur. Ipſæ etiam Diaconiſſæ inde ſe tuebantur, ut conſtat ex conſtitutionibus Apoſtolicis Clementis lib. III. cap. VII. ubi dicit, cum viduæ Diaconiſſæ debeant eccleſiaſticis ſubſidiis eſſe contentæ, aliis artibus pleraſque earum ſibi parare divitias, & ἐπὶ πικροῖς τόκοις δανείζειν, καὶ μόνου τοῦ μαμωνᾶ φροντίζειν. Cum igitur ne Diaconiſſæ quidem tum artem

X 5 ullam

ullam exercerent qua vitam ſuſtentarent, multo minus Epiſcopis id liceret. Quod igitur vetantur eſſe φιλάργυροι, ad ſolū illud avariciæ genus id referendum patet, quod in parcēdo nimium eſt. Ne Diaconos quidem aliud curare docuit niſi miniſterium ſuum. Sed quod αἰσχροκερδεῖς Apoſtolus eſſe vetat, quę illa eſt αἰσχροκέρδεια quam ab illis prohibet? Non ea certe quæ ex arte aliqua ſordida captaretur, ſed quæ ex quæſtu aliquo fœneratorio vel negotiatorio. Theophylactus tamē αἰσχροκερδῆ hic ſimpliciter accipiendū monet pro φιλαργύρῳ. Cui non accedo. Αἰσχροκέρδεια vix in illis metuenda quibus omnes interdictæ artes ac quæſtus in quibus locum habere πλεονεξία poteſt, quæ eſt αἰσχροκέρδεια, ſive turpis & iniuſti lucri cupiditas. Atqui Epiſcopis vetita omnis πραγματεία ſæcularis, ut ex Paulo liquet. Item ex Clemente lib. II. conſtitutionum Apoſtolicarum, cap. VI. μὴ ταῖς τοῦ βίου πραγματείαις συμπεπλεγμένος, μὴ ἐγγυώμενός τινα, ἢ συνηγορῶν δίκαις χρηματικαῖς, μὴ φίλαρχος. *Non ſe negotiis ſæculi implicet, non pro alio ſpondeat, aut pecuniariis cauſis advocationem præbeat, nec honores vel dignitates ambiat.* In illis πραγματείαις βιωτικαῖς etiam numerata eſt fœneratio. Paulo ante dixit, ἔστω δὲ ἐπίσκοπος μὴ αἰσχροκερδὴς, καὶ μὰ-

καὶ μάλιστα ἐπὶ τῶν ἐθνῶν, βλαπτόμενος μᾶλλον ἢ βλάπτων, μὴ πλεονέκτης, μὴ ἅρπαξ, μὴ ἀποστερητὴς, μὴ φιλοπλουτος. Omnem diteſcendi Epiſcopo his verbis cauſam & occaſionem ſubduci, ſatis conſtat. Ergo nec illa conceditur. Quod ſatis ſignificat Apoſtolus dum ἀφιλάργυρον eſſe vult. In Diaconis qui menſarum & pauperum erant miniſtri, requirit Apoſtolus ne ſint αἰσχροκερδεῖς. Hoc tantum. Non igitur vetat, iuſtis lucris eos eſſe deditos, ſed ſolis iniuſtis operam dare. Hoc enim αἰσχροκέρδεια. Ipſe Clemens Diaconiſſas tam non reprehẽdit quod ſub uſuris fœnerarentur, quam quod πικροῖς τόκοις, id eſt, immanibus & ultra legitimas, vel certe inter legitimas graviſſimis. Quæ honeſtioribus perſonis minus honeſtæ. Nam etſi legitimæ tunc eſſent centeſimæ, ſenatores tamen & in dignitate aliqua conſtitutæ perſonæ vix decore eas poterant uſurpare. Sic αἰσχροκέρδειαν in Clericis vocant Nicæni concilii patres qui centeſimas in pecunia, & hemiolias in frugibus accipiebant, etiam ſi legibus haberentur tunc licitæ. Et Canon ſecundus Chalcedonenſis Clericorum etiam coarguit & increpat αἰσχροκέρδειαν, qui conductores alienarum poſſeſſionum fiebant, & ſub cura ſua ſæcularia negotia ſuſci-

ſuſcipiebant, & propter avariciam patrimoniorum ſollicitudinem adſumebant, idque in poſterum fieri vetat. Apoſtolorum temporibus ſolis Preſbyteris, qui & Epiſcopi, hoc videtur fuiſſe vetitum, non etiam Diaconis, quibus ſola αἰσχροκέρδεια, id eſt, πλεονεξία, in lucris, fuit interdicta, cum ne illa φιλαργυρία quidẽ Epiſcopis conceſſa eſſet quæ in parcendo occupatur. Poſtea omnibus Clericis per decreta conciliorũ hæc eadem & eorundem interdictio facta eſt, præcipuè tribus ordinibus ἱερατικῶν, quos & ἱερωμένους dixere, Epiſcopis, Preſbyteris & Diaconis. De quo ſupra. Hinc & uſurę illis vetitæ, quę plebi ſemper permiſſæ. Si ſenatores aliquando legibus civilibus & principum edictis fœnore abſtinere omnino coactos legimus, aut modicis eſſe contentos, quid ni & in Eccleſię præſides & principes idem valere debeat per leges Eccleſiaſticas? Qui negant, ſanctiores eos aut perfectiores commiſſis ſibi gregibus eſſe oportere, vellem huius rei aliquam optimam mihi rationem adferrent. In duce ſemper maior virtus & numeris omnibus abſolutior requiritur quam in gregario milite, in magiſtratu quam in civibus, in rectore quam in ſubditis. Cum ergo & Epiſcopi munus ſit,

ſit Eccleſiæ præeſſe, & docere, qui præcipuus illius muneris character eſt, ut recte hoc poſſit, maiori ſcientia eum inſtructum eſſe neceſſe eſt. Is nec ſermone tantum docere debet, ſed etiam vita, quæ exempli ſit. Ideo veteres admonent, doctorem eſſe debere tam verbo quam exemplo. Hoc eſt quod ait Paulus, debere eſſe ἀνεπίληπτον, ne minimis quidem peccatis aut vitiis obnoxium. Talis enim eſt ἀνεπίληπτος. Qui enim fœnori ſuam locabit pecuniam, non tam efficaciter reprehendet modum in fœnore excedentes quam qui omnino non fœnerabit. Ideo nec fœneret. Ita de aliis, ne cætera minutatim exequi cogamur. Philoſophi gẽtiles, etiam maxime auſteræ ſectæ auctores, ita ſapientem ſuum poſſe habere opes, dicunt, dum ne cuipiam detractas, nec cruentas alieno ſanguine, ſine cuiuſquam iniuria partas, ſine ſordidis quæſtibus. Quibus verbis omnem πλεονεξίαν, omnem παρανομίαν, omnem αἰσχροκέρδειαν à ſuo ſapiente illi amoliuntur. Quanto magis ab Epiſcopo Deus, quem aliis ductorem ac doctorem dedit, vitia illa removet, quos ne divites quidem eſſe voluit? Sunt quædã artes quæ αἰσχροκέρδειαν ita cognatam habent, ut eam etiam adfricent auctoribus

ctoribus ſuis. Hæ damnandæ non ſolum in Epiſcopo, ac paſtore, ſed etiam in quolibet è grege. Nemo bonus poteſt eſſe profitentium illas artes, tametſi bene eas exerceat. Immo nec bene ſe quiſquã in his exercendis gerere poteſt quę per ſe improbæ ſunt. Vitio ipſius artis quæ mala eſt, mali ſunt, qui eas profitentur, etiamſi ex ſe ſuam iis non inferant maliciam. Etiam modicum quod ex his capi lucrum poteſt, αἰσχρὸν & iniuſtum eſt. Hoc amplius, etiam ſi gratis exerceantur, nihilominus tamen damnandæ ſunt. Merettix quæ gratis copiam corporis ſui faceret & publice omnibus pateret, improbe tamen faceret. Et leno qui gratis meretrices cupientibus produceret, non minus leno eſſet. Tales artes quæ per ſe vitioſæ ſunt, etiam citra vitiũ perſonæ eas factitantis, nihil habent quod corrigi poſſit, & omnino tolli debent, & exterminari è Chriſtianorũ cœtu. Nec enim pro Chriſtiano haberi oportet qui eas profitetur, quin nec pro probo viro. Aliæ ſunt artes, in quibus, quamvis ſordidæ habeantur, nihil eſt vitii niſi quod in iis exercẽdis ipſe importat artifex. Sordida quidem ars; ſed ſi in ea non ſe ſordide gerat qui eam facit, poteſt & Chriſti nomine non indignus eſſe, & bonus utiliſque

que cenſeri civis. Earum profeſſionum & quæſtuum αἰσχροκέρδεια non eſt affixa arti ipſi, ſed perſonæ. Ea ſi caret, culpa etiam ac peccato caret. Eas artes non venit Chriſtus ut è republica expungeret, ſed ut illarum profeſſores emendaret, & πλεονεξίαν atque αἰσχροκέρδειαν illarum tolleret. Veniſſe enim ipſe ſe dicit, non ut iuſtos, ſed ut peccatores ad pœnitentiam vocaret. Quantumlibet odioſæ & inviſæ pleræque illarum artium ſint, ſi tamen perſona, cui vel ex publica auctoritate, vel ex propria voluntate agitandæ incumbunt, recte, & ex legum præſcripto eas tractet, nihil etiam contra Chriſti præcepta agere poteſt videri. Publicanum primarium Zacchæum, promittentem, ſi quid cui per calumniã eripuiſſet, quadruplum eius ſe redditurum, Dominus in via ſalutis eſſe dixit, quãvis ſe profeſſioni renuntiaturum non promiſiſſet. Quid ſi nihil ille per fraudem cuiquam eripuiſſet? Nihil certe reddere debuiſſet, & poterat ſalutem conſequi, quam ipſe Dominus domui illi adeſſe tum dixit. Ita publicanos admiſit ad baptiſmum Iohannes, non publico ſe, quod agebant, abdicantes, ſed ſub ea tantum lege, ne in portoriis exigendis plus quam conſtitutum eſſet ipſis,

ipſis, acciperent. Nec fœneratores, ut toties iam dictum eſt, in alia conditione. Omnium harum profeſſionum ſola πλεονεξία reſcindenda eſt, profeſſio retinenda. Unde apud Eſaiam cap. LVIII. οὐχὶ τοιαύτην νηστείαν ἐξελεξάμην, λέγει Κύριος, ἀλλὰ λύε πάντα σύνδεσμον ἀδικίας, διάλυε στραγγαλιὰς βιαίων συναλλαγμάτων, ἀπόστελλε τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει, καὶ πᾶσαν συγγραφὴν ἄδικον διάσπα. Quæ verba poſuit Barnabas in Epiſtola ſua catholica, ut leguntur in eius antiqua verſione ex codice vetuſtiſſimo Corbeienſi: *Non tale ieiunium elegi, dicit Dominus, ut quis humiliet animam ſuam ſine cauſa: neque ſi curvaveris quaſi circulum collum tuum, & ſacco te circumdederis, & in cinerem te ſtraveris, nec ſic celebrabis mihi ieiunium acceptum. Ad nos autem ſic dicit, cum ieiunaveritis, ſolve omnem nodum iniuſticiæ, & omnem conſignationem iniquam dele, reſolve ſuffocationes impotentium commerciorum, dimitte quaſſatos in remiſſionem, & omnem cautionem iniquā diſſipa.* Hęc omnia ad πλεονεξίας ἀπαλλαγὴν tantum pertinent, ut etiam ad eum locum notant interpretes. Si vetita βίαια συναλλάγματα, id eſt, per vim facta, ἑκούσια licita. Si omnis iniuſta ſyngrapha ad circumſcribendum proximum conſcripta, improbatur, iuſtam probari ex eo certum eſt. Ergo iuſtum ac legi-

ac legitimũ fœnus, & legitima portoriorũ exactio nihil habent commune cum illis *βιαίοις συναλλάγμασιν* Eſaiæ, *καὶ τοῖς ἐξ ἀδικίας συστᾶσι.* Sed prius eſt, ut Græci aiunt, *ἀποστῆναι κακῶν*, deinde *μετιέναι τὴν ἀρετὴν*, *à vitiis recedere, deinde virtutem perſequi.* Sunt quibus illud primum ſatis eſt, ut caveant vitiis, & malis operibus abſtineant, ſed aliis non ſufficit niſi etiam bonum operentur, & virtutibus omnibus abundent, præcipue illis, qui ex officii ſui ratione & vocationis merito ut perfectiores eſſe debent, ita aliis minus perfectis præcipere. Tales omnino ſunt quibus Deus regendam ſuam Eccleſiam commiſit, primo Apoſtoli, deinde Epiſcopi preſbyterive. Fœnerationem & negotiationem aliquam, vel etiam artem ſordidam alius è plebe Chriſtianus recte faceret, dum ne *πλεονέκτην* in ea ſe oſtenderet. Eccleſiæ rector & miniſter altaris in totum ab ulla tali profeſſione debet abſtinere. Et quoniam multi erant, qui ſua voluntate quod rectum ſibi ac decorũ eſſet, non facerent, ideo intervenere decreta conciliorũ, quæ in poſterum id fieri ab illis vetarent. Nec eſt quod quis hic mihi obiiciat, omnes ad eam perfectionem teneri, & ad illa præcepta ſervanda quæ perfectis dantur.

Utinam hoc poſſent omnes. Non omnia membra oculi ſunt. In corpore etiam pudenda ſunt. *Nunc autem*, inquit Apoſtolus, *ſingula quæque membra in corpore poſuit Deus ſicut voluit*. Si recte caput imperet, officiũ ſuum facit: ſi pedes pareant & manus, etiam ſuum. Hæc enim ſola illis data eſt gloria qua obſequuntur. Sunt paſtores, ſunt & greges. Hi ſequi, illi ducere nati. Ergo diverſas eorum virtutes eſſe oportet, ut diverſa officia. Maiores utique & plures eius qui ducit, quam eorum qui ſequuntur. Plerumque fit tamen ut in quibuſdam gregalibus maior deprehendatur perfectio quam in ipſis paſtoribus. Hoc eſt quod dicit idem Apoſtolus, quæ infirmiores eſſe videntur partes corporis, etiam neceſſarias eſſe. *Et quæ putamus*, inquit, *ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem abundantiorem circumdamus, & quæ inhoneſta ſunt noſtra, honeſtatem abundantiorem habent*. In eodem ordine & gradu, ut Apoſtolorum, alii aliis eminentiores fuere, & perfectiores. Hos ὑπερλίαν ἀποστόλους vocat Paulus. In his Iudas etiam imperfectiſſimus repertus, ac vitioſiſſimus. Non igitur merebatur reprehenſionẽ, quod ſcripſi, ad altiores virtutes non poſſe adſpirare omnes, qui ad

eas

eas invitari videntur, nec poſſe omnes ſpiritales eſſe, ſed nec debere. Quis enim dubitat qui vere velit ſentire, quin Deus quoſdam determinarit ut eſſent lux mundi? Ita enim dixit Apoſtolis ſuis, *Vos eſtis lux mundi.* Omnes quidem quos è tenebris eripuit, eos etiam illuminavit, luce ſuæ doctrinæ. Sed peculiari dono Apoſtolos beavit, ut lucerent quaſi lucerna in alto poſita. Quos non ita prædeſtinavit, ut cæteris prælucerent, certum eſt, non eſſe ad hoc ab illo deſtinatos. Nec igitur debuere omnes ita ſal eſſe ac lux mundi ut Apoſtoli, quos ad hoc elegit. Aliquid enim ſtatueret ac faceret Deus, quod non deberet. Quod hic illo perfectior eſt aut imperfectior, totum id ab illo procedit qui varia variis χαρίσματα, ut ait magnus Apoſtolus, dedit. Cur enim alii Apoſtoli, alii prophetæ? Cur alii doctores, alii aliis virtutibus præditi? Cur deniq; plerique nihil horum? Quibus ut aliquod χάρισμα haberent Deus dedit, non potuerunt habere aliud præter illud quod iis à Deo datum eſt. Quibus nullum datum eſt, nec habere potuerunt. Nec ergo debuerunt. Ut oculus non debet eſſe auris, nec pes idem quod manus. Quod diſtinctionem poſui inter carnales ac ſpiri-

ritales, non eo pertinet illa diſtinctio, ut putem quemquam poſſe ſervari per opera carnis, aut mere carnales qui non habent ſpiritum Dei, poſſe eſſe ſalvos. Scio, qui non habet ſpiritum Chriſti, hunc non eſſe eius. Et qui ſecundum carnem vixerit, moriturum. Qui ſpiritu facta carnis mortificaverit, victurum. Neminem hic excipi, certus ſum, quaſi liceat cuiquam ſecundum carnem vivere, & interim ſibi ſalutem polliceri. Sed ſpiritus ille quo facta carnis iubemur mortificare ut vivamus, ut idem eſt qui in omnibus habitat quos ad ſalutem Deus deſtinavit, ita non eodem genere, nec eadem menſura omnibus datus eſt. Nam, ut ait Apoſtolus, diviſiones donationum ſunt, ſive chariſmatum, idem autem ſpiritus. Ab ea gratiarum diviſione, diverſi etiam gradus ſpiritalium. Qui in altiſſimo gradu ſunt, ac perfectiſſimo, ii ſunt quos *ſpiritales* proprie & καθ' ἐξοχὴν appellavimus, & qui ad altiores virtutes poſſunt adſpirare. Hinc illæ duæ πολιτεῖαι in Eccleſia Chriſti à Philone & antiquis patribus cognitæ, una ſublimior & mere ſpiritalibus conveniens, quam & ἀποστολικὴν, & ἀγγελικὴν, & ἀποκόσμιον, & ὑπερφυῆ, & ὑπερβεβηκυῖαν nominarunt: altera ordinis & gradus

gradus inferioris, hominum ſæculariũ, in activa vita occupatorum, non tamen propterea carnalium, ſed fidelium, ſed etiam ſpiritum Chriſti habentium, qui eos ad hanc πολιτείαν vocavit, & qui de ſuo ſpiritu tantum illis impertiit quantum ad ſalutem conſequendam neceſſarium iudicavit. Hi ſunt quos βιωτικοὺς dixere, qui negotiantur, qui mercantur, qui artes quæſtuarias colunt, qui fœnerantur, qui culturam agrorum exercent, qui rem denique familiarem honeſtis ac legitimis modis ad ſe ac familiam tuendam augere ſtudent. Hi ſi mandata exequantur divina, ſi fidem habeant, ſi charitatem, quis dubitat, quin & ſpiritus in his Chriſti ſit, quo diriguntur in hoc ipſo vitæ genere, ad quod eos vocavit, recte fungendo? Infra hanc claſſem ſunt qui παρὰ φύσιν vivunt. Omnes impii & improbi, quos vere carnales dixeris. Hos Dei ſpiritus non regit, nec dirigit, nec quiſquam poſſit dicere, aliquo Dei χαρίσματι poſſe tales gloriari vel minimo: & proinde certum eſt, firmumq; manet, qui opera illa carnis quæ Apoſtolus ad Galatas recenſet, aut ſimilia his faciunt, à regni Dei poſſeſſione excludi. Fruſtra eſt igitur quod contra me concludunt, non poſſe pœna mortis æternæ

iure plecti qui ſpiritales eſſe non poſſunt, nec debent. Spiritales nõ ſunt nec eſſe poſſunt niſi qui Dei ſpiritum acceperunt. Atqui non ille eum omnibus dat, ſed quibus vult. Uult autem tantum electis. Electi non intelliguntur niſi ad diſcrimen repudiatorum. Quî enim electi alii, niſi ex numero plurium ſegregati & exempti ad ſalutem, quæ negata eſt repudiatis, id eſt, non electis? Si omnes quippe electi eſſent, nulli eſſent. Debere eſſe electos, eoſque paucos, quia Dominus id dixit qui veritas ipſa eſt, verum eſt. Ergo & repudiati quoque plures eſſe debent, quotquot nimirum electi non fuere. Ex operum ratione ac mẽſura, non eſſe eligendos, ipſe Dominus declaravit parabola operariorum, cum illi qui undecima hora venerant parem mercedem acceperunt atque illi qui à ſummo mane ad veſperam in agro laboraverant. Non propterea tamen deſides eſſe ac pigros nos oportet, ſed paratos etiam ad operandum tota die in vinea Domini. Sed quomodo pœna mortis æternæ iure plecti poſſunt, qui ſpiritales eſſe non poſſunt, id eſt, quos Deus in electorum ſuorum numerum adlegere noluerit? Hoc altioris indaginis, & alterius loci. Interim hic illa Pauli nobis occurrãt

&

& in mente ſint de figulo, vaſa ſua utlubet, & ad quem vult uſum, formante. Quod addunt, non poſſe ſpiritalium illis encomium denegari, qui opera carnis ſpiritus divini ope abiecerunt, aut, ut ait Apoſtolus, carnem cum affectibus & concupiſcentiis crucifixerunt, ſane nec ego illos hac laude fraudandos cenſeo. Quam autem difficile ſit, immo impoſſibile, ſecundum humanam rationem, pleriſque ad eam laudem ſpiritalium adſpirare, ipſe Dominus exemplo illius divitis pronuntiavit. At Deo dixit omnia eſſe poſſibilia. Quanta autem illecebra ad peccatum pecunia ſit, fidem facit, quod ſolus ex Apoſtolis, qui loculos nummorum gerebat, deſertor Domini ſui fuit, ac proditor. Plerique omnes aut divites ſunt, aut eſſe volunt. Eſſe, & velle, in æquo eſt, ad εὐπερίστατον ἁμαρτίαν in nos conciliandam. Ad altiores virtutes ei, qui illa cupidine & aliis concupiſcentiis laborabit, vix eniti dabitur. Qui in mediocribus poſſunt ſubſiſtere, ut illi quos βιωτικοὺς appellant, & βιωτικὰς virtutes poſſident, non eſſe difficilius ad ſublimiores quæ θεῖα vocantur evehi, quam mediocres affectare illis qui prorſus omnibus deſtituti ſunt, palam eſt. Iſti ſaltem βιωτικοὶ, vel Laici fide-

 les,

les, fructum ferunt, ut ait Athanaſius, ad trigeſimæ frugis fœnus. At reprobi nullum. Et hos certum eſt nullum à Deo chariſma habere, cum quædam eius dona ſint mediocria, alia ſumma. Quibus mediocria data ſunt, debere eos ad ſumma contendere, præcipit Apoſtolus I ad Cor. XIII. Ζηλοῦτε δὲ, inquit, τὰ χαρίσματα τὰ κρείττονα, καὶ εἴτι καθ' ὑπερβολὴν ὅλον ὑμῖν, δείκνυμι. Ita enim hæc verba legenda, partim ex coniectura, partim ex vetuſtiſſimo codice Puteanæ Bibliothecæ, in quo ſcriptum eſt, εἴτι, non ἔτι. At ὅλον pro ὁδὸν, certiſſima eſt coniectura, & minima conſtans mutatione, ex libris antiquitus exaratis charactere, ut vocãt, capitali, nullo inter lambda & delta diſcrimine, niſi lineę quę in hac ſubtenditur. *Aemulamini*, ait Apoſtolus, *chariſmata meliora, & ſi quid vobis totum eximium & excellens, monſtro.* Ὅλον καθ' ὑπερβολὴν, *totum excellens.* Omnia igitur illa ἐπιτακτικὰ præcepta Domini, de quibus in ſuperioribus egimus quamvis pro cauſis ac temporibus, Apoſtolis ſolis competãt, omnibus tamen videntur data, qui contentione & æmulatione meliorum, ea pro virili ſectari tenentur. Non ut tamen ulla opera *ſupererogationis* admittenda ſint, quæ non magis peccant verbo contra latinitatem, quam

quam re ipſa contra fidem. Nam tametſi quis per ἄσκησιν illa omnia poſſet implere, non plus tamen faceret quam debet. At βιωτικός, qui moralia tantum exequitur, facit tantum quod debet, immo etiam minus, ſi cum poſſit ulteriora conari, ſibi ipſi deeſt, nec eam quam debet σπουδὴν καὶ ἐπιθυμίαν περὶ τὰ πνευματικὰ exhibet. Reprobi autem faciunt contra quod debent. Cæterum conatus ille ipſe quo tendimus ad meliora ac maiora chariſmata, etiã Dei chariſma eſt. Et veriſſimum eſt poſt omnia, Apoſtoli ſcitum, quod ſe in omnibus Eccleſiis ſtatuiſſe & docuiſſe teſtatur, unumquemque ita ambulare debere, ut ei Deus diviſit, atque ut eum vocavit. Ad Corinthios I, cap. VII. εἰ μὴ ἑκάστῳ ὡς ἐμέρισεν ὁ Θεὸς, ἕκαστον ὡς κέκληκεν ὁ Κύριος, οὕτω περιπατείτω, καὶ οὕτως ἐν ταῖς ἐκκλησίαις πάσαις διδάσκω. Qui non poteſt continere, uxorem ducat. Maius eſt chariſma, continere poſſe. Nam in continentia & virginitate εὐπεριστάτῳ ἁμαρτίᾳ non adeo facile locus datur. Uxore ducta liberi plurimum ſequuntur. Quærendum quo alantur cum uxore, & ut in poſterum ne egeant, proſpiciendum. Ad bona paranda animus adplicandus. Ut bono modo interim id fiat, facile tamen ſurrepit,

ſi occaſio non datur legitime acquirendi, ut per nefas non neceſſaria tantum comparare ſtudeamus, ſed etiam ſupervacua. Sic in πλεονεξίαν incidimus. At longe magis ἀπερίσπατος, qui nec liberos habet, nec uxorem, ſi poſſit continere. Melius ergo, & ut melius, ita perfectius, nõ nubere. Potius tamen eſt nubere quam uri. Et hoc ſecundum χάρισμα. At qui inconceſſa venere utitur, & libidini ſuæ obſequitur, prorſus παράνομος. Ita de aliis. Paupertatem ferre poſſe, & contentum eſſe, ut ſuadet Apoſtolus, victu & veſtitu, præcipuum eſt χάρισμα. Qui non poteſt ad hanc anſteritatem ac duriciam ſuam vitam componere, ita divitias paret, ut ſine cuiuſquam iniuria eas pariat. Hoc ſecundum χάρισμα, quod nullum eſt in πλεονεξίᾳ, & plus habendi cum proximi noxa cupiditate. Sic duæ πολιτεῖαι ſunt in Chriſtiana vita, prima ἀσκητῶν, quæ perfectiorum eſt, & ab omni ἀπερισπάστῳ ἁμαρτίᾳ ſeſe procul ſubducentiũ: altera τῶν βιωτικῶν, id eſt, Laicorũ fideliũ, qui ſecunda habẽt χαρίσματα. Hi in hoc inſtituto, in quo Deus eos collocavit, eiuſdem Dei ſpiritus ope, à peccato tamen, quamvis in tali vitæ genere ἀπερισπάστῳ, poſſunt abſtinere. Quos proinde licet minus perfectos dicere.

Una

Una quidem hominis eſt perfectio, qua ſe perfectum non eſſe ſciat. πλείου γὰρ, inquiunt patres, τὸ μὴ τέλειον νομίζειν ἑαυτόν. τοῦτο γάρ ἐστι τελειότης, τὸ μὴ θαῤῥεῖν. Comparative tamen ac relative loquimur, id eſt, humano more, cum alios aliis perfectiores dicimus. Ut potiora alia ſunt Dei dona ac præſtantiora, alia minora, ita quibus maiora conceſſa ſunt, perfectos eſſe reſpectu aliorum quibus data ſunt inferiora, manifeſtum eſt. Qui mallet voce *perfectionis* abſtinuiſſe eos qui ſacram ſcripturam verterunt ubi τοῦ τελείων meminit, vellem ipſe tali obſervatione abſtinuiſſet. Nam illi ipſi loci ubi τέλειον non poſſe perfectum ſignificare probat, aliter reddi Latine non poſſunt. Ut ad Philippenſes III, XV, ὅσοι οὖν τέλειοι, τοῦτο φρονῶμεν. Non immerito *adultos* hic verti à ſummo viro, notat Exercitator ſacer. Mallem eum hic eo nomine arguiſſet, iure id magis feciſſet quã ſexcentis aliis in locis ubi non merito eum reprehendit. Si τέλειοι hic *adulti* ſunt, paulo ante, ἢ ἤδη τετελείωμαι, reddendum eſt, *aut iam adoleverim*. Pro quo libri quidam habent, ἢ ἤδη δεδικαίωμαι. Quidam etiam utrumque: ἢ ἤδη δεδικαίωμαι, ἢ ἤδη τετελείωμαι. Atque ita vetus verſio, *aut iam iuſtificatus ſim, aut iam perfe-*

perfectus ſim. Quis hic vertendum autumaret, *aut iam adultus ſim*? Pro, *ſanctificatus ſim*, videtur poſuiſſe. Nam & τελειοῦν eſt *ſanctificare*. Et ſanctificati ac iuſtificati proprie τέλειοι, id eſt, perfecti. De ſenſu illorum verborum & totius loci nos alibi. Item ad Corinthios I, cap. II, σοφίαν δὲ λαλοῦμεν ἐν τοῖς τελείοις. Alludit ad ſapientes, id eſt, σοφοὺς gentiliũ, qui τέλειοι ducebantur, & dicebantur, id eſt, in ſapientia conſummati. Qui modeſtius de ſe ſentiebant, ſe φιλοσόφους nominarunt, quaſi τελειότητος, id eſt, ſοφίας amantes, non ipſi τέλειοι, vel σοφοὶ, perfecte ſapientes, vel perfecti. Dicit ergo, ſe σοφίαν λαλεῖν ἐν ταῖς τελείοις, id eſt, σοφοῖς, ſed non mundanis. Nomine quippe τελείων intelligit Apoſtolus fideles, in fide perfectos, non adultos. Hæc vera ſapientia. Etſi autem νηπίοις apud Apoſtolum aliquando opponuntur τέλειοι, non inde ſequitur, debere verti *adultos*. Nam & illi νήπιοι non proprie, ſed metaphorice appellantur. Ut ſi dicerem, aliquem eſſe infantem in Græcis, & opponerem illũ perfecte erudito vel perfecto in ea litteratura, non deberẽ dicere, *adultum eſſe in linguæ Græcæ cognitione*. Sic ad Corinthios I, cap. XIV, μὴ παιδία γίνεσθε ταῖς φρεσὶν, ἀλλὰ τῇ κακίᾳ νηπιάζετε, ταῖς

δὲ

ταῖς δὲ φρεσὶν τέλειοι γίνεσθε. Reddi omnino debet, *ſapientia autem perfecti eſtote, & pueri malicia.* Nam & adulta ac matura ætas optime, etiam dici poteſt, ac dicitur, *perfecta.* Adde quod Græci, ſæpe νηπίους pro inſipientibus ponunt, quia νήπιοι tales. Unde, νηπιάας ὀχέειν Homero. Idem Apoſtolus ad Coloſſenſes cap. IV, ἵνα στῆτε τέλειοι καὶ πεπληρωμένοι ἐν παντὶ θελήματι τοῦ θεοῦ. Quis hic vertendū putaret, *ut ſtetis adulti & pleni in omni voluntate Dei?* Sed & ab ipſo Critico ſacro vellem ſcire an *integris* illis ſuis qui innocentes ſunt, & hypocritis opponuntur, locum hic eſſe vellet. Ut igitur alia ſunt perfectiora Dei chariſmata, & quædam præcepta Domini perfectiora, ita perfecti quibus illa donata ſunt, & iſta vero etiam data perfectioribus. Sed & qui ea implere & executioni mandare poſſunt, magis utique perfecti. Ad illa præcepta Chriſti, perfecta ac perfectis data, nihil pertinent, ut dixi, uſuræ & fœnus, niſi quatenus ille qui mutuum ab aliquo accepit, ex conſequentia & analogia illorum præceptorum plus etiam uſuræ nomine præſtare creditori ſuo deberet, quam quod cum illo pactus eſt, & leges exigi iubent. Non itaque aliud in hac de uſuris & fœnore trapezitico tractatio-

ctatione ſpectandum habemus, quam ſi præceptis moralibus adverſentur, & πολιτείᾳ τῶν βιωτικῶν, virtutibuſque politicis contrariæ ſint. Non eſſe, iam ſatis oſtendimus. Nam nec Iudæis prohibitum eſt fœnus, niſi cũ fratribus. Quod ex iure eorum civili deſcendit, non morali. Nec à Chriſto expreſſe vetitum eſt. In his ergo quæ iuris poſitivi ſunt an Chriſtianis licita ſint, regula videretur petenda ex pœnis legum publicarum. Ut, quæ impunita reliquerint, etiam permiſſa voluerint. Sed hæc regula ſæpe fallit. Nam leges civiles multa permittunt, quæ tamen charitas vetat. Ut ne cupiditate aut neceſſitate atque inopia ſumma proximi mei abutar ad extorquendũ ab eo maius rei meæ pretium quam iuſtum eſt. Cum enim hoc liberum leges unicuique permittant, rei ſuæ quantum maximum velit pretiũ conſtituere, ſi quis ea libertate in immenſum abutatur, certum eſt, illũ contra charitatem Chriſtianam, immo vel humanam peccare. Hæc ſpecies iniuſticiæ, ὑπὸ νόμου quidem ἀφειμένη, ut loquitur Iſidorus, ſed τὸ δίκαιον ἀνατρέπουσα. Aliud eſt in illis, quæ lex non per conniventiã & tacitam permiſſionem, quia nihil de vetandis iis ſanxerit, videtur licita feciſſe, ſed quibus

bus modum impoſuit,intra quem liceret, & ultra quem ſine pœna uſurpari non poſſent, ut in uſuris. In his τὰ νόμιμα etiam δίκαια haberi debent, niſi quis inſuper habita horum obſervatione ad altiora niti velit, & perfectioris charitatis exemplar ſequi. Leges civiles quadrupli pœnam maius legitimo fœnus exercentibus impoſuere. Quæ multa non ſolum in libera republica obtinuit, ſed etiam ſub Imperatoribus. Saltem renovata eſt lege Valentiniani ac Theodoſii his verbis: *Quicumque ultra centeſimam lege permiſſam aliquid ſub occaſione neceſſitatis eruerit, quadrupli pœna ex obligatione conſtrictus ſine ceſſatione, ſine requie protinus ablata redhibebit. Hi vero qui antea pari furore graſſati uſpiam detegentur, in duplum extorta reſtituent.* Quod antea commiſſa in uſurarum legitimarum, id eſt, centeſimarũ exceſſu, lui vult tantum dupli multa, argumento eſt, pœnam quadrupli, ſed nec dupli, adverſus fœneratores improbos in uſu fuiſſe ante illam legem. Nec diu videtur ſervata illa lex. Nam in collectione legum Leonis, Baſilii, & Conſtantini, qui modos ab eis præſcriptos uſurarũ non obſervaverint, iubentur tantum amittere debitum, ὁ γὰρ παρὰ ταῦτα, inquiunt, δανείζων, ἐκπιπτέτω τοῦ χρέους. Diocle-

cletianus antea uſuras uſurarũ exigentes, quod etiam infame fuit in veteri Græcia, ubi omnia circa uſurarium negotium cuilibet permiſſa fuere, ignominia notandos ſanxit. Nec iſtud etiam obtinuit poſt illum. Ne in foro quidem conſcientiæ norma faciendorum, & non faciendorũ, ex cenſura & pœnis Eccleſiaſticis ſumi ſemper debet. Eccleſia enim primitiva, quæ maxime rigida etiã in minimis delictis caſtigandis fuit, vel pœnitentia publica, ut olim, vel excommunicatione, ut poſtea, peccatis ex πλεονεξίᾳ natis nullam irrogavit cenſuræ notam. Cum legitimum fœnus πλεονεξίαν non eſſe ſupra docuerimus, multo etiam minus pœnis Eccleſiaſticis obnoxium eſſe debeat, etiam trapeziticum, ſi intra modum à lege vel magiſtratu præſcriptum conſiſtat. Exceptis enim his tribus, furto, ſacrilegio, & ſepulcrorum diſſolutione, quæ ſpecies ſacrilegii fuit, quam τυμβωρυχίαν dixere, cætera omnia delicta ex πλεονεξίᾳ orientia incaſtigata reliquerunt. Qua de cauſa autem, fœnoris exceſſui, & aliis avariciæ exercendæ modis violẽtioribus, non fuerit impoſita pœna Eccleſiaſtica ab antiquis patribus, neſcire ſe fatetur idem Gregorius. *Et*

quo-

quoniam, inquit, *id ab illis inſuper habitum eſt, ſatis habemus ea vitia, in quantum poterit fieri, publico doctrinæ ſermone & alloquutione ſacra ſanare,* ὥσπερ τινὰ πληθωρικὰ, τὰς πλεονεκτικὰς ἀῤῥωστίας διὰ λόγου καθαίροντες, *tanquam morbos quoſdam ex repletione natos, vitia huiuſmodi ex avaricia orta verbo curantes.* Nec aliam viam tenuere patres priſci Græci Latinique, tam Gregorio anteriores quam inferioris ævi, qui allocutionibus ſuis ad populum extirpare ex hominum pectoribus omnes avariciæ cauſas conati ſunt. Inde illorum adeo frequentes, quibus in fœnus acerrime invehuntur, declamationes. Quod enim in Eccleſia ſine cenſura abiret fœnoris exceſſus, & in politia publicæ etiam leges impunitum eum dimitterent, ideo tum ad eam uſq; immanitatem procedebat plurium fœneratorum improbitas, ut & perſonas liberas ſibi dedi poſcerent atque addici, liberos à parentibus in ſervitutem auctoratos acciperent, ne mortuis quidem parcerent quin cadavera ſibi nexorum corporum ſepulturæ mandari vetarent, donec diſſolutum eſſet à propinquis aut parentibus cognatiſve debitum. Hæc patres acerbe exagitant, & merito: cum tam atrocia illa facinora ab fœneratoribus pleriſque com-

mitterentur. Non ea autem de legitimo fœnore & intra modum conſiſtente, dici ab illis putandum eſt. Si quando vero & legitimas uſuras carpunt , id eo conſilio faciunt , ut abducendo homines vel à legitimo ac licito quæſtu, tanto magis ab improbo & illicito eos averterent. Quod exẽplo Chriſti faciunt, qui ut à vetitis lege morali ſuos longius avocaret, illa etiam vetat quę tenui limite ab illicitis diſſepta erant , ut pote à quibus ad illicita anguſtus eſſet traiectus. Tanto enim facilius abſtinebit ab impermiſſis, qui nec lege ac moribus cõceſſa ſibi permittet uſurpare. Sic illi mercaturam & alias quæſtuarias profeſſiones, omnemque lucri cupidinem ſæpe condemnant , & eius abſtinentiam commendant, in viris præcipue honeſtis. Ne alia neceſſe habeam teſtimonia conquirere, aut quæ ad manum ſunt conferre, unum ſufficiat ex Ambroſio, de Officiis lib. II, cap. XIV, ubi in parallelo ponit mercaturam , & fœneratoriam uſuram: *Decet igitur omnes cenſura frugalitatis, & maxime eum qui honore præſtat , ne præeminentem virum theſauri poſſideant ſui , & pecuniis ſerviat qui præeſt liberis. Illud magis decet, ut ſupra theſaurum ſit animo, & infra amicum obſequio. Humilitas enim gratiam auget . Hæc*

plena

plena laudis & digna primario viro, non communem cum Tyriis negotiatoribus, & Galatis mercatoribus, habere turpis lucri cupidinem, nec omne bonum locare in pecunia, & tanquam mercenario munere quotidianos numerare quæſtus calculari compendio. Qui omne bonum locat in pecunia, & tanquam mercenario munere quotidianos numerat quæſtus, fœnerator eſt ſive trapezita, quem cum negotiatore Tyrio, & Galata mercatore, componit. Cum quæſiſſem in Præfatione, cur peioris conditionis in Eccleſia Dei eſſent fœnerationem publice profitentes, quam mercaturæ operam dantes, in aperto eſſe *cauſam* dicit Epiſtolæ auctor, *videlicet illum à ſpiritu ſancto conceptum* μακαρισμὸν *illorum qui pecuniã ſuam non exponunt fœnori, cum quo* μακαρισμῷ *iſtis vindicato denuntiatur fœneratoribus eliminatio ex Dei tentorio, & ex monte ſanctitatis eius. Adverſus mercaturæ operam dantes nullum eiuſmodi extat præiudicium.* Quærerem hic ab illo, an putet μακαρισμὸν illorum qui pecuniam ſuam non exponunt fœnori, etiam ad eos pertinere qui cum gentibus lege Moſis, ut eſt in Deuteronomii XXIII, fœnus licitum exercebant? Si eliminatio illa ex tentorio etiam iſtos conſtrinxit, tum prophetam oportet contrariam legem legi Mo-

ſaicæ ſanxiſſe. Nam Moſes cum alienigenis paſſivam permiſit uſuram, cum indigenis vetuit. Nunc ſi propheta denuntiatione ex ſancto ſpiritu concepta arcet tale fœnus exercentes, quale Moſes Iudæis licitum eſſe voluit, à Dei tentorio, & monte ſanctitatis eius, neceſſe eſt alio ſpiritu Moſem, alio prophetas fuiſſe inſpiratos, dum ille permittit, quod iſti non admittunt. An per prophetas Deus revocavit quod per Moſem indulſerat? Sed cui hoc fiet veriſimile? Haud ſane magis quam illud, prophetis in animo fuiſſe legem Moſis diſſolvere, & contraria ſcita illi ſancire. Ezechiel quoque cap. XVIII, victurum eum eſſe pronuntiat, *qui pecuniam ſuam non dederit ad uſuram.* At de dante ad uſuram & amplius accipiente addit, *numquid vivet? Cum univerſa hæc deteſtanda fecerit, morte morietur, ſanguis eius in ipſo erit.* Inter illa deteſtanda ibi recenſet, *panem eſurienti non dare, nudum veſtimento non operire, manum ab iniuria pauperis non abſtinere, pignus non reddere, cum muliere cui menſtrua eunt rem habere, in præceptis Dei non ambulare.* Quæ Dei præcepta, ut & omnia ſuperius memorata, per Moſem à Deo Iſraëlitis ſunt tradita. Nec ergo diverſa præcipere cenſendũ à Moſe Ezechielem,
nec

nec Davidē, nec quantum eſt prohetarum. Rabbini *verbum legis* רבה תורה de lege Moſaica dicunt, & *legem* abſolute vocari volunt legem Moſis, quod ſæculis omnibus data ſit, ſed verba prophetarum nonniſi דברי קבלה, id eſt, *verba traditionis*, appellant, quia illi à ſpiritu ſancto traditas accepere ſingulas prophetias, prout temporis aut perſonæ, aut alicuius facti περιστάσις poſtularet. Non igitur cogitandum eſt, *verba traditionis*, quæ ad tempus valent, quia pro tempore data ſunt, prævalere *legi* quæ æterna eſt. Cum autem per traditionem præcepta legis moralis quæ perpetua eſſe debet confirmantur, tum & ipſa perpetua eſt, quia vim talem accipit à lege. Nec enim lex ab ipſa. Non itaque poteſt eſſe contraria traditio legi morali. Iidem Rabbini ad Pſalmum illum XV notant, Davidem & prophetas non aliud nec aliter prohibere quoad uſuram, niſi id quod lex prohibet, & quomodo prohibet, quia dixit Moſes ,, *non fœnerabis tuo fratri*, Deuteronomii XXIII, XIX. Sed eadem lex permittit fœnerari extraneo; *Extraneo fœnerabis, ſed fratri non fœnerabis.* Μακαρισμὸς itaque ille non dantis pecuniam ad uſuram nihil pertinet ad eum qui ex legis expreſſa permiſſione pecu-

 niam

niam fœnore dederit alienigenæ. Sed nec cæteri prophetarum loci quibus uſura ſevere interdicitur & eam exercentibus maledictio à Deo formidanda proponitur, aliud genus uſuræ reſpiciunt quam lege vetitum. Sed nec vidit acutiſſimus Theologus, μακαρισμοὺς illos prophetarum quibus beatum prædicant *qui pecuniam non dederit ad uſuram*, contra eius ſententiam plurimum facere, contra meam nihil. Scribit ille in Theologica de Uſuris inſtitutione, non omnem uſuram Iudæis inter ipſos eſſe vetitam, nec cum omnibus. Etenim modicas & æquabiles fuiſſe eis permiſſas, & cum divitibus. At prophetæ in illis μακαρισμοῖς pronuntiandis abſolute de omni uſura edicunt. Quod non facerent ſi aliqua uſura inter fratres & tribules licita fuiſſet. Qui ſimpliciter beatum dicit qui pecuniã non dederit ad uſuram, nullam excipit, nec iuſtas ab iniuſtis diſtinguit, ſed omnes declarat iniuſtas, & μακαρισμῷ contrarias, quaſcunque tribulis à tribuli acceperit. At ſi licitas eas ſolas conſtat lege Moſaica quas Iudæus ab allophylo exegerit, ut ego ſtatuo, nihil contra has ſupra ſcriptus μακαρισμὸς prophetarum facit, nec enim ad eas pertinet. Nihil autem Iudæis cum maiore iniun-

ctum

ctum rigore, quam legis obſervatio in omnibus præceptis tam negativis quam affirmativis, etiam minimis. Unde Ioſephus, lib. 1 contra Appionem, hæc duo maxime Iudæis ſtudio eſſe tradit, liberorum educandorum curam, & legis obſervationem: μάλιστα δὲ πάντων περὶ παιδοτροφίαν φιλοκαλοῦντες, καὶ τὸ φυλάττειν τοὺς νόμους, καὶ τὴν κατὰ τούτους παραδεδομένην εὐσέβειαν ἔργον ἀναγκαιότατον παντὸς τοῦ βίου πεποιημένοι. *Præcipue liberorum educationi ſtudentes, & legum obſervantiæ, pietatemque in his traditam totius vitæ maxime neceſſarium opus rati.* Quoniam vero uſura cum fratre lege vetaretur, ideo ab ea Iudæi ſemper abſtinuerunt, & abſtinere ab illa prophetæ tot locis inclamant eos debere quibus legis cuſtodiam in omnibus ſuis articulis tantopere commendant. At ſi, cum lex eadem permittat cum extraneis Iudæo fœnus exercere, de ea tamen uſura, prophetarum contra uſuram teſtimonia placet auctori Epiſtolæ pro ſe adducere, videat vir optimus in quos ſemetipſum laqueos ex eo induat. In tractatione de Uſuris, ut & in hac ipſa Epiſtola fatetur, *Chriſtiano in Chriſtianum uſuras illas debere permitti quæ olim populo Dei cum alienis erant licitæ.* Cur ergo, aut ad quam rem profert pro-

phetarum teſtimonia, quæ nihil ad hanc uſuram ſpectant, & de illa ſola accipienda ſunt, quæ lege Moſis vetita fuit, quamque frater in fratrem exerceret? Cur etiam, quod ego quærebam, melioris erit conditionis in Eccleſia Chriſtiana mercator quam fœnerator, quandoquidem, ipſo teſte & iudice, *Chriſtiano in Chriſtianum uſuræ illæ debent permitti quæ olim populo Dei cum alienis erant permiſſæ?* Fruſtra nobis obtrudit, ex denuntiatione prophetæ eliminari fœneratores ex Dei tabernaculo, ut inde concludat, etiam fœneratores hodiernos ab Eccleſia Dei eſſe excludendos. Nam fœneratores illi quos in tabernaculo Dei non requieturos dicit propheta, non alii ſunt præter illos qui dāt fœnori fratri ſuo contra manifeſtā & expreſsā legis prohibitionē. Cæterū fœneratores Chriſtiani quibus permiſſæ ſunt illæ uſuræ quæ populo Dei erant licitæ in alienigenis, nihil habent commune cum fœneratoribus quos lex Dei non admittit. Fruſtra etiam vir ſacrarum litterarum peritus, quoniam adverſus mercatores nullum tale extat præiudicium quale adverſus fœnerantes quibus eliminatio ex Dei tentorio voce prophetę denuntiata eſt, ideo melioris eos eſſe debere conditionis ait in Eccleſia Dei quā

fœne-

fœneratores. Conſtat enim vel ipſius Theologi teſtimonio,ad illos fœneratores qui fœnus cum alienigenis exercent, denuntiationem illam prophetæ nihil pertinere. Quod ſi rurſum nobis opponat, per fœneratorem à ſe intelligi trapezitam, & eum qui publice eam artem profitetur, eamque fœnerationẽ Iudæis pertendat illicitam fuiſſe æque cum allophylis ac cum ὁμοφύλοις, illud ipſum debet demonſtrare. Cæterum quantum eſt ubique theologorum, ac litteratorum, nunquam mihi perſuadebũt,nec enim ulla probatione aut ratione id unquam evincent,uſuræ,quæ permittitur,appellatione,ſolam privatorum uſuram eſſe intelligendam, trapeziticam autem & fœneratoriã,ut vocant,ea notione minime comprehendendam. Evolvant ſcripturas Iudaicas, Græcas, Romanas.ſi vel unum ex omnibus argumentum proferre poſſunt quo id diſcrimen arguatur, tum concedã illos ſolos ſapere, me vero, qui contra ſentiam, deſipere & nugari. Mirabile eſſet, lucrum cuilibet facere licere, ut ante dictum eſt, ex rebus quas pecunia ſua emerit, quod eſt mercatorum, & ex ipſa pecunia idẽ non licere,quod eſt fœneratorum. Quæ enim ratio tanti inter utramque negotiationem diſcriminis, ut

mercatoria permittenda ſit, fœneratoria non ſit? An quia non debent in iuſticia commutativa locum habere contractus uſurarii, ut cenſent? Ita certe volunt, toto genere diverſos eſſe contractus uſurarios à commutativis. Audiamus rationes. Has enim expoſuerunt in Theologica de Uſuris inſtitutione. *In contractibus*, inquiunt; *commutativis fit aliqua commutatio, aut dominii, aut proprietatis rerum acquirendarum vel transferendarum, contractus autem uſurarii ſunt magis veræ rerum commutationis & naturalium conventionum præambuli.* Rogatos primum eos velim, an non putent, mutuum reponendum eſſe inter contractus commutativos? Vel inde nomen habere oſtendimus, à *mutando*. Et μοῖτον etiam Siculis ea ratione appellari, quod idem eſt atque ἀμοιβή. Nam ex verbo Siculo μοιτῶ ſuum *mutare* fecerunt Latini, quod antiquitus ſcribebant *mœtare*, ut *cœrare, œtier*, pro *curare, uti.* Ergo vel ex nominis proprietate, *mutuum* eſt commutativus contractus. Videamus, an definitio commutativorum contractuum mutuo etiam conveniat. Dicunt, *contractum commutativum eſſe cum fit commutatio aut dominii, aut proprietatis rerum acquirendarum vel transferendarum.* Nonne hæc fit in mutuo commu-

mu-

mutatio ? Transfertur enim dominium pecuniæ mutuaticiæ ad debitorē ut ea uti frui poſſit, deinde poſt præſtitutum tempus ea redit ad dominum. Quæ duplex permutatio, ut vere inde mutuum à mutando nomen inveniſſe videri queat. Transferri dominium ad tempus rei mutuo datæ, docent illi qui mutuum inde dictum autumant, quod fiat *de meo tuum*. Si de mutuo gratuito fateri neceſſe habent, contractum eſſe commutativū, quo colore id de mutuo fœnebri, hoc eſt, contractu uſurario, negabitur ? An uſura, quæ acceſſio eſt, ſubſtantiam mutui abolefacit ac perdit, aut ita immutat ut ex contractu commutativo in aliam naturam convertatur? Mutuum inter eas obligationes reponi quæ ex contractu naſcuntur, & obligationem eſſe quæ re contrahatur, notum eſt. Cuius generis eſt commodatum, depoſitum, & alia. Ut commodatum ſit, debet eſſe gratuitum. Si non ſit, tranſit in aliud nomen. De mutuo nihil neceſſe eſt. Nam mutuum fœnebre tum dicitur, quamvis tunc ſimilius ſit locationi, &, cum gratuitum eſt, commodationi. Sed nec illud obſtat, quod mutuum ipſum re contrahitur, uſuræ non aliter debentur iure Romano niſi in ſtipulationem deductæ,

ctæ, quæ obligationis alia eſt ſpecies, verbis contrahi ſolitæ. Illud de ſtipulatione uſuris paciſcendis interponenda Quiritum iuris fuit proprium. Apud Græcos ſolo pacto in ipſa pecunia mutuo danda de his conventio fiebat. Sed & apud Romanos etiam in pluribus caſibus uſuras etiam ſolvi moris erat nulla interpoſita ſtipulatione promiſſas, ut trapeziticas. Eas enim ἀνεπερωτήτως, id eſt, citra ſtipulationem, deberi ius fuit. Uſura igitur in mutuo, ut accidens in ſubſtantia, inhæret. Nec eſt pars eius ὀσιώδης, ſed acceſſoria, tollique atque addi poteſt ſine internecione ſubiecti. Quocunque nomine debeatur, ſive ex pacto vel mutuo, ſive ex mora, ſive ex cauſa iudicati, oportet aliquid ſubſit, quaſi principale, propter quod ſolvantur. Ea pecunia eſt, ſive ex condemnatione, ſive ex mutui contractu, ſive ex mora alicui debita. Quid enim refert, utrum inter nos conveniat, ut pecuniam quam tibi mutuam do, poſt menſem mihi reddas cum aliquo augmento, an ſine acceſſione? Hoc caſu uſurarius eſt contractus, illo gratuitus, utroque modo commutativus. Ridiculum eſt quod aiunt, *contractus uſurarios eſſe magis veræ rerum commutationis, & naturalium conventionum præambulos, quam commutati-*

tativos. Quid ita? Quia videlicet eo fine fiunt, *ut alienum æs nobis commode comparemus, quo ad cõmutationes legitimas ſeu commercia neceſſaria utamur*. Quid ſi illis monſtro, & in aliis contractibus commutativis hoc ipſum ſæpe uſu venire, ut præambuli ſint, vel proambulones aliorum contractuum commutativorum? An propterea negaturi ſunt, eos contractus eſſe legitimos, & commutationis definitionem ac proprietatem iis convenire? Qui mercatur ab aliis quod aliis vendat, nonne emptio, quã cum priore venditore contrahit, præambula eſt venditionis quam mox cum emptore poſteriore conciliat? Inde ſequeretur, ex finitione Theologi, venditionem atque emptionem non referendas eſſe in numerum contractuum commutativorum ac legitimarum commutationum. Qui ædes conducit amplas totas, ut eas mox pluribus membratim locet, ſic etiam non faceret contractum commutativũ, quia conducti contractus anteceſſor eſt ac anteambulo cõtractus locati. Plura poſſem adducere exempla quibus nugari oſtenderem qui talia ſcribunt. Sed illud argumentũ de contractibus uſurariis præambulis aliorum contractuum commutativorum, ut ridiculum eſt, nonne etiam ever-

evertitur, & vel cum pulviſculo everritur totũ alio argumento, quo probatur, plurimos dari contractus uſurarios qui non ſunt præambuli aliorum contractuum? Qui ſub uſuris levioribus pecuniam mutuatur ab aliquo ut diſſolvat creditorem cui ſub gravioribus debet, an ad contractus commutativos pecuniam illam ſumit? Immo potius ad obligationem diſſolvendam uſurariam, quam cum alio contraxit. Qui mutuam pecuniã pacto fœnore petit, ut ad victum neceſſaria comparet, an ille contractus anteambulo eſt alterius contractus? Pone, interdum pecuniam fœnebrem deſiderari ut ædes emantur, ut agri, & merces, quis adeo ſtultus eſt ut integram ſummam accipiat fœnori ſi ne unum quidẽ in arca nummũ habeat ſui ęris quem cum alieno iungat ad illa quæ vult comparanda? Hoc eſſet plane quod ait Cicero de Catilinariis ſociis, *certare velle cum uſuris prædiorum fructu*. Agrum ſexcentorum aureorum mihi comparavi, rediturum fructus uſuris ſemiſſibus. Si pecuniam ad eum emendum totam fœnori ſumam ſub uſura æque ſemiſſali, quid inde lucri mihi futurum eſt? Operam ſcilicet & laborẽ lucrabor in agro colendo, ut vix, ac ne vix quidem, ex eius reditu uſuras

meo

meo creditori ſolvam. Dicam aliud, quod non videntur animadverſiſſe illius ſententię auctores, quos ſic manifeſta fides eſt nihil cogitaſſe de mutuo frugum aridarum & liquidarum uſurario, dum illa ſcriberent. An, qui tritici modios decem mutuatur ad agrum conſerendum, redditurus poſt meſſem, ſicut olim moris fuit, uſura ſeſcupla vel hemiolia modios quindecim, contractus hic, quem liquet eſſe fœnebrem, præambulus eſt alterius contractus commutativi? Eodem pertinet quod iidem ſtatuunt, eos qui pecunia ſua negotiantur, eamque exercent, non eſſe legitimos negotiatores. Haud ita veteribus creditum, ut paulo poſt oſtendemus. Nihil igitur cauſæ eſt cur negotiatio mercium pecunia emptarum licita ac legitima videri debeat, pecuniæ ipſius pro illicita atque illegitima habeatur. Et vide, quæſo, quouſque procedant, qui tali præiudicio contra fœneratores occupati, immo occæcati ſunt. Probus erit mercator, & honeſtus, qui centena pro centum lucrabitur, & quod decem nummis ſæpe emerit, ſtatim vicenis & amplius vel alicui pauperrimo vendet. Glorioſus per ora hominũ volitabit, magnifice ſe iactabit, & ab omnibus tanquam

quam bonus civis & reipublicæ utilis laudabitur & ornabitur. Eius amiciciam ac gratiam omnes boni cupient. Improbus vero & infamis habebitur trapezita vel publicus fœnerator, qui uſuras tamen à lege ac magiſtratu ſibi præſcriptas tantum exiget, quę deductis omnibus impenſis beſſes vix ſuperabunt. Ab omnibus honeſtioribus aditus eius ac ſermo declinabitur, tanquam impii & ſcelerati. Poſtremo, nec dignus cenſebitur cui cœna Domini communicetur. Et ita cum bona conſcientia de proximo ſub legitimis uſuris fœnerante ſentient ac pronuntiabunt, qui pecuniam ipſi ſuam ad uſuram dant. Quod miniſtris altaris prohibuit non ſolum Apoſtolus Paulus, dum *φιλαργύρους* & *αἰσχροκερδεῖς* eſſe vetat, ſed etiam Conciliorum decreta generalium particulariumque Orientis & Occidentis, dum expreſſe vel legitimis uſuris eos abſtinere debere ſanciunt. Cum tamen nulla Concilia vetera, nulla ſacra ſcriptura *τραπεζιτικῇ* Laicis interdixerint. Omnis autem antiquitas, ut toties iam dixi, mercatores cum fœneraroribus iunxit in legitimo *χρηματισμῷ*, hoc eſt, pecuniæ quærendæ ſtudio. Ariſtoteles *ἐμπορίαν* & *τοκιστικὴν* inter *μεταβλητικῆς* ſpecies recenſet, quibus pariter locum

locum dat in ſua Republica. Xenophon in libro de Vectigalibus: ὥστε πολλοὶ ἀφιέμενοι τοῦ τὴν γῆν ἐργάζεσθαι, ἐπ' ἐμπορείας, καὶ καπηλείας, καὶ τοκισμοὺς τρέπονται. Cæſar lib. VI. de bello Gallico dicit, Gallos arbitrari Mercurium *ad quæſtus pecuniæ mercaturaſque vim maximam habere.* Id eſt, εἰς τοκισμοὺς vel ἐργασίας χρημάτων, καὶ ἐμπορείας. Nam certum eſt, ut infra dicam, *quæſtus pecuniæ* ei dici ἐργασίας χρημάτων, id eſt, uſuras. Alia omitto quæ ad manum ſunt, ne longior ſim. Et hoc quoad privatos daniſtas, qui cum mercatoribus ſemper ab auctoribus conferuntur. Ad publicos quod attinet, quibus trapezitis apud Græcos nomen, apud Latinos *Menſarii* & *Argentarii* vocantur, ſemper tam in Græcia quam apud Romanos prelati fuere mercatoribus, qui & legibus ipſorum Imperatorū Chriſtianorū potiora privilegia & priorem dignitatem obtinuerunt. Sed mercatorū patronus, adverſarius fœneratorum Theologus, ait, *Nihil contra mercatores tale denuntiatū eſſe, quale contra fœneratores apud prophetā.* Dic Theologe, contra fœneratores quos lex non admittit, id eſt, eos qui fratri ſuo fœnerabantur contra verba expreſſa legis. Si de illis fœneratoribus accipis qui cum alienigenis fœnus exercerent, te ſcire

oportuit, non magis ad eos pertinere, ut iam diximus, prophetæ interminationem, quam ad mercatores. Cum autem Ezechiel maledictionis eadem formula involvat qui pauperem opprimunt, & qui ad uſuram dant pecuniam, fratri videlicet, an non & mercatores eiuſmodi, videri etiam debent pauperum oppreſſores, qui quod viginti nummis emerunt, pauperi vendunt quadragenis? De mercatura porro ſciendum, non admodum ei deditos fuiſſe ab antiquo Iudæos, cum Iudæam incoleret, ſed fœneratores ſemper ſtrenuos extitiſſe compertum eſt, ut & Syros eorum vicinos. At Syri in utroque pariter egregii, in permutandis mercibus, & in fœnerando. Rationem reddit Ioſephus, cur Iudæi mercaturæ non magnopere addicti eſſent, quia longius à mari habitarent, nec extraneorum commerciis gauderent. Agriculturæ præcipue, quia regionem pinguem ubere gleba inſidebant, ſtuduerunt, & fœnerationi. Verba Ioſephi ex libro 1. contra Apionem: ἡμεῖς τοίνυν οὔτε χώραν οἰκοῦμεν παράλιον, οὔτε ἐμπορείαις χαίρομεν, οὔτε ταῖς πρὸς ἄλλους διὰ τούτων ἐπιμιξίαις, ἀλλ᾽ εἰσὶν μὲν ἡμῖν αἱ πόλεις μακρὰν ἀπὸ θαλάσσης ἀπῳκισμέναι, χώραν δὲ ἀγαθὴν νεμόμενοι, ταύτην ἐκπονοῦμεν. Subiungit paulo poſt,

anti-

antiquis temporibus nullum fuiſſe Iudæis cum Grecis commercium, ſicut erat Aegyptiis, & Phœnicibus in mercimoniis ultro citroque exportandis & importandis. Οὐδὲν ἦν ἐν τοῖς παλαιοῖς χρόνοις τὸ ποιοῦν πρὸς τοὺς Ἕλληνας ἡμῖν ἐπιμιξίαν, ὥσπερ Αἰγυπτίοις μὲν τὰ παρ' αὐτῶν ἐξαγόμενα, τοῖς δὲ τὴν παράλιον τῆς Φοινίκης κατοικοῦσιν ἡ περὶ τὰς καπηλείας καὶ ἐμπορείας σπουδή. Ubi vides, ἐμπορίας & καπηλείας iunctim nominari, ut apud Ariſtotelem in Ethicis ἐμπορίαν καὶ καπηλείαν. Item Xenophonti de Vectigalibus, ἐπὶ ἐμπορίας καὶ καπηλείας. Ne quis dubitet de noſtra emendatione in lege Solonis. Quod igitur non eſſent antiquitus mercaturis dediti Iudæi, neque aliis negotiationibus, hoc eſt ἐμπορίαις & καπηλείαις, ideo non ſæpe in eo in legẽ poterant committere. Prophetæ autem qui eorum fœneratorium animum noverant, ea gratia tam ſæpe tam acerbe ſevera Dei iudicia, & punitionem certam interminantur ac denuntiant fœneratoribus, ſed illis dumtaxat qui contra legis mandatum fratribus ſuis fœnerabantur. Quanto magis enim ad id peccatum erant proclives, tanto minacioribus edictis propheticis ab eo fuere retrahendi. Et eo quidem magis, quod permiſſio fœnoris exercendi cum alienigenis

viam munire eis videbatur ad hoc, ut ne fratribus quidem parcerent. Pergit Epiſtolæ auctor, & dicit, *factum Chriſti, trapezitas non ſolos, ſed una cum illis vendentes & ementes eiicientis ex tẽplo, ad hanc controverſiam impertinens videri.* Ego autem dico, illud *impertinens*, etſi latinum non ſit, niſi ſit theologicum, adprime tamen pertinere ad *impertinentiam* declarandam Theologi, quæ Latinis ineptia eſt, dum iudicat, exemplum illud Chriſti quod in Pręfatione à me allatum eſt, parum ad hanc controverſiam pertinere. Exemplo illo repercuſſi doctores qui ex eo argumentabãtur, trapezitas ſive fœneratores ab Eccleſię cõmunione eſſe removendos, quia nimirũ Chriſtus menſas eorum in templo deprehenſas evertiſſet, & nummos effudiſſet. Hoc eodem quippe argumento non poſſe tantum, ſed & debere colligi, mercatores quoque è ſynaxi & cœtu fidelium exterminandos, quia ementes vendenteſque ſimul cum trapezitis è templo faceſſere Chriſtus iuſſit. Lyranus notat ad illud Matthæi XXI, Intravit Chriſtus in templum, & menſas Nummulariorum ſubvertit: *Quod licet illi Nummularii non reciperent pecuniam ultra ſortem, tamen recipiebant aliqua munera ſive xenia,*

quod

quod erat illicitum, & ideo Chriſtus inſurrexit contra eos. Unde ille accepit, Nummularios nihil ultra ſortem recepiſſe præter munera? Hoc ioculare eſt. Tradit ſane Hieronymus ad Ezechielis XVIII, quoſdam munera vice uſuræ pro credita pecunia accipere ſolitos, qui eo nomine ſibi blandiebantur, quaſi contra Scripturam non facerent, quæ uſuram exigere vetat. Aliquando etiam Alexander Mammææ ſenatoribus uſura interdixit, cum munera tamen accipere permitteret. Cæterum quod Lyranus ait, Dominum in Nummularios inſurrexiſſe, eoſque templo eieciſſe, & ſic damnandos & à ſacra communione arcendos oſtendiſſe, in mercatores idem præiudicium valet, quos pariter templo Chriſtus expulit. Atque ita plane antiqui etiam patres interpretati ſunt, ut Chryſoſtomus his verbis, quæ iam alii citarunt: *Eiiciens Dominus vendentes & ementes de Templo, ſignificat, quod mercator nunquam poteſt Deo placere.* Item: *Nullus Chriſtianus debet eſſe mercator, aut ſi voluerit eſſe, proiiciatur ab Eccleſia.* Quod de illo intelligunt negotiatore qui rem ab alio mercatur, ut carius vendat. Sed hac definitione non video poſſe excipi ullũ mercaturæ genus, ſive ἐμπορία illa ſit, quam

proprie *mercaturam* Latini appellant, ſive καπηλεία, quę negotiatorum eſt, ac πραγματευτῶν, ut eos etiam Græci appellant. Iſti certe negotiatores emunt à mercatoribus quod civibus vendant, & quidem cariori pretio quam quanto emerunt. Sed & ipſi mercatores qui trans maria currunt, & mercandi gratia longinquas petunt regiones, idem etiam faciunt. Emũt ſibi merces omne genus, quas aliis vendãt, & præcipue negotiatoribus. Εὐπερίστατος ἁμαρτία æque in illis locum invenit atque in negotiatoribus & inſtitoribus. Hi cum volunt rem ſuam impenſo pretio vendere, facile iurant tanti ſibi conſtare, quum longe vilius eam compararint. Eo modo, ut ait Caſſiodorus, *merces ſuas plus periuriis onerant quam pretiis*. Additque, *negotiatores illos abominabiles æſtimari qui iuſticiam Domini minime conſiderantes, per immoderatum pecuniæ ambitum polluuntur. Taleſque*, ait, *Dominus eiecit è templo, dicens, nolite facere domum patris mei, domum negotiatorum.* Οἶκον ἐμπορίου. Quo nomine ἀπὸ τῶν ἐμπόρων facto, certum eſt proinde, tam ἐμπόρους quam καπήλους, mercatores æque ac negotiatores, omneſque omnino qui μεταβλητικὴν faciunt, ea condemnatione comprehendi. Enimvero Eccleſiæ veteres, quæ fœnera-
tores

tores à communione ſubmoverunt, ac de Eccleſia proiecerũt, etiam negotiatoribus templi aditu & ſacramentorũ participatione interdixerunt. Epiphanius de his quos Eccleſia non recipit, ubi dixit, eam hos à communione ſua ſegregare, ὅτι ἀποκηρύττει ἀδικίαν, πλεονεξίαν καὶ τοκογλυφίαν, addit protinus, πραγματευτὰς οὐκ ἀποδέχεται, ἀλλὰ ὑποδεεστέρους πάντων ἡγεῖται. *Negotiatores non admittit, ſed omnium infimos exiſtimat.* Et profecto, ſi perſonæ propter vitium artis & profeſſionis abiiciuntur ac damnantur, non habebit unde culpæ immunes poſſit ſuos profeſſores præſtare mercatura, ſi fœneratores non præſtat inculpabiles uſura. Quid enim oſtendit mercatura quo prævalere queat fœnerationi, ut melioribus & honeſtioribus convenire ſe viris probet? Si meliores non facit qui eam tractant, immo & perſæpe peiores, cur mercatores in templo retinebimus, ſolis eiectis fœneratoribus, cum utroſque Chriſtus eiecerit? Si, quod fecit Chriſtus, non ita interpretandũ eſt, & ſi perſonarũ vitia non ex arte quam exercent, ſed ex male exercendo penſitari & examinari debent, cur improbus mercator intromittetur, & probus fœnerator ab Eccleſia cum ignominia & infamia dimittetur? Niſi ſi

forte credimus, nullum unquam mercatorē improbū fuiſſe repertum, neque ullum fœneratorem probum. Utrunque igitur admittamus, ſi ſapimus, aut utrumque explodamus. Nō quia hic aut ille fœnerator aut mercator erit, ſed prout bene aut male in profeſſione quiſq; ſe geſſerit, & pro digno vel indigno, qui ad Chriſti menſam admittatur, aut ab ea excludatur. Quod ſi propter artem vitioſam perſonæ eliminādæ ſunt ab Eccleſia, ut lenones, meretrices, hiſtriones, atq; in his etiam fœneratio deputabitur, nec minus certe mercatura in hoc numero reponi debet, omnis antiquitatis iudicio, tam Eccleſiaſticæ, quam politicæ, & divina quinetiam auctoritate. Quid igitur in hac mea ſententia ineptum, aut, ut verbo Theologico utar, *impertinens?* An aliquid aptius & quod magis ad rem faciat, concludi velit, videamus. Cur male concluſerim, hanc rationem affert: *Quandoquidem*, inquit, *templi profanationem Chriſtus pariter potuit vendicare in illis, quorum extra templi fabricam, ſtatus & axioma diſpar erat in vita communi.* Vix intelligo quid velit. Quinam illi ſunt, in quibus templi profanationem potuit Chriſtus vindicare, etiam extra templi fabricam? *Quorum ſtatus & axioma diſpar erat in vita commu-*

communi. Sed quinam iſti? An miſeri trapezitæ? Cur in his ſolis profanatum templum Chriſtus vindicaret, cum tam multæ aliæ profeſſiones ſint magis indignæ templi ingreſſu quam fœneratoria? Quomodo autem extra templi fabricam potuit Chriſtus eius profanationem in his trapezitis vindicare? An in alio loco urbis illos ſi deprehendiſſet, & menſas eorũ ſimiliter evertiſſet, eo pacto profanati templi vindictam in eos ſumpſiſſet. Cur axioma eorum & ſtatus diſpar in vita communi? An quia lex moralis eorum profeſſionem iubet eſſe illicitam? Non ſane, ſi cum extraneis huius artis exercitium à trapezita Iudæo fiat. Cum in eodem facto mercatores ſint, quos de templo pariter exire iuſſit Chriſtus, quæ ratio vult ut non ſint in eadem cauſa? Cum Chriſtus ab utriſque templum Dei in ſpeluncam latronum converti dixerit, quid cauſæ eſt, ut credamus, à ſolis trapezitis templum eſſe profanatum & pollutum, non etiam à mercatoribus? Apparet maniſeſte, Theologum favere propẽſius mercatoribus, & premere maxime trapezitas. At Chriſtus eodem loco eos habuit. Quinimmo ſi cõiecturę locus, vel impenſius videtur averſatus mercatores. Nam

apud Matthæum priore loco eos nominat tanquam maxime templum profanantes, καὶ ἐξέβαλε πάντας τοὺς πωλοῦντας καὶ ἀγοράζοντας ἐν τῷ ἱερῷ. *Eiecit omnes vendentes & ementes in templo.* Ubi hoc fecit, tum demum dicitur evertiſſe menſas trapezitarum, hoc eſt, κολλυβιστῶν. Quod ne fortuito factum quis putet, idem ordo ſervatur apud omnes Euangeliſtas Quinimmo apud Lucam mentio non fit Nummulariorum, ſed vendentium tantum & ementium : καὶ εἰσελθὼν εἰς τὸ ἱερὸν, ἤρξατο ἐκβάλλειν τοὺς πωλοῦντας, λέγων αὐτοῖς, γέγραπται, καὶ ἔσται ὁ οἶκός μου, οἶκος προσευχῆς, ὑμεῖς δὲ αὐτὸν ποιεῖτε σπήλαιον λῃστῶν. Ita legitur in venerandæ vetuſtatis libro ex Regia Bibliotheca. Sed & apud Iohannem, ubi tam vendentium quam argentariorum ſive trapezitarum extat mentio, ſermo tamen Domini ad ſolos venditotes dirigitur, & increpantur, quod Emporii domum faciant de domo Dei. Poſtquam enim evertiſſet menſas Argentariorum, convertit ad vendentes ſermonem: καὶ τοῖς τὰς περιστερὰς πωλοῦσιν εἶπεν, ἄρατε ταῦτα ἐντεῦθεν, μὴ ποιεῖτε τὸν οἶκον τοῦ πατρός μου οἶκον ἐμπορίου. Ut ut ſit, quemadmodum non diſpar in utroſque domini factum, ita nec diſparilis cauſa quæ Dominum movit ut faceret, nec minor à mercatoribus profana-

ſanatio, quam à trapezitis. An extra templi fabricam utrorunque diſpar axioma ac ſtatus fuerit in vita communi, ut vult Theologus, quærendum eſt. Argentarii quid aliud quam ſuum queſtum cogitant, & ut quamprimum ad maximas divitias perveniant? Si alia eſt cogitatio ac mens, & propoſitum, ſtudiumque mercatorum, nihil cauſæ dico quin verum videatur dixiſſe Theologus, & ego potius inſaniam. An quia mercatores honeſtiores? Immo trapezitæ: aut toti antiquitati, etiam Chriſtianæ, fides deroganda eſt. Solus Iuſtinianus hanc litē poteſt decidere in gratiam trapezitarū. Sed cum onere pauperum id agunt trapezitæ. Immo cum maximo eorum commodo & utilitate, aut mendax eſt Iuſtinianus, & fallax ipſius rei experientia. Scilicet pauperum rationem & charitatis magnam habet mercator, qui quod emit parvo, immani pretio poſt vendit? Qui captat annonæ incendium, ut carius vendat, & ſic pauperes enecet? *Sanctus*, inquit Ambroſius, *in negotiationem introiſſe ſe negat, quia pretiorum captare incrementa, non ſimplicicatis, ſed verſutiæ.* Quem dabis mihi tam ſimplicem mercatorem, qui incrementa pretii non captet, & occaſionem non quærat & aucupetur

cupetur undiquaque & omni modo, qua lucrũ faciat in vendendo quod emit? Qui verſutus non eſt, mercaturæ renunciet, quoniam qui mercator eſt, hoc agere non poteſt quin renunciet ſimplicitati. Ut concedam, non eſſe ſimpliciores trapezitas, eam tamen artem exercent, qua uti nemo invitus cogitur. Deinde etiã ſi velint πλεονεκτεῖν, vix poſſunt, poſitis à lege vel magiſtratu repagulis, quę tranſire ſine pœnà nequeant, uſuris nempe limitatis quas accipere debeant, non ampliores exacturi. At negotiatores & liberi ſunt, & plerique ea mercimonia venditant quibus ne pauper quidem poteſt carere, adeo ut velint nolint adigantur id quo opus habent ab illis præſtinare egeni, & pretio plerumque immani. *Captans pretia frumenti*, ait ſapiens, *maledictus in plebe eſt*. At quis ex frumenti negotiatoribus, cum videt maxime vilem annonam, illud venale habet, & non potius expectat donec vendi poſſit cariſſimo? An vinarii mercatores meliores? In eodem ludo ad lucrum doctos dicas, ϗ δίκαια κἄδικα, captandum. Si aliqua calamitas vitibus inciderit, ſi frigus gemmas aduſſerit, aut æſtus vel pluviæ flores decuſſerint, aut grando uvas contuderit, ſtatim apothecas & cellas claudunt, ac tempus

pus expectant carius vendendi. Si qui probiores ſunt, protinus vini pretium intendunt. Idē de aliis audacter licet dicas quarumcumque mercium ac ſpecierum negociatoribus. Unum genus cognoris, omnes noveris. Non excuſo trapezitas, ſi modum etiam tranſcendant uſurarum legitimum, & ex caritate rei nummariæ maiores exigant. Ne poſſint, leges providerunt. Sed à Theologo quæro, cur potius abominatus Trapezitas credi Chriſtus debeat, quam mercatores, in illis novi fœderis quos ſupra attigimus locis? Sic enim ſcribit: *Vt quamvis eo pacto non poſſit dici ementes & vendentes, emptionis ac venditionis nomine, per ſe abominatus, nihil tamen vetat, quin trapeziticæ profeſſionis nomine magis etiam abominatus ſit menſarios ſive trapezitas, ſi, quod nolim abnuere, illi tunc erant publici fœneratores.* Fruſtra certe hoc abnueres, etiam ſi velles. Totam enim antiquitatem, Græcam, Romanā, contra te teſtimonium dicturam adducerem. Sed mirum eſt quod ais, *nihil vetare quin trapeziticæ profeſſionis nomine magis abominatus ſit menſarios Chriſtus quam mercatores*, cum eodem facto utroſq; tēplo expulerit. Sed tuum erat, oſtendere, ac vel unicam ſaltem rationem adducere, cur magis videatur abominatus menſarios.

rios. Quid ſi ego contra dicam, nihil vetare quin magis exſecratus ſit mercatores profeſſionis nundinatoriæ nomine? An aliquid habebis quod opponas? Immo quæ ſupra attuli, ſatis clare arguunt, in illo facto gravius invectum eſſe in mercatores, quos & prius eiicere templo aggreſſus eſt, & ad quos ſolos ſermonem direxit, quaſi maxime templum profanantes, & *Emporium ex eo facientes*, ut legere eſt apud Lucam cap. XIX. Sed paria ſint, ut ſupra dicebam, in utriſque omnia, quid affers cur magis videatur Chriſtus gravaſſe trapezitas? *Nihil vetat*, inquit, *hoc credere.* Optima ſane ratio, & acuto Theologo digniſſima. Ego etiam ſic reponam: *nihil vetat contrarium affirmare.* Scio, eo facto Chriſtum non poſſe dici vendentes & ementes venditionis aut emptionis nomine per ſe damnaſſe. Loci enim tantum ratione in quo id exercuerunt, eos condemnavit, & abominatus eſt, quia ſacer erat Deo. In Emporio ſi hoc idem agitaſſent, non eos fuit damnaturus, nec inde expulſurus. Nec ergo trapezitarũ menſas everſurus fuit ſi in foro eas habuiſſent. Quos proinde non poteſt dici ratione profeſſionis trapeziticæ à Chriſto condẽnatos eſſe, ſed ſolius loci ſacri, in quo mẽſas tunc exerce-

ercebant. Non igitur impertinens factum Chriſti, quod allegavi ad componendos cum negotiatoribus trapezitas, cum Chriſtus id faciens aperte eos exæquaverit, & plerique antiquorum patrum etiam recte iudicarint, à Deo exæquatos illa expulſione utroſque fuiſſe. Non poſſum tamen quin iterum inculcem hic & repetam rationem Theologi, quę ipſi perſuaſit, impertinens eſſe ad controverſiam quæ inter nos agitatur factum Chriſti. *Quandoquidem*, inquit, *templi profanationem Chriſtus pariter potuit vendicare in illis, quorum extra templi fabricam, ſtatus & axioma diſpar erat in vita communi.* Iterum dico, me non videre, quorſum hæc pertineant, aut quid velint. Si templum profanari cenſetur etiam ab his qui abſunt, & extra fabricam templi poſiti ſunt, fruſtra ergo facinoroſos à fanis & ſacris ſuis arcebant olim gentiles. Unde illa, *procul procul eſte profani.* Et apud Orpheum, θύρας ἐπίθεσθε βεβήλοις. Fruſtra etiam apud Iudæos ἀποσυνάγωγοι aliqui fiebant, ſi impii extra ſynagogam pulſi non minus tamen eam polluunt quam intromiſſi. Fruſtra denique apud priſci ævi Chriſtianos ab Eccleſia eliminabantur adulteri, & homicidæ, & venenarii, & aliorum eiuſmodi maioris

maioris abollæ criminum rei, ſiquidem æque domum Domini ejecti profanant quam recepti. Deinde vellem explicaſſent ex principiis ſuæ Theologiæ, quænam illa vindicatio ſit, vel vindicta, quam Chriſtum pariter potuiſſe aiunt ſumere de illis, quorũ extra templi fabricam diſpar erat ſtatus aut axioma. Non enim venit Chriſtus ut malos perderet, ſed ut eos converteret. Nec vindictam ſumpturus de peccatoribus, ſed ad bonam eos frugem per pœnitentiam revocaturus, à Deo patre miſſus eſt. Hinc quotidie converſabatur cum publicanis & ἁμαρτωλοῖς. Quod ei exprobrabant Scribæ & Phariſæi, quia frequẽter cum illis cibum ſumeret. Quoſdam etiam ex his recepit in contubernium quaſi ſuum, & diſcipulorum cœtui adgregavit. An deteriores fœneratores & trapezitę publicanis? Cicero eos iunxit in libro 1. de Officiis, quaſi pares quoad odium hominum. Sed *portitores* ibi nominat, non publicanos. Certum eſt tamen, qui in Euangelio vocantur *publicani*, illos ipſos eſſe qui Ciceroni dicuntur *portitores*, qui diverſi erant à *publicanis* ſic proprie dictis Romanorum uſu ac more. Nam publicani Romani, qui Græcis δημοσιῶναι, honeſtioris erant ordinis, nec ita

ita inviſi. Equites quippe Romani fuere, qui tributa & vectigalia populi redimebant in provinciis, nihilque ipſi exigebant, ſed rurſus eadem vectigalia & portoria aliis locabāt, qui ea exigerent. Hi ſunt qui *portitores* proprie dicti. Fefellit interpretem veterem Novi Teſtamenti ambigua vox τελώνης, quæ æque de publicanis accipitur apud Græcos, ac de portitoribus. Utrique enim τῶν τελῶν redemptores, atque ideo τελῶναι. Sed illi maiorum gentium quaſi τελῶναι à republica ea conducebant, iſti vero minuti τελῶναι, qui & *portitores*, à publicanis ipſis conducta ea habebant. Non igitur odio erant publicani qui publicū agebant. Quia enim nihil ipſi exigerent, non per vim quidquam præter id quod lege eis eſſet conſtitutū, neque per concuſſionem extorquebant. Quod illi ſcilicet facere ſoliti quibus exactio mandabatur, quique eam à publicanis ipſis redemerant. Ut rem facerent, & in ſinum ſuum multa converterent, præter illam ſummam quam reddere tenebantur publicanis, infinita corradebant præter æquum & iuſtum, auctoritate publica abutentes, & vi atq; ingratiis nomine portorii exigentes quod non debebatur. In Iudæa publicum agebant ipſi Romani e-

Bb qui-

quites, & omnia vectigalia ac tributa conducta à republica tenebant. At iis colligendis & exigendis præficiebant ipſos Iudæos, qui vere *portitores* erant, & ſummo odio habebantur apud tribules ſuos propter illam συκοφαντίαν & διάσεισιν plus exigendi quam liceret. Eorum princeps ſive primas Zacchæus ille fuit, id eſt, ἀρχιτελώνης, non allophylus, ut putavit Tertullianus, ſed plane Iudæus, ut & nomen oſtendit. Cum magnopere hi inviſi eſſent, ideo ſemper cum Ethnicis iunguntur in Euangelio, quia non minus exoſi erant ob improbitatem quam ipſi Ethnici. Nihil tale de fœneratoribus dictum. Quia fœnerator ſi iniquior ſit, ad alterum itur, & nolens nemo cogitur ab eo qui parum æquum ſe præbeat, pecuniam fœnori ſumere. At portitorem non licebat effugere. Cum igitur publicani mali deteriores eſſent malis fœneratoribus, cur profanationẽ templi in iſtis vindicaſſet Dominus extra tẽpli fabricam, qui publicanis ſe cõmunicabat per converſationem & convictum? Nam ut bene Græci Theologi dixere, ἡ νομικὴ κρίσις τὸ κακὸν ἐξέκοπτεν, ἡ δὲ φιλάνθρωπος χάρις τὸ κακὸν μεταβάλλεται. *Legale iudicium vindicabat malum & exſcindebat, at gratia quæ homines*

mines dilexit, in bonum quod malum fuerat convertit. Hæc φιλάνθρωπος χάρις à Chriſto eſt, qui peccatoribus obſervanda Dei mandata, ut vitam æternam acquirerent, iniunxit. Legis autem obſervatoribus, perfectioris vitæ exemplar ad quod adſurgerent, oſtendit. Id exemplo probatur ſuperius allato de iuvene divite à Domino quærente quomodo poſſet acquirere vitã æternã, cui reſpondit, facienda mandata. At mox dicenti, ſe ea impleviſſe, repoſuit, venderet bona quæ habebat, ac divideret pauperibus. Per gradus ac numeros ad ſummum venitur, non per ſaltum promotio fit. In infimo conſiſtenti clivo non ſtatim via monſtranda eſt vertici proxima, quæque in iugũ ſiſtit. Ad media collis ab imo prius aſcendendum eſt. Tum à medio ad ſummitatem montis erependum. Plurimi in imo ſemper volutantur, multi in medio hærent, pauci ſumma ſcandunt. Hi optimi, ſecundi boni, tertii prorſus mali. Hos peſſimos deterrent ad perfectionem protinus perducentia præcepta. Bene dantur illis qui boni ſunt, ut meliora conẽtur. Dic diviti, ut bona omnia vendat, ac det pauperibus, hoc eſt, ut ipſe pauper fiat, ſi velit eſſe perfectus, durus hic illi ſermo

videbitur, & triſtis recedet. Si præcipiatur obſervare mandata, aut facilius auſcultabit, aut dicet ſe iam illa impleviſſe, ut ille dives Domino. Non tamen paruit invitanti ad perfecta. Certum nihilominus, ab obſervatione legis, ſi quis in eo ſit, promptius ad ſumma vocanti obſequium dari, quam ab imparentia. De malis primum boni faciendi ſunt, deinde & optimi. Ut nemo repente fit de bono peſſimus, ita nec de peſſimo optimus. Quoſdam tamen etiam ex infima peccatorum fæce ad ſublime illud perfectæ vitæ culmen ex mera ſua gratia ſubduxit Deus, ut Apoſtolos ſuos, quos *ἀνόμους ὑπὲρ πᾶσαν ἀνομίαν* fuiſſe dicit Barnabas, inter quos & quidā ex telonio accepti. In eo telonio exercendo poſſe etiam legē obſervari, nemo negaverit, quatenus tributū à ſuo populo ut accipere regibus permiſſum, ita etiam ei exigendo quos velint præficere, conceſſum. Ut contra legem divinam non peccat rex qui tributum populo ſuo imponit, & ei exigendo aliquem præponit, ita nec ille *τελώνης* qui à rege huic muneri præpoſitus eſt, rem illicitam aut illegitimam facit, ſi munere illo demandato recte fungatur. Poteſt enim omnia mandata moralia implere dum illud aget, ſi

modo

modo nihil præter conſtitutum exigat, & παρὰ τὸ διατεταγμένον. At ſi idem iſte publicanus muneri illi plane renuntiet, & bona quæ ex eo negotio quæſierit abdicet vendatque, & egentibus diſtribuat, eo facto ad illum perfectioris vitæ typum adſpirabit quam Dominus propoſuerat iuveni locupleti, & mandatorum à puericia ſua obſervatori. Publicani vero illi qui ubique in Euangelio iunguntur cum ἁμαρτωλοῖς & meretricibus, πλεονέκται ſunt & συκοφάνται, portitores, qui plus accipiunt quam ipſis eſt conſtitutũ, & ita legi contraveniunt, & peccant in moralia præcepta, dum proximum defraudant, & circumſcribunt. Quod non facerent, ſi τῷ διατεταγμένῳ eſſent contenti. Ut duo igitur ſunt, ſicut antea docebam, Dominicorum præceptorum genera: unum erigens atque attollẽs nos ad vitam perfectam, qualis Apoſtolica fuit: alterũ de mãdatis obſervandis, ad communem & mediam ducens, qualis hominũ eſt ſæculariũ, ſed bonorũ: Ita & duplex genus converſationis inter Chriſtianos, politicum alterum, alterum Apoſtolicum. Ad hoc ſe compoſuere olim qui ἀσκητικὴν πολιτείαν amplexi ſunt, ad alterum illud omnes qui verſantur in ſæculo, & quamcunque artem quæſtuariam

 pro-

profitentur, & queſtum quemcunq; exercent. Dũ in his nihil vetitũ faciant à lege morali, poſſunt vitam æternam ſibi comparare, & in bonorum piorumque numero haberi. Nec merito poſſunt ab Eccleſiaſtica & ſacra communione removeri. Aut certe ab eadem etiam arceri conveniet, & in claſſem improborum impiorumque redigi, quicunque eas artes tractant, quæ nec minus lucro inhiant, nec minus charitati adverſantur. In quibus qui modum tenere poteſt, & caritatem erga proximum ſervare, merito probus haberi debet, & mandatorum obſervans, etiamſi adfectare perfectioris vitæ ſpecimen non valeat. At, qui ita eas exercet, ut modum lege præſcriptum transſcendat, & charitatẽ omnem exuat, inter ἁμαρτωλοὺς relegandus eſt, & in illorum numerũ adſcribendus, qui legem moralem aut neſciunt, aut obſervare nolunt. Quod deterrimum hominum genus eſt, & deploratæ improbitatis. Inter præcepta porro Dominica quæ ad vitam perfectiorem ducunt, & illud reponi decet quod apud Lucam eſt: *Mutuum date, nihil inde ſperantes.* Quo argumento perperam multi Canoniſtarum abuſi ſunt ad uſuras, quaſi ex verbo Domini damnandas. Cui præce-

pto

pto adfine eſt & illud de bonis vendundis, & in pauperes erogandis. Qui in ultimam neceſſitatem redacto non ſubvenit, is inter eos improbos numerandus, quos diximus charitatem eam non tenere quam lex moralis præcipit, atque adeo ius naturale. Si quis autem temporaria inopia oppreſſo ita ſuccurrit, ut tamen etiam ſibi conſulat uſuras exigendo lege licitas, cum his locum habeat qui legitimam negotiationem exercent, atque ita modum in ea exercenda cuſtodiunt, ut nolint ex commodo alterius ſibi damnum dari. Ille vero demum perfectus eſt, qui proximo opitulatur etiam cum ſuo incommodo & damno, qui ſeſe exuit ut eum induat, qui ſe pauperat ut illum divitem faciat, qui denique mundo renunciat, & omnibus temporalibus bonis ſeſe abdicat, ut ſibi vivat ac Deo. Tria porro pro duobus exibunt vitæ ac πολιτείας genera, ſi duobus illis probatis perfecto & minus perfecto, adiunxeris tertium imperfectiſſimorum, id eſt, malorũ. Talis eſt ἀπολαυστικῶν vita, quibus venter Deus, quiq; voluptatibus immerſi nunquam emergunt. Nam & ἅρπαγες & πλεονέκται ſunt, atque ut ſumptus ſuis cupiditatibus ſuppetere poſſint, nihil non tentant & audẽt. Ariſtoteles in Moralibus

ad Eudemum lib. 1, cap. III, τρεῖς ὁρῶμεν καὶ βίους ὄντας, οὓς οἱ ἐπ' ἐξουσίας τυγχάνοντες προαιροῦνται ζῆν ἅπαντες, πολιτικὸν, φιλόσοφον, ἀπολαυστικόν. Recte dicit, qui in poteſtate habent, ut ex his tribus vitæ inſtitutis unum eligant, ſemper aliquod horum eligere. Non enim omnes poſſunt eſſe ἀπολαυστικοὶ, neque πολιτικοὶ, neque etiam φιλόσοφοι. Perfecta ſecta eſt philoſophorum qui in ſapientiæ ſtudio verſantur, ac veritatis inquiſitione. Horum propoſitum reſpondet τῇ πολιτείᾳ Chriſtianorum ἀσκητικῇ, & ἀποκοσμίῳ, & ἀποστολικῇ. Secunda eſt τῶν πολιτικῶν, qui verſantur circa rectas & honeſtas actiones quæ ex virtute procedunt. Iſtis convenit cum eo genere Chriſtianorum qui mandata moralia cuſtodiunt. Tertium genus eſt τῶν ἀπολαυστικῶν, qui περὶ τὰς ἡδονὰς τὰς σωματικὰς volutantur. Hi neque legem ullam tenent, neq; ulla tenentur, dum voluptatibus ſuis obſecundent. Hæc diverſa tria vitæ genera ſcita imagine expreſſit Epictetus, dum vitam & homines, convivio & convivis comparat. Qui appoſita ſibi tantum attingit & carpit, dignus revera Deorum conviva. Qui vero etiam appoſitis abſtinet, atq; ea contemnit, οὗτος, inquit, οὐ μόνον συμπότης τῶν θεῶν, ἀλλὰ καὶ

συνάρ-

συνάρχων. Non cum diis tantum hic convivatur, ſed etiam cum illis imperat. At omniũ peſſimi ſunt convivæ, qui manum extendunt, ut ea invadant quæ non ſibi ſed aliis ſunt appoſita. Talis eſt improbus fœnerator, improbus portitor, improbus mercator, & omnes qui aliquid accipiunt παρὰ τὸ διατεταγμένον. Qui vero contenti ſunt legitimo lucro quod ſua ipſis ars & profeſſio recte & bono more adminiſtrata concedit, convivis illis ſimiles habendi, qui ea tantũ capiunt & carpũt quæ ante ipſos poſita fuerint. Qui vero his in totum abſtinuerint, & vicinis ſuis ea dereliquerint, ut cõvivę dicuntur Epicteto τῶν θεῶν συνάρχοντες, ita apud Dominum in vitæ Chriſtianæ profeſſione ſunt, quales eſſe vult quibus ſuam crucem geſtandam præcepit, & quos ad omnia ſumma vocavit. Non exigam ad hanc obrúſſam trapezitas, ſed nec mercatores, & quicunque divitiis quærendis quocunque invigilant modo. Quos non nego & in ſua profeſſione viros eſſe bonos poſſe ſi modo velint, ſed faſtigio illo videri dignos nequaquam cenſeam, ad quod pauciſſimis datũ eſt evolare, nẽpe illis qui ſe abnegant, ut Chriſtum expediti, id eſt, impedimentis omnibus exuti, ſequi valeant. Tota igi-

tur hæc de trapezitico fœnore quæſtio in eo verſatur, an, cum ſummum gradum non affectent qui id profitentur, rem illicitam lege morali faciant, ut proinde debeant à ſacra ſynaxi arceri, & in vita communi infamiæ nota adſpergi. Cavillatur autem Theologus in eo Domini facto, qui vendentes & ementes templo eiecit, ſimulque trapezitarum menſas evertit, dum venditionem & emptionem ex una parte ponit, ex altera fœneratoriam profeſſionem. Sic enim ſcribit: *Vt, quamvis eo facto non poſſit dici ementes & vendentes, emptionis ac venditionis nomine per ſe abominatus, nihil tamen vetet quin trapeziticæ profeſſionis nomine magis etiam abominatus ſit trapezitas ſive menſarios.* Cur non pro vendentibus & ementibus apertius dixit, *mercatores*? Non enim dubiũ eſt quin nomine πωλούντων intellexerit Euangeliſta eos qui mercaturam profitentur. Ariſtoteles in Politicis, libro IV, τοὺς περὶ ὠνὰς καὶ πράσεις διατρίβοντας vocat. Et τὸ ἀγοραῖον unica voce appellat, explicatque, τὸ περὶ τὰς ὠνὰς, καὶ πράσεις, καὶ τὰς ἐμπορίας, καὶ καπηλείας διατρίβον. Et paulo poſt, ἕτερον ἢ τὸ περὶ τέχνας, ἄλλο ἢ τὸ ἀγοραῖον τὸ περὶ ὠνὴν καὶ πρᾶσιν διατρίβον. Hi ſunt qui in Euangelio ἀγοράζοντες καὶ πωλοῦντες vocantur.

tur. At ſubdole Theologus venditionem & emptionem tantum nobis inſinuat, quaſi in comparationem trapeziticæ profeſſionis hæc leviora videri debeant. Ecce enim qui vendit vinum quod ex vinea ſua collegit, ut emat triticum quo caret, emptionem & venditionem celebrat. Nihil honeſtius. At qui emit ex me vinum quod in agro meo natum eſt, non ut ad uſum ſuum id convertat, ſed ut carius aliis vendat, an emptionis tantum & venditionis nomine quod agitur, vocari debet, & non potius negotiationis & nundinationis, & artis ſive profeſſionis mercatoriæ? Dicat igitur libere Theologus, an tales mercatores, ex profeſſo id agentes, ut vilius emant, & carius vendant, minus abominatus ſit Dominus, quam trapezitas, id eſt, fœneratores publicos. Scio, nullam ab eo poſſe rationem reddi, cur huiuſmodi negotiatores odium Domini & execrationem magis promeriti videantur, quam fœneratores. Hoc tamen ille videtur voluiſſe, qui pecuniam ſuam, ne otioſa ſit, fœnori locant, comparari debere cum illis ementibus & vendentibus, qui quod ſibi neceſſarium eſt ad vitam emunt, & quod ſuperfluum, vendunt: At trapezitas qui fœnus exercent, & hanc

ſolam

ſolam habent profeſſionem, ut à Deo maledictos, à limine Eccleſiæ arcendos eſſe, & pro infamibus habendos. Cur non igitur, quod ἀκολουθία poſtulabat, mercatores, qui his fœneratoribus par pro pari reſpondent, non ſimiliter cenſuit ab Eccleſia eſſe ἀποκηρυκτέους, & quidem cum infamiæ nota? Hoc reſtabat, ut omnia in comparatione quam inſtituit examuſſim quadrarent. Integriorem itaque dabimus. Nos igitur cõponimus privatos qui pecuniam ſuam ſuperfluam locant fœnore, cum illis vendentibus, qui, quod ſibi abundat, vendunt, cum negotiandi artem non profiteantur. Mercatores autem & negotiatores omnes ex profeſſo id agentes, cum trapezitis, id eſt, fœnerationem exercentibus, rurſus comparamus. Quæratur iam, utri magis eo Domini facto quo vendentes templo expulit, & trapezitarum menſas evertit, notati videantur, cum certum ſit, tam mercaturæ quam fœnerationis profeſſores ibi eſſe intelligendos. Ex his quæ iam diximus, non puto cuiquam obſcurum aut ambiguum eſſe, quin fœneratio æque licita ſit iure divino, æque honeſta iure civili, quam mercatura. Dixi amplius, etiam fœnoris profeſſores ſemper amplioribus uſos privilegiis,

more Attico & Romano, immo vel iure gentium, quam reliquos mercatores. Addam, quo magis ringantur contrariæ opinionis aſſertores, eoſdem pauperibus utiliores ſemper fuiſſe iudicatos, etiam à Chriſtianis principibus, quam cęteros cuiuſcumque mercis aut ſpeciei negotiatores. Quid huic communi ſenſui totius antiquitatis opponit Theologus? Communem nimirum ſenſum totius novitatis. Ita enim in Epiſtola poſuit: *Contra quem quaſi communem ſenſum nihil præſcribit, quod affirmas, prætorem in edicto ſuo de notandis infamia, fœneratores non comprehendere cum illis quos furti aut bonorum raptorum damnatos pro infamibus habuit: non magis quod ex iuris Talmudici codice profers: nec derogant iſta auctoritatem edicto quod in Belgio æternum eſſe iuſſit Carolus Quintus, quæ notavit infamia illos qui veteribus Syris hodie ſucceſſerunt.* Bene eſt, quod *communem quaſi ſenſum* hunc vocat, quo nimirum vult eſſe infames trapezitas & excommunicatos. Non auſus eſt abſolute communem vocare. Aſt ego huic quaſi communi ſenſui huius ætatis, communem plane ſenſum antiquitatis, etiam Chriſtianæ, etiam melioris, oppono, quo probavi, neque à communione ſacra remotos eos unquam

fuiſſe

fuiſſe diſciplina Eccleſiaſtica, neque edicto prætoris aut imperatorum conſtitutionibus habitos fuiſſe infames. Huic communi ſenſui totius primitivæ Eccleſiæ, & iuris gentium, unicum Caroli quinti edictum, quod ille æternum in Belgio voluit eſſe, nobis Theologus ἐπιτειχίζει. Quo telo nollem uſum eſſe tantum Theologum, & tam aſtutum. Si enim hoc idem in omnibus valeret, & ſi omnia Caroli quinti edicta & conſtituta in univerſo Belgio valida hodie eſſe deberent, nunc regnarent in his Provinciis fœderatis illius Principis ſucceſſores. Quod abominor. Et abſit, ut quæcunque conſtituit ille Imperator contra veræ ac reformatæ religionis cultores, hodierno tempore valeant. Sed cum ad antiquitatem Chriſtianam & politicam adverſarios hic noſtros provocaverimus, mirum, cur illi nos revocent ac detrahant in iſtius novitatis rutubam, quaſi de cœlo in cœnum. Si nova autem eorum iudicio debent veteribus derogare, & novitas vetuſtatem excludere eique præſcribere, cur non omnia nova nobis proponunt ſequenda, deflatis, quæcunque ſunt, antiquis? At centonem nobis conſuunt ex veteribus ac novis pannis conſarcinatum. Ab antiquo

quo imperatore ſumit uſurarum communium modificationẽ, à novo trapeziticarũ abolitionem, vel ipſorum trapezitarum infamationẽ, qui veteri principi & æque Chriſtiano etiam ſupra mercatores probi & honeſti. Quis iſtum nobis dictatorem creavit, qui modo hunc principem nobis quem ſequamur opponit, modo illum cuî obſequamur imponit? An ſanus eſt, cum & illud Edictum Caroli, quod immotum & æternum in Belgio voluerit eſſe, tanquam μορμολυκεῖον pueris oſtentat & intentat? Ulli ne ſunt principes qui leges æternas condant? Solius Dei eſt talia νόμιμα nunquam cuiquã refigenda figere. Ipſe ille Rex vel princeps, qui in aliqua conſtitutione vel edicto poſuit, *æternum valitura lege* hoc vel hoc à ſe ſanciri, poſtmodum alia ſanctione eam abrogat, vel ſucceſſor eius. In hoc ipſo negotio uſurario Baſilius uſuras ſuſtulit, quas anteriores principes admiſerant. Eaſdem reſtituit ſucceſſor eius ac filius Leo philoſophus. Iuſtinianus quam multa in veterum principum conſtitutis innovavit & immutavit? Nec hoc tantum, ſed ipſemet etiam pleraque in ſuis. Quæ prius ei placuerant, poſtea diſplicuerunt, vel in hac ipſa Uſurariæ rei temperatione. Cum enim

enim centeſimam Nautico fœnori conſtituiſſet legitimam, quod antea liberũ erat in quantas quis vellet paciſci centeſimas, poſtea id priori reddidit libertati ac licentię. Cur idem legitimum communis uſuræ modum, ſub aliis principibus Chriſtianis in centeſima ſtatutũ, ad beſſes revocavit, ſi non licet ſequentibus principibus anteceſſorum ſuorum ſcitis obrogare, derogare, & illa abrogare? Ipſe iſte Carolus, cuius Edicta contra trapezitas æterna nobis à Theologo pro terriculamẽto obtenduntur, oſtendit, ęterna illa eſſe noluiſſe, cum ea mutavit . Promulgavit conſtitutionem anno cIↄIↄ x, Aprilis x, qua ſanxit, ut omnes tabernæ Longobardorum occluſæ eſſent, & menſæ everſæ, ſub pœna confiſcationis omnium facultatum. Poſtmodum anno cIↄ Iↄ XLV, Ianuarii III, aliam tulit, promulgatam Ultraiecti, & iſta eſt quam vim legis & Edicti æterni habere voluit, qua fœneratores, qui erexerint menſas mutuationum ex ſua permiſſione, prohibet frequentare templa inſtar hominum honeſtiorum, & ad ſacram communionem admitti. Mira profecto lex, permittere erectionem menſarum mutuationis, quaſi ad bonum publicum inſtitutarum,
&

& infamia notare atq; à ſacra ſynaxi arcere qui eas exercent. Oportet illum profeſſionem hanc, quę talē mereri pœnam ei viſa eſt, contra ius divinū ac morale facere putaſſe. Quod ſi ita putavit, cur permiſit publice exerceri quod cōtrarium legibus divinis eſſet? Soluti quidē principes legibus habentur, ſed illis tantum quas in rebus non per ſe neceſſariis vel ipſi vel prædeceſſores eorum tulerint. Quod ius eſt ſcriptū uniuſcuiuſque civitatis ac reipublicæ. Unde & *civile* vocatur. Νόμους γεγραμμένους vocat Dio, qui cum ab his legibus liberum principem faciat, eum tamen τῷ ἀναγκαίῳ νομίσει ſubiectum eſſe tradit cum aliis pariter ſubditis. Ἀναγκαία illi νόμισις eſt *ius gentium*, quod omni humano generi commune eſt, ut ait Iuſtinianus in Inſtitutis. *Nam uſu exigente & humanis neceſſitatibus gentes humanæ quædam ſibi iura conſtituerunt.* τῆς χρείας καλούσης καὶ τῆς ἀνθρωπίνης ἀνάγκης ἀπαιτούσης. Inde ἀναγκαία νόμισις Dioni vocatur. Ergo illi iuri etiam ſubiectus eſt princeps. At eo iure gentium cum introducti ſint omnes pæne contractus commutativi, ut emptio & venditio, locatio & conductio, ſocietas, depoſitum, mutuum, & alii innumerabiles, certe fœnus & uſuram inde etiam originem ha-

 buiſſe

buiſſe certum eſt, quæ in mutuo inſunt tanquam in ſuo ſubiecto. Ita igitur uſuræ introductæ videntur illa ἀναγκαῖα νομ.σει; quam etiam principes obſervare tenentur. Non poſſunt itaque uſuras tollere, quia ex illo iure procedunt, nec pugnant cum naturali ac divino. Poſſunt quidem eas temperare, & certas reſtrictiones & conditiones aliis contractibus commutativis poſſunt adponere, quibus eorum abuſus reprimantur, ſed poteſtatem non habent, ſiquidē legitime velint imperare, ius illud gentium evertere atq; abolere. Chriſtiani autem principes precipue obligantur ad iuris divini & moralis obſervationem. Si contra faciunt, æque poſſunt ac debent à menſa Dominica arceri ut quilibet privatorum. Ita Ambroſius Theodoſium propter homicidium à menſæ communione repulit. Nec ante admiſit, quam pœnitentiā egiſſet, atq; exomologeſin feciſſet. Si fœnus trapeziticū huius generis eſt ac notæ, ut contra moralē legē faciat, quemadmodum viſum eſt noſtris Theologis, cur trapezitas ipſos ab Eccleſiæ communione ſubmovent, & non ipſum principem vel magiſtratum, qui permittit erectionem talium menſarum, vel ipſe erigit? Hic hic erat exerenda vis poteſtatis, quam

Paſto-

Paſtores in ipſum magiſtratum habent cum in legem peccat divinam, non canum ignavorum more lapidē admordere qui iactus eſt, & eum qui iecit non audere adlatrare. Sed his adhuc erit infra ſuus locus. Nunc peto à Theologo, cur velit edictum Caroli contra trapezitas æternæ legis, vel æternum valituræ, vim obtinere, & aliam eiuſdem Caroli legem irritam eſſe, qua ultra centeſimam noluit in Hollandia quemquam fœnerari. Ergo centeſimam pro legitima uſura habendam decrevit ille Princeps. Huic eius conſtitutioni præfert Iuſtinianeam, eamque præ illa valere vult Theologus, qua ſemiſſes ſanxit legitimas. At vice verſa Carolinam de infamia trapezitarum Iuſtinianeæ opponit, ac proponit tāquam meliorem, quæ illos honeſtavit multis privilegiis ſupra reliquos mercatores, nedū ignominioſos & ἀσωμάκτους faceret. Quid eſt leges condere, ſi hoc nō eſt? An cuilibet licebit non regi nec principi, ex veterum principum legibus, alias comprobare, alias improbare? alias rogare, alias abrogare? Hoc plane eſt ſupra principes eſſe, quādo de eorū legibus, utrum recipiendæ ſint an reiiciendæ, iudicatur. In privato certe, τοῦτο τυραννίς ἐστι, inquit ille. Miror etiam, quid illis

 libeat

libeat in hac controverſia auctoritatem Caroli quinti quaſi pro munimento ſuæ cauſæ adferre, cum ius potius Canonicum Pontificium deberent allegare. Quid enim Carolus ille ſua illa ſanctione decrevit quod non prius iure Pontificio ſancitum fuerit? Immo ideo id ita ſanxit Carolina conſtitutio, quia idem iam Pontificum decretis pridem fuit ſtatutum, quibus derogare hodie nefas habent Imperatores ac principes Chriſtiani qui Eccleſię Romanę addicti ſunt. Quis hoc tempore in Europa principũ nuptias inter cõſanguineos permiſit, quæ iure Canonico vetitæ ſunt? Atqui eas liquet & iure divino licitas eſſe, & iure civili. Quod ſequuntur qui reformatam religionem receperunt. At in regnis cæterorum principum Chriſtianorum qui in decret Pontificum iurarunt, ſi qui conſanguine nuptias ex aliqua περιστατικῇ cauſa aut προαιρετικῇ contrahere velint, venia prius petenda eſt atque impetranda, quam vocan *diſpenſam*, ab ipſo Pontifice. Quæ ne gratis datur. Quin etiam ipſi principe ſuas conſanguineas non poſſunt ducere niſi impetrata à Pontifice licentia talium nuptiarum. Si ad ius illud Pontificium principibus pleriſque hodiern

di

die probatum nos vocaret Theologus, quantũ ad nuptias conſanguineorum, inter nos, id eſt, reformatos, plurima inceſta deprehenderentur, quæ vitare aliter non poſſumus niſi renunciantes iuri Canonico & Pontificio. Quam alia ad hunc modum multa poſſent proferri, in quibus fruſtra reformatã profiteremur, ſi Pontificium ius tenere, aut eo teneri vellemus? Quid igitur iuris Pontificii regulis nos adſtringi hic vult Theologus in materia uſuraria, qui iuris illius iugum in aliis à noſtris cervicibus amoliri, & iure quidem, contendit? Cur autem, ſi bonum eſt quod Canoniſtæ de uſura trapezitica ſanxerunt, non etiam rectum iudicabimus in uſura privatorum, quod ab iiſdem decretum eſt? Cum illi omnem omnino uſuram Chriſtiano interdictam velint, quia iure divino vetitam omnem putant, cur inde excerpimus & excipimus uſuram privatorum, & trapeziticam publicamque ſolam illi legi fecimus obnoxiam? Si infames trapezitæ quia contra vetitum iuris Canonici faciunt fœnus exercendo, quî minus infamia notandi privati, & in his maxime Paſtores, qui ſimiliter contra iuris eiuſdem regulas pecuniam ſuam dant fœnori? Si vetus ius Canonicum, quale concilio-
 rum

rum provincialium& œcumenicorum decretis ſtabilitum eſt, in uſum revocaretur, quod novo & Pontificio canonico longe antiſtare credendum eſt, vereor ne magis infames ex eo habendi ſint miniſtri altaris, qui fœnore Laicis licito locant pecuniam, quam ipſi trapezitæ, etiam ſi in fœnore exercendo preſcripta legum non obſervent. Eo iure nemini plebeio vetitum legitur fœnus. Ergo ne trapeziticum quidem. Ne cenſuræ quidem Eccleſiaſticæ obnoxii facti qui modum in eo excederent & improbum fœnus exercerent. At miniſtris altaris & omnibus in ordinem Eccleſiaſticum allectis argentum ad uſuram dare prohibetur, & cum pœna etiam depoſitionis. Ita enim Canones ſub Apoſtolorum nomine ſanciunt: *Epiſcopus, Preſbyter, aut Diaconus, uſuras à debitoribus exigens, aut deſinat, aut certe damnetur.* Idem confirmavit & Nicænum & ſextum in Trullo, œcumenica cõcilia, quę dum ſolis Clericis uſuras interdixere, privatis permiſiſſe intelligi debent, ut iam pluribus in ſuperiore libro docuimus. Qui altari igitur deſerviunt, aut opere & miniſterio, aut verbo ac doctrina, uſuras à ſuis debitoribus accipere ſemper vetiti fuere, tam iure Canonico antiquo, quam novo Ponti-

Pontificio, tam orientali quam occidentali, Græco quam Romano. Harmenopulus lib. VI, Tit. VII, *Ὁ ἱερώμενος τόκους ὅλως οὐ συγχωρεῖται λαμβάνειν, ἀλλαχοῦ γὰρ εὕρηται, καὶ ὡς καθαιρεῖται τοῦτο ποιῶν ὡς ὁ ιζ΄ κανὼν τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου φησὶ, καὶ ὁ ι΄ τῆς ἐν Τρούλλῳ, τῆς καὶ ϛ΄ λεγομένης. Πῶς γὰρ, ὃς οὐδὲ πράγματα ἔχειν συγχωρεῖται, ἢ βιωτικοῖς καὶ ἐκκλησιαστικοῖς ἐνασχολεῖσθαι;* Et hæc ratio eſt inter alias, cur uſuræ illicitæ ſint miniſtris altaris, quia omnibus ſæcularibus negotiis abſtinere debent, quos nec decet occupari Eccleſiaſticis. Eo tempore quippe Eccleſiaſtica negotia curabant œconomi Eccleſię, qui laici erant. Quo munere olim primis Eccleſiæ temporibus fungebantur illi preſbyteri quibus docendi munus non incumbebat. Nam duum generum ſub Apoſtolis preſbyteri, iidemque Epiſcopi fuere. Damaſus in vita Clementis tradit, Petrum, cum eum Epiſcopum conſecraret, eique cathedram & eccleſiam diſponendam committeret, dixiſſe, *Sicut mihi gubernanti tradita eſt à Domino Ieſu Chriſto poteſtas ligandi ſolvendique, ita & ego tibi committo, ut ordines diſpoſitores diverſarum cauſarum, per quos actus eccleſiaſticus profligetur, & tu minime in curis ſæculi deditus reperiaris, ſed ſolummodo ad orationem & prædicationem populi va-*

li vacare ſtude. Ipſe etiam Petrus in ea vita dicitur *ad orationem & prædicationem populum erudiens vacaſſe.* Similiter & Clementi, cum Epiſcopum eum ordinavit, hoc iniunxit, *ut orationi tantum & prædicationi vacaret.* Τῇ προσευχῇ καὶ τῇ διακονίᾳ τοῦ λόγου, ut eſt in Actis. Ergo alterius generis & ordinis fuere Cletus & Linus ab eodem Petro ordinati Epiſcopi, *qui præſentaliter omne miniſterium ſacerdotale in urbe Roma populo ſupervenienti exhiberent.* Id eſt, qui diſpenſationem & adminiſtrationem ſacramentorum haberent. Verba illa ſunt Damaſi. At ipſe Petrus, ut ſtatim ſubiicit, *ad orationem & prædicationem populum erudiens vacabat.* Eo tempore iidem in Eccleſia fuere Epiſcopi & Preſbyteri. Ab ætate hoc, à cura illud nomen. Preſbyterorum autem ſive Epiſcoporum duo genera tum fuiſſe, locus Pauli in Epiſt. ad Timotheum I. cap. V. oſtendit his verbis: οἱ καλῶς προεστῶτες πρεσβύτεροι διπλῆς τιμῆς ἀξιούσθωσαν, μάλιστα οἱ κοπιῶντες ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ. Hi ſunt Epiſcopi ſive Preſbyteri, quos Damaſus ſcribit *prædicatione erudiſſe populum & orationi tantum vacaſſe.* Hæc omnia deſunt in Editione à Sociis Moguntinis procurata, ſed leguntur in omnibus ſcriptis codicibus. Alterum genus *præſentaliter,*

Addi sic oportet idem, ut monet autor circa fin. libri post Indic.

liter, ut idem loquitur, *omne miniſterium ſacerdotale exhibebant populo.* Id eſt, ſacramenta adminiſtrabant & exhibebant plebi. Eamdem inter Epiſcopos ſive Preſbyteros differentiam licet etiam confirmare altero Pauli loco ex Epiſt. I. ad Corinthios cap. XII. Ubi varia chariſmata recenſet quæ in Eccleſia ſua Deus conſtituerat. Primum in ea gradum dignitatis habuiſſe dicit *Apoſtolos*, *ſecundum Prophetas*, *tertium Doctores*, *deinde virtutes*, *donationes ſanitatum*, *adiutoria*, *gubernationes*, *genera linguarum*. Per διδασκάλους quibus tertium locum aſſignat non eſt dubium ab eo intelligi illud genus πρεσβυτέρων, quos ad Timotheum, κοπιῶντας ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ vocat, & quos Damaſus in Clemente ſcribit *prædicatione populum erudiiſſe*, *atque orationi tantum vacaſſe*. *Magiſtros*, non *doctores*, vetus verſio reddidit, priuſquam ab Hieronymo corrigeretur. At cum idem Apoſtolus inter ea χαρίσματα Eccleſiæ nominat ἀντιλήψεις & κυβερνήσεις, *adiutoria* & *gubernationes*, de illis Preſbyteris ſive Epiſcopis intellexit, qui eccleſiæ res procurabant & diſpenſabant, atque etiam ſacramenta populo adminiſtrabant. Nec mirum, cum omnes ex Preſbyterio ſeniores Epiſcopi tum voca-

rentur & eſſent, cuiuſcunque ordinis, omnino forent, alios docendi tantum munus & prædicãdi habuiſſe, aliis negotia eccleſiaſtica diſpenſanda, & ſacramenta adminiſtranda eſſe data. Horum ἀντιλήψεις & κυβερνήσεις propriæ. Sed & ἐπισκοπῆς nomen ex merito magis in hos competebat, quæ eſt inſpectio, procuratio, & adminiſtratio. Generali tamen vocabulo ἐπίσκοποι eo tempore appellati ſunt omnes preſbyteri ac ſeniores Eccleſiæ præpoſiti, ſive docendi tantum munus, ſive adminiſtrationem ſacramentorum ac procurationem aliarum rerum Eccleſiaſticarum haberent. Horum ergo ἔργον & opus fuit proſpicere negotiis Eccleſiæ, cuiuſcunque generis eſſent, eaque curare, ut illorum, docere tantum populum, & orationi vacare. Quod diſcrimen utriuſque generis preſbyterorum non ſolum apud Paulum duobus locis, ſed etiam apud Damaſum clare expreſſum vidimus. Nec enim audio viros doctiſſimos, qui illas ἀντιλήψεις & κυβερνήσεις referunt ad Diaconos. Nullam illi habuere κυβέρνησιν aut προστασίαν in eccleſia, aut alium eccleſiaſticum actum, niſi pauperum tantum menſarumq; miniſteriũ. Unde & διάκονοι appellati. Quod verbi aliam ab ἐπισκόποις fun-

ctionem

ctionē deſignat, ut obnoxiam illis ac ſubiectam. Eo tempore, cum omnes Preſbyteri etiam eſſent ac dicerentur ἐπίσκοποι, non puto tam invidendam & expetendam fuiſſe epiſcopatus dignitatem, ut dicere debuerit Paulus in 1 ad Timotheum, cap. III, Πιστὸς ὁ λόγος, εἴ τις ἐπισκοπῆς ὀρέγεται, καλοῦ ἔργου ἐπιθυμεῖ. Nam ὀρέγεσθαι proprie ſignificat aliquid avide cupere & appetere, ac cum ambitu. Quis tunc inter tantas perſequutiones, cruces, miſerias, Eccleſiæ præpoſitis propoſitas, eccleſia adhuc paupere, cum tot numero eſſent Preſbyteri, ambiiſſet ἐπισκοπὴν, id eſt, epiſcopatum, tanquam munus valde exoptandum & expetendum? In vetuſtiſſimo libro Puteanæ Bibliothecæ ſcriptum eſt: ἀνθρώπινος ὁ λόγος, εἴ τις ἐπισκοπῆς ὀρέγεται, καλοῦ ἔργου ἐπιθυμεῖ. Et in verſione Latina antiquiſſima, *Humanus ſermo, ſi quis epiſcopatum cupit, bonum opus deſiderat.* Quæ ſi vera eſt lectio, eam ἐπισκοπὴν Paulus non de epiſcopatus dignitate intellexerit, ſed de qualibet curatione, cum aliquo præfecturæ honore ac commodo cōiuncta. Vulgi ergo ait hunc ſermonem eſſe, ſi quis cupiat cuiuſcunque muneris vel officii procurationem, honeſtum opus deſiderare. Quod ex idiotiſmo dictum eſt, ut etiam nunc

nunc dicimus: *C'eſt une belle choſe que d'eſtre Pape.* Pulcrum eſt opus, Papam eſſe. Nam ita ἔργον Græcum vulgus uſurpabat ἀντὶ τοῦ πρᾶγμα aut χρῆμα. Præterea ἔργον in aliis omnibus officiis ac muneribus functionibuſque dicebatur præterquam in artibus, & τέχναις. Unde ἔργα & ἐπιμελήματα, villicationis munia ac curæ apud Xenophontē. Hæc etiam eſt ἐπισκοπή. Cū igitur dixiſſet Apoſtolus, vulgo id ferri & iactari, qui ἐπισκοπὴν cupiunt, καλὸν ἔργον eos expetere, ſubiecit, ἐπίσκοπον ergo, id eſt, illum qui in eccleſia ἐπισκοπὴν gerit, debere eſſe ἀνεπίληπτον, ut ſic videri poſſit καλὸν ἔργον agere, & præclaro munere fungi. Non enim καλὸν eſt ἔργον niſi bono more ac modo adminiſtretur. Quia autem Paulus in aliis locis ubi aliquid adfirmat, ſolet dicere, πιστὸς ὁ λόγος, ſequens ætas, cum iam Epiſcopatus in eccleſia dignitas magna eſſet, & deſideranda, pro ἀνθρώπινος ὁ λόγος, repoſuit, πιστὸς ὁ λόγος, ut de Epiſcopatu eccleſiaſtico acciperetur. Verum de his nos alibi. Veteribus *Epiſcopatus* in eccleſia non fuit nomen dignitatis aut poteſtatis, id eſt, ἐξουσίας & αὐθεντίας, ſed curationis & adminiſtrationis, βοηθείας ſive προστασίας, quæ eſt ἐπισκοπή. Et non ſolum in eccleſiaſticis, ſed etiam in civilibus *curatio*
&

& *poteſtas* diverſa fuit. Nam quædam officia curationē habebant, non poteſtatem. Talis in eccleſia fuit epiſcopatus, quod nomen, teſte Hieronymo, *non meriti fuit ſed officii*, οὐκ ἀξίας, ἀλλὰ ἔργου. Ἀξία ſane, id eſt, dignitas, proprie pertinuit ad πολιτικὴν ἀρχὴν; ἐπιμέλεια autem πνευματικὴ & φρόντισμα & ἐπισκοπὴ, id eſt, curatio, ad præfectos eccleſiæ preſbyteros. Hoc autem nomē ἐπισκοπῆς peculiariter competiit illi generi preſbyterorum ſive ſeniorum qui adminiſtrationem rerum eccleſiaſticarum ſuæ curæ commiſſam habebant, & diſtinguebantur à doctoribus, qui in doctrina & oratione operam ponebant. Sed & διδασκάλοις, preſbyteris, datum eſt. Certum tamen eſt, ut alibi confirmabimus, duo hæc diſtincta fuiſſe munia ſub Apoſtolis in Eccleſia preſbyterorum ſive Epiſcoporū, τὴν διδαχὴν, καὶ τὴν κηδεμονίαν. Et hæc proprie ἐπισκοπὴ, quam Chryſoſtomus προστασίαν vocat, quæ non eſt præfectura, vel præſidatus, ut Criticus ſacer putavit, ſed protectio, patrocinium, ac defenſio, idemque etiam ſignificat ἐπισκοπή. Heſychius: ἐπισκοπὴ, ἐκδίκησις. Id eſt, *vindicatio*. Atque ita ἔργον accipit in illis, καλοῦ ἔργου ὀρέγεται, εἴ τις ἐπισκοπῆς ἐπιθυμεῖ, pulcri muneris ſive officii. Προστασία γὰρ,

inquit,

inquit, ἔργον ἐστί. Ita legendum, non, προστασίας. Quod ut uberius exponat, adiicit: εἴ τις ταύτην ἔχει τὴν ἐπιθυμίαν, ὥστε μήτε τῆς ἀρχῆς καὶ τῆς αὐθεντίας ἐφίεσθαι μόνον, ἀλλὰ τῆς προστασίας, οὐκ ἐγκαλῶ, καλοῦ γὰρ ἔργου ἐπιθυμεῖ, φησὶν, ἐπεὶ καὶ Μωυσῆς ἐπεθύμησε τοῦ πράγματος, ἀλλ' οὐ τῆς ἐξουσίας. Quæ verba ſic Latine convertit Exercitator ſacer, ut planum fecerit ſe nihil in illis intellexiſſe. Non enim προστασία ibi eſt qua quis præeſt aut præſidet multis ſibi ſubiectis, ſed ἐκδίκησις & βοήθεια, patrocinium ac protectio qua eos defendit ac tutatur. Sic igitur verte: *Si quis hoc habet deſiderium, ut non imperium tantum & poteſtatem affectet, ſed & protectionem ſuſcipiat, non reprehendo. Bonum enim opus & officium deſiderat, inquit. Quandoquidem & Moſes expetiit rem ipſam & officium protegendi ac vindicandi alterius, non ipſam poteſtatem.* Opponit ἐξουσίαν τῇ προστασίᾳ, poteſtatem tutelæ & protectioni. Προστάται dicebantur Athenis illi cives in quorum clientelam à quibus defenderentur ac protegerentur ſe dare debebant omnes advenæ qui ſinguli patronum antiquum adoptare cogebantur. Quod niſi facerent, ἀπροστασίου δίκη iis ſcribebatur. Inde προστασία patrocinium. Suidas, προστασία, βοήθεια. Hæ ſunt igitur ἀντιλήψεις & κυβερνήσεις, quas inter chariſmata

ta recenſet Apoſtolus, id eſt, procuratio-nes ſive προστασίαι & adminiſtrationes ſacramentorum, & actuum Eccleſiaſticorum geſtiones, quæ Preſbyteris, qui doctores non erant, ex officii debito incumbebant. Nam ἀντίληψις idem quod βοήθεια & προστασία. Et, ἀντιλήπτωρ, βοηθός. Theophylactus ἀντιλήψεις illas & κυβερνήσεις, exponit, ἀντέχεσθαι τῶν ἀσθενῶν, & οἰκονομεῖν τὰ τῶν ἀδελφῶν: *Subvenire infirmis, & diſpenſare ea quæ fratrum ſunt.* Heſychius, ἀντιλήπτωρ, ἀντιλαμβανόμενος, ὑπερασπιστὴς, βοηθός. Ergo idem hoc ſenſu quod προστάτης. Unde προστασία illa, quam gerere debent qui Epiſcopatum ambiunt, non vero ἐξουσίαν & αὐθεντίαν affectare, *imperium* & *poteſtatem*. Idem Theophylactus, ex Chryſoſtomo, ut apparet: εἴ τις, φησὶν, ὀρέγεται τῆς προστασίας, οὐ κωλύω, ἔργου γὰρ καλοῦ ὀρέγεται, μὴ τῆς ἀρχῆς καὶ τῆς αὐθεντίας μόνης ἐφιέσθω, ἐπεὶ καὶ Μωσῆς τοῦ ἔργου ἐπεθύμει, ἤγουν τῆς προστασίας. Ita enim legendum in verbis Theophylacti. Vulgo contra mentem auctoris legitur in Editione nupera Anglicana: τοῦ ἔργου ἐπιθυμεῖ, οὐ τῆς προστασίας. Quæ & ſic vertenda: *Si quis*, inquit Apoſtolus, *cupit procurationem, non intercedo. Nam bonum opus deſiderat. Nec ſolum is imperium & poteſtatem ambiat, quoniam & Moſes officium illud ipſum expetiit, nimi-*

rum

rum quo proximo ſuo opitularetur, eumque protegeret. Quæ igitur illa προστασία vel ἔργον quod appetiit ac ſumpſit Moſes, non etiam imperium? Προέστη γὰρ τοῦ ἀδικουμένου, πατάξας τὸν ἀδικοῦντα. *Iniuriam quippe paſſim protexit, & percuſſit eum qui intulerat.* Nota hiſtoria ex 11. Exodi. Hoc etiam proprie ἐπισκοπεῖν. Unde ἐπισκοπὴ, ἐκδίκησις: vindicatio, ac defenſio. Sed & ἐφορᾷν & ὁρᾷν pro eodem, ut & Latinis *tueri.* In veteri inſcriptione: Λύσιοι κόνιν ὁρῶσι. *Dii Manes cineres tuentur.* Unde ἐπίσκοποι dicti & φύλακες, quos Athenienſes mittebãt in urbes ſuę ditionis, curatores earũ futuros, civiũ defenſores, ac inſticię cuſtodes tutoreſq;. Inde ergo & in Eccleſia ἐπίσκοποι quaſi προστάται, defenſores ac curatores Eccleſiæ, non ἄρχοντες. Scio & προστασίαν Græcis interdum ſumi pro præſidatu & poteſtate: ſed hic aliter debet, ut alibi dicam latius. Sed & ἐπίσκοποι à curatione etiam dicti, ac proviſione, illi ipſi qui docebant. Nam hi curam animarum proprie habuere, quas erudiebant. Alii curam corporũ, quæ ab iniuria defenſabant, & bonorũ quę diſpenſabant. Immo etiam & animarum, quia ſacramentorum adminiſtrationem, quibus animæ quaſi paſcuntur, quęq; alimenta ſpiritualia ſunt. Poſtea unus idemque

que curam animarum geſſit, & pecuniarum, id eſt, bonorum Eccleſiaſticorum. At olim, cum preſbyteri dicerentur ab ætate, duum, ut dixi, generum fuere, ſed unius ordinis, alii ad ἐπισκοπὴν Eccleſiæ deſtinati, alii ad διδαχὴν, quæ & ipſa ἐπισκοπὴ animarũ. Et hoc munus nobilius præſtantiuſq; fuit, unde in tertio gradu χαρισμάτων ponit Apoſtolus διδασκάλους, in ſexto ἀντιλήψεις & κυβερνήσεις. Idcirco cum preſbyterorum & Epiſcoporum ordo diſtingui cœptus eſt, & ſuperior gradus dignitatis Epiſcopis dari, hoc proprium eorum munus eſt factum, docere, ac populum prædicatione erudire, orationique tantum vacare, & nullis ſe aliis Eccleſiaſticis negotiis immiſcere. Ergo tum preſbyteri cætera curabant, tam quæ ſpectarent ſacramentorum adminiſtrationem, quam quæ aliorum Eccleſiaſticorum actuum procurationem. Quinimmo antequam inſtituti eſſent Diaconi, preſbyteri etiam hoc muneris habuere, ut menſis inſervirent, ſicut patet ex Actorum VI. Ab huiuſmodi Epiſcopis qui docere tantum populum debebant & orare, longe fuit fœnerari. Et Paulus recte ab his exigit tantum ut ἀφιλάργυροι ſint, hoc eſt, ne in ſuis quidem ſervandis nimis ſtricti. Quod

ad alios attinet preſbyteros qui bona Eccleſiaſtica diſpenſabant, & ſacramenta populo exhibebant, nec ipſis etiam tum licuit fœnerari, aut ullum quæſtum ſordidum ſectari, cum ne Diaconis quidem id licitum voluerit Paulus. Ubi docendi munus abiecerunt Epiſcopi, quod olim proprium & peculiare habebant, infra dignitatem ſuam id eſſe rati, tum exortum eſt in Eccleſia *Doctorum* genus qui Epiſcopi non erant, qui hoc operis habuerunt, populũ erudire prædicationibus, & ſcripturas ei exponere. Quos διδασκάλους proprie dixerunt Græci, Latini *Tractatores* & *Magiſtros*. Et ſic vertit διδασκάλους veteris verſionis auctor apud Apoſtolum. De quibus nos alio loco in noſtris de Ordine Eccleſiaſtico commentariis. Hinc concilia quædam Epiſcopos & Doctores iunxerunt, & paris eſſe meriti in Eccleſia ſanxerunt, ut pote qui ex agro Dominico idem fœnus referrent ac redderent ad centeſimam frugem, cum reliqui Clerici ſexageſimam tantum darent, & fideles Laici trigeſimam. Abiecto igitur munere docendi, ne nomen ac ſpecies ſine re maneret Epiſcopatus dignitas, ex muniis preſbyterorum quædam præcipua ſibi ſumere cœperunt quæ non lice-

liceret preſbyteris attingere, ſed Epiſcopi ſoli agere poſſent, ut erat pœnitentiũ recõciliatio, & Chriſmæ confectio, & puellarum conſecratio, & alia quædam. Epiſcopo etiam diſpenſandi res Eccleſiaſticas poteſtas data eſt, ſed cum noticia presbyterorum & Diaconorum, ut ſcirent nimirum quæ bona eſſent Epiſcopi propria, quæ ad Eccleſiam pertinerent, Canone ultimo Antiochenæ ſynodi. Quod olim preſbyterorum fuit qui non docebant. Sed & poſtea Oeconomi inſtituti ex Clero ſingularum Eccleſiarum, qui facultates Eccleſiaſticas tractarent ac diſpenſarẽt ſecundum ſententiam Epiſcopi proprii. Ultimo Eccleſiaſtica bona partim ipſi Eccleſiæ dicata, ad ſarta eius tecta, partim ad ipſorum Epiſcoporum fovendum pro dignitate luxum, & alendum numeroſum eorũ famulitium, deſtinata fuere. Ut verius ſit, ſed alio ſenſu, quod olim in vulgus iactabatur, *qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderare*, ob ampliſſimos ſcilicet reditus qui Epiſcopatui adnexi & affixi ſunt. At olim diſtinctio ſiebat bonorum Eccleſiæ & ipſius Epiſcopi. Propriis ſe alebat ac tuebatur: Eccleſiaſtica ita ex ipſius ſententia adminiſtrabantur, ut in pauperes & infirmos erogarentur, aut captivis li-

berandis impenderentur, ac ſimilibus piis cauſis. Ita enim pecuniarum, id eſt, arcæ Eccleſiaſticæ curam agebat Epiſcopus, ut poteſtate eius indigentibus omnia diſpenſarentur per preſbyteros ac diaconos. Ex iiſdem bonis, ſi quando ipſe Epiſcopus indigeret, ſumere ſolebat, & ad peregrinorum fratrum uſus, ut nihil eis poſſet deeſſe. Lex enim Dei præcipit, ut eſt in XLI. Canone Apoſtolorum, *ut qui altari deſerviunt, de altari paſcantur*. At nunc non ad indigentiam ſuam tantum, ſed ad luxum ac delicias, Eccleſiaſticis facultatibus fruuntur. Verum de his alibi. Sed & defenſores Eccleſiarum in quibuſdam provinciis creati, qui ab Imperatore poſtulabātur & delegabantur, ut pauperibus adverſus potentiam divitum opitularentur. Atqui hæc defenſio, quæ ἀντίληψις, & ἐκδίκησις, & προστασία ſive ἐπισκοπὴ, proprie pertinuit ad Epiſcoporum munus, qui inde nomen nacti ſunt. Ex duplici illo ordine ac munere preſbyterorū, dum alii ſacramenta populo exhiberent, alii res Eccleſiaſticas adminiſtrarent, nati & illi *ſeniores Laici* in Eccleſiis Africanis, de quibus nos alibi plura. Sic amplificata Eccleſia, multiplicavit etiam officia ſua, quæ omnia olim fuere unius ordinis

nis preſbyterorum, ſub ipſis Apoſtolis. Sed & per ducentos & amplius annos nõ aliud patrimonium Eccleſia habuit pręter arcam in quam ſtipes menſtruæ congerebantur, quas fideles conferebant. Tertullianus in Apologetico: *Præſident probati quique ſeniores, honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti, neque enim pretio ulla Dei res conſtat. Etiam, ſi quod arcæ genus eſt, non de honoraria ſumma quaſi redemptæ religionis congregatur. Modicam unuſquiſque ſtipem menſtrua die, vel cum velit, & ſi modo velit, & ſi modo poſſit, apponit, nam nemo compellitur, ſed ſponte confert. Hæc quaſi depoſita pietatis ſunt.* Quem ad uſum erogaretur illa pecunia quæ corrogabatur menſtruatim à fidelibus, ibidem docet. Ditata ſequentibus ſæculis Eccleſia oblationibus privatorum, & donationibus ac legatis procerum ac principum, ubi plurima latifundia habere, & contendere opulentia etiam cum Regiis domibus cœpit, tum etiam peculiaribus habuit opus diſpenſatoribus. Sed & ipſi Epiſcopi, qui olim pauperes erant, & hoc affectabant, Eccleſia opulentata, ad opes etiam animum acquirendas adiecerunt. Cum opibus ambitio ſuccrevit. Et ſic ἐπισκοπὴ, quæ primo fuit officiũ curationis tantum ſine imperio ac iuriſdictio-

 ne,

ne, facta eſt poteſtas cũ dignitate ſine curatione. Ut divitias quas quæſierant ſervarent vel amplificarent, fœnori etiam ſtuduerunt, eique maximo. Hæc eſt *αἰσχροκέρδεια*, quam ipſis obiicit concilium Nicænum, qua uſuras ex legitimis graviſſimas accipere ſoliti erant, centeſimas & hemiolias. Diſpenſatores arcæ Eccleſiaſticæ preſbyteri olim nec pecuniam ſuam, nec Eccleſiæ, dabant fœnori, quia nec privati tum Chriſtiani primis illis temporibus hoc faciebant. Ideo nec nominatim neceſſe fuit Apoſtolo, fœnore interdicere, qua Preſbyteris ſive Epiſcopis, qua Diaconis, ſed *φιλαργυρίᾳ* tantum & *αἰσχροκερδείᾳ* iis interdixit. Quibus vocibus non ſolis iis vetita intelligitur fœneratio, ſed omnis omnino quæſtus ſordidus, & nimia tenacitas in cuſtodiẽdis quę expendere debebant. Poſteaquam vero ampliſſimas facultates Eccleſia cœpit habere ex piorum legatis, eorumque adminiſtratio ita ceſſit Epiſcopis ut tanquã propriis his uti poſſent, ab eo tempore augere Eccleſiæ illos reditus, quos in ſinum ſuum convertebant, omni ſtudio contenderunt. Tum igitur expreſſe fœnus illis vetitũ per Canones conciliorum, cum maxime fœnori operati ſunt, ut primi Nicæni. Circa

idem

idem ferme tempus & quidam boni viri ab Eccleſia ſeceſſerunt, non aliam ſui ſchiſmatis cauſam adferentes quam quod divites eſſent Epiſcopi, & opibus quærendis animũ attenderent, ut Audiani, duce Audio, de quo videndus Epiphanius. Hæc quæ dixi omnia eo pertinent, ut oſtendam primũ, quantopere diſtaret ſtatus Eccelesię prioris à ſequentium ſæculorum Eccleſia. Illius enim tẽporis Laici fideles ſanctitate antiſtabant hodiernis Epiſcopis ac paſtoribus. Ergo infinitum eſt diſcrimen Epiſcoporum hodiernorum & antiquorũ, qui Laicis illius ævi in tantum ſupereminebant. Deinde ut doceam, ne in illo quidem perfectiſſimo Eccleſiæ ſtatu atque integerrimo ſanctiſſimoque, uſuras unquam vetitas fuiſſe Laicis, idque duraſſe per annos plus quam quadringentos, cum omnia ferme cõcilia provincialia & univerſalia fœnus Eccleſiaſticis tantum prohiberent, Laicis permiſſum. Tertio, quid initio fuerit ἐπισκοπὴ, & quod eius pręcipue munus, etiam docendum fuit, nempe curatio tantum ac προστασία ſine imperio ac iuriſdictione. Hoc enim poſito cuilibet poterit liquere, leges condere contra Canonum ſynodalium decreta nulli Epiſcopo privatim unquam licuiſſe. Et

Oriens quidem etiam depravatos ſuos vidit Epiſcopos, adeo ut querantur patres recentioris Græcię, in tantum degeneraſſe illius ævi Epiſcopos ab antiquorum ſanctitate, *ὥστε μηδὲ τῆς συμμέτρου ἀρετῆς σκιὰν ἐν αὐτοῖς διευρίσκεσθαι*. Et Archiepiſcopus eſt illarum regionum qui hoc ſcribit. Nunquã tamen eo proceſſerunt, ne Patriarchæ quidem illarũ partium, ut uſuras permiſſas plebi, Clericis tantum vetitas ex conciliorum decretis, aliter licitas aut illicitas eſſe ſancirent, quam vetera concilia, & præcipue primum illud magnum & œcumenicum Nicænum, conſtituiſſent. At Romani pontifices, ubi contempta ac ſpreta paupertate & humilitate Apoſtolica, non ſolum ſupra collegas ſuos ambitioſum caput extulerunt, ſed etiam ſupra ipſa concilia auctoritatem ac poteſtatem ſuam evexerunt, non vetitum à Chriſto Laicis fœnus, & permiſſum à conciliis, quia ſolis Eccleſiaſticis interdictum, etiam plebi contra omnium ſynodorum ſanctiones prohibendum ſtatuerunt. Utut eſt, ſemper miniſtris altaris interdicta manſit uſura tam novo quam veteri iure Canonico, & omnis quidem uſura, ne de enormi tantum nobis aliquis id verum eſſe concedat, ſed modicam permiſſam contendat. Ne redi-

reditus quidem annuos, quales hodie ſunt conſtituti, poteſt nobis aliquis, quaſi uſuræ non ſint, permittendos paſtoribus & miniſtris defendere. Concludo igitur ex veteris iuris Canonici auctoritate, minus turpiter facere & minus peccare trapezitas, fœnus ſibi Canonibus conciliorū permiſſum, ac lege civili præſcriptum exercentes, quá miniſtros altaris alioſq; Clericos pecuniam ſuam ad uſuram dantes, vel modicam, vel annuorū redituum nomine velatam ac fucatam. Nunc interrogandi noſtri, utrum antiquo illi iuri Canonico, & moribus Eccleſiæ primitivæ, ſtandum potius cenſeant, an novo ac Pontificio malint acquieſcere. Si dicent, ſe, quantū ad privatorum uſuras attinet, ſtare antiquo velle, quod ad trapeziticas, nolle, neque etiam probare interdictam miniſtris altaris uſuram: quot modis ſeſe intricabunt, & quot nodis, quibus vix expediri poterunt? Aut enim debent ex toto ius priſcum Canonicum ſequi, aut novum Pontificium in totum repudiare, & contra. Nunc vide quid agant. Dum probant uſuras privatorum, & trapeziticas improbant, partim ius Canonicum Pontificium reiiciunt, partim recipiunt. Hoc enim iure tam privatorum quam tra-

pezitarum uſuræ vetitæ. Rurſus dum trapeziticum fœnus damnant, & pro vetito habent, at Eccleſiaſticis uſuras licitas eſſe volunt, Canonico antiquo iuri hac in parte non ex dimidiato, ſed ex toto renunciant. Illo quippe iure non vetitum fuit trapeziticum fœnus, ſed Clericorum uſuræ omnimodo prohibitæ. Quod ſi negabunt, uſurarios eſſe contractus illos qui hodie *annuorum redituum* nomine nuncupantur, ego contra pertendam, non differre ab uſuris veterum quas Eccleſiaſtico ordini omnium conciliorum, tam particularium quam generalium, decreta interdictas eſſe ſanxerũt. Et ſi quis eſt qui ſuper eo adhuc dubitet, nos in tertio Volumine, ubi utriuſque negotii naturam & indolem expoſuerimus, ne quis amplius ambigere poſſit, faciemus. Sed & ſupra illos reditus veteri Iuri cognitos docuimus, & τόκους dictos. Quam vero illud abſurdum, ut hoc iterũ iterumq; repetamus, quod fœnus trapeziticum ſolum damnari & exterminari ex republica Chriſtiana debere contendunt, cuius ſolius utilitatem & neceſſitatem in commerciis humanæ ſocietatis ſummã eſſe vident qui nihil in cæteris vident. Longe quippe præſtaret aboleri ac tolli privatorum uſuras, & illam fœnera-

nerationem, quæ omnibus publice prodeſt, etiam pauperibus, retineri. Quod adeo evidenter verum eſt, ut certum ſit, Baſilium Leonis patrem, cum uſuras tolleret, ſolas quas privati exercerent, ſuſtuliſſe, publicas ac trapeziticas ob utilitatem earum reliquiſſe. Idque colligi poteſt ex conſtitutione Leonis, qua eas reſtituit. Nec enim alias reſtituiſſe videtur quam quas pater ſuſtulerat. Solas autem reſtituit privatas, ut liquet ex fine eius conſtitutionis his verbis: ἀνθορίζοντες, ἐπὶ τόκῳ τὴν χρῆσιν τῶν δανείων περιέρχεσθαι, καθὼς τοῖς παλαιοῖς ἔδοξε νομοθέταις, φημὶ δὴ, τῷ λεγομένῳ ἀπὸ τρίτης ἑκατοστῆς, ὅπερ ἐστὶ κεράτιον ἓν ἐφ᾽ ἑνὶ ἑκάστῳ νομίσματι ἀνὰ πᾶν ἔτος τοῖς δανεισταῖς εἰς κέρδος γινόμενον. Unum hoc genus uſuræ exequitur quod privatis competebat, quæ trientem centeſimæ præſtabat. Et minimus quidem hic fœnoris modus fuit, qualis permiſſus eſt anteriorum principum conſtitutionibus, & præcipue Iuſtiniani, τοῖς ἀξιωματικοῖς, id eſt, in dignitate poſitis, & illuſtribus. Qui ſunt μονοκέρατοι τόκοι illius ævi. Nihil igitur de menſali fœnore abolendo ſtatuerat Baſilius, cui Iuſtinianus præſcripſit beſſales uſuras. Hoc eſt, illius temporis δικεράτους. Certe Baſilius

ſilius ille menſarios, qui *cambium*, ut vulgo dicitur, exercebant, non ſuſtulerat. Hi ἀργυροπρᾶται, ac τραπεζῖται. At utrumque munus apud veteres habuerunt, commutandarum pecuniarum, & commodandarum ſub uſuris. Verum de his plura in libro de Uſuris Iuſtinianeis. Non igitur illi tolerandi qui tollendum trapeziticum fœnus ſolum ſentiunt, cum nulla bona ratione nitantur, nec auctoritate. Si damnant uſuras, omnes ſunt reſpuendæ. Si recipiunt, omnes tolerandæ. Nec ullum afferre poſſunt, ut iam dixi, ex tota antiquitate argumentum aut teſtimonium, quo evincant, quæ de admittendis uſuris aut omittendis ſcripta uſpiam extant apud antiquos, ad ſolas privatorum uſuras pertinere, & trapeziticas excludi. Immo è contrario, quidquid de τόκῳ abſolute dicitur in antiquis legibus, ſcriptura ſacra, veterũ ſcriptis, de trapezitica proprie uſura id accipiendum. Hinc Philo Iudæus in libro de Charitate, ubi explicat legem illam Moſaicam, quæ Iudæum fratri ſuo, id eſt, Iudæo, fœnerari vetat, ἀπαγορεύει ἀδελφῷ δανείζειν, hoc mandato trapezitas & fœneratores amandari tam privatos quam publicos, & explodi, intellexit. Τοῖς οὖν, inquit, μεθέξουσι τῆς καθ' αὐτὸν πολιτείας

τείας ἱερᾶς ἀναγκαίως παραγγέλλει τὰς ἰδέας τῶν τοιούτων πόρων ἐκτρέπεσθαι. *Neceſſario igitur præcipit omnibus qui reipublicæ ab ipſo inſtitutæ pars eſſe voluerint, hoc genere quæſtus abſtinere.* Τοὺς ὀβολοστάτας & τοκογλύφους paulo ante nominavit. Sublata & interdicta uſura, neceſſe eſt, & nullos comparere trapezitas, ubi fœnus vetitum ſit. Reſtituatur uſurarum libertas, tum & fœneratores publicos, hoc eſt, trapezitas, quaſi poſtliminio redire oportet. Ut enim mercatura non intelligitur ſine mercatore, nec ars ſine artifice, ita nec uſura ſine fœneratore, hoc eſt, eo homine qui publice eam negotiationem profitetur. Quod enim & privati hoc etiam ſæpe faciunt ex ea pecunia quæ ipſis ſuperfluit, ut eam locent fœnore, haud ſecus id agunt, quam cum & ſpecies in fundo ſuo natas, quas domi non poſſunt conſumere, venales exponunt, aut ædes quas habent vacivas, aliis locant. Hoc facto nec mercatores ſunt privati nec fœneratores, ſed imitantur eas profeſſiones in his rebus & nummis quibus abundant, ut alias res inde emere poſſint quibus indigent, aut etiam ut inde diteſcere queant. Non enim hoc prohibitum Chriſtianis, qui ad perfectam πολιτείαν minime ſe poſſe contendere ſentiunt, aut

etiam-

etiamſi poſſint, nolunt. Nulla autem ratio ſuadet, ut, quod alicui licitum ſit, ſemel aut bis, aut ter aut quater, aut quotieſcunque facere illi libitum fuerit, ut id perpetuo agere non eidem liceat ſi velit, & hoc unum profiteri & tota vita exercere. Alioquin omnibus vendere aliquid & emere liceret, ſed mercaturæ inſiſtere non liceret. Quod eſſet, ut abſurdiſſimum, ita iniquiſſimum, & bono reipublicæ, humanæq; ſocietati, & commerciis maxime contrarium. Nec ſecus eſt de fœneratione. Cuius exercitores qui infames eſſe volunt ex Edicti Carolini auctoritate, nos eis ut ne ſint, opponimus auctoritatem Iuſtinianæ conſtitutionis, qui maiora eis indulſit privilegia quam vel reliquis mercatoribus, reſpectu utilitatis & commodi quod omnibus impertiri ſatagunt. Ita enim in Edicto de contractibus trapeziticis, cum iudicibus eo Edicto trapezitas ſive argentarios commendaſſet, ne qua iniuria illis fieret, ſed iuſta eorum expenderentur, iſtam rationem ſubiicit: δεῖ γὰρ τοὺς ἐνόχους γινομένους ὑπὲρ ἁπάντων, καὶ χρησίμους ἑκάστῳ φαίνεσθαι σπεύδοντας, καὶ ἐξαιρέτου τινὸς ἀπολαύειν βοηθείας. *Oportet enim ut illi qui pro omnibus obligantur, & utiles unicuique ſtudent exiſtere, præcipuo quodam adiuvari*

vari auxilio. Idem Iuſtinianus & Novella CXXXVI, eodem titulo de argentariorum contractibus, qua eis permiſit uſuras exigere etiamſi in ſtipulationem deductæ non eſſent, ſed & nulla interveniente ſcriptura promiſſas, & hanc rationem ſubiungit: Τοὺς γὰρ πᾶσι σχεδὸν τοῖς δεομένοις ὄντας ἑτοίμους βοηθεῖν, οὐκ ἂν εἴη δίκαιον ἀπὸ τοιαύτης ἀδικεῖσθαι λεπτότητος. *Nam qui omnibus propemodum indigentibus opem ferre parati ſunt, hos utique per huiuſmodi minutias iniuriam perpeti iuſtum non fuerit.* Id etiam confirmarunt ſequentes principes Imperii Conſtantinopolitani. In collectione legum manuſcripta Leonis, Conſtantini, & Baſilii, ita legitur: ἀνεπερώτητος τόκος οὐκ ἀπαιτεῖται εἰ μὴ ἀπὸ τῶν ἀργυροπρατῶν, ὡς εἴρηται, καὶ μόνων. *Vſuras in ſtipulationem non deductas minime exigi, ius eſt, niſi à ſolis trapezitis, ut iam dictum eſt.* Magnum hoc privilegium, magna prærogativa, ut, cum cæteris omnibus alias non liceret uſuras accipere niſi in ſtipulatum eſſent deductæ, ſolis argentariis, id eſt, trapezitis, ἀνεπερωτήτους τόκους fas fuerit exigere. His adde quod & à ſola armata militia, ut alibi docuimus, fœneratores ſive trapezitas prohibuerit, cum cęteros negotiatores ad quamcumque militiam adſpirare vetaret. Nec audien-

dus

dus igitur & alius Theologus, qui iure civili infames eſſe trapezitas in ſuis theſibus pronuntiavit. Oportet aliud ius civile ipſi notum fuiſſe quam quod in uſu fuit veteribus Romanis. Certiſſimum quippe eſt, iure Quiritiū numquam notatos eſſe infamia fœneratores, etiamſi modum fœnoris à lege poſitum exceſſiſſent. In Edicto prætoris de infamia notandis non comprehendebantur. Conſtitutionibus Imperatorū, quæ altera iuris civilis pars fuit, nunquam infamia, etiam illegitimum fenus exercentibus, irrogata pro pœna legitur. Ne Chriſtianos quidem principes excipio, ſub quibus non durius habitos eos conſtat quam ſub paganis. Stante republica, quadrupli pœna multabantur qui non ſervaſſent menſuram in fœnerando lege permiſſam, ut conſtat ex multis Livii locis; & ex ipſo Catone. Pœna illa quadrupli contra fœneratores ampliores lege licitis uſuras accipientes videtur poſtea in deſuetudinem abiiſſe ſub prioribus Cæſaribus. Idcirco, ut apparet, eā reſtituerunt Chriſtiani Imperatores, Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius, lege 11 Cod. Theod. de Uſuris. Cuius conſtitutionis verba iam ſupra attulimus, quæ ſic habent: *Quicunque ultra centeſimā iure permiſſam*

miſſam aliquid ſub occaſione neceſſitatis eruerit, quadrupli pœna & obligatione conſtrictus, ſine ceſſatione, ſine requie, protinus ablata redhibebit. Hi vero qui antea pari furore graſſati uſpiam detegentur, in duplum extorta reſtituant. Et ſane ante hanc conſtitutionem iam inde ab ætate uſque Ciceronis liquet pleroſque impune neceſſitatis obtentu plus exegiſſe à debitoribus uſuræ nomine quam lex cōcederet. Nam ſi dubia eſſent nomina, ius erat plus exigere. Quin & ſi magna neceſſitate premerentur qui mutuum petebant ut citius pecuniam invenirent, amplius promittebant, dabantque. Quod multis auctorum locis ita eſſe facillime nunc poſſem probare, & alibi ſpero me probaturum plenius. Nec eſt quod quis Diocletiani legem hic nobis obtrudat, qua fœnus improbum exercentibus ignominiam pro pœna irrogavit, leg. xx. Cod. ex quibus cauſis infamia irrogatur. Nam *fœnus improbum exercentes* de his lex ipſa interpretatur, non qui plus quam lege conſtitutum eſt pro uſura acciperent, ſed qui uſuras uſurarum exigerent. Ita enim concepta verba legis: *Improbum fœnus exercentibus, & uſuras uſurarum illicite exigentibus infamiæ macula irroganda eſt.* Pone, quod tamen non eſt, etiam modum

excedentibus legitimum irrogatam fuiſſe infamiæ maculam. Ergo eam effugiebant qui intra modum conſiſtebant, nec uſuras uſurarum illicite exigebant. Quod utrumque æque in privatis valuit pecuniam ſuam fœnori dantibus, atque in trapezitis publice & ex profeſſo fœnus agitantibus. Quæ ad eam Diocletiani legem vel ex ea diſputant doctores, an corporaliter puniendi ſint uſurarii, an iure ipſo infames ſint, ex iure Canonico derivata, cui plus quam Civili hac in re tribuunt auctoritatis, iuri Quiritium prorſum contraria eſſe, vel mediocriter in eo verſatis plane liquet. Et mirum, adeo infatuatos omnes hactenus fuiſſe doctores utriuſque iuris, ut quod unius proprium tantum fuerat, iuris nempe Canonici, per fas & nefas ad ius quoque Civile tranſcribere conati ſint. Quinimmo ius illud Canonicum Pontificium, in pœna corporali & infamia irroganda fœneratoribus, iuri Canonico antiquo plane derogaſſe, & praxin induxiſſe praxi primitivæ Eccleſiæ in totum contrariam, alibi demonſtratum eſt. Cui autem potius Chriſtianitas obſequi debeat, ex utriuſque inter ſe iuris, & Eccleſię veteris Ariſtocraticę cum nova Monarchica comparatione diſpiciendum

ciendum illis relinquo, qui veram pietatem à fucata, & charitatem liberam à coacta diſcernere poterunt. Nunc quæſtio illa diſceptanda tandem ac decidenda, quæ hactenus multos exercuit, utrum uſuræ Iudæis inter Iudæos vetitæ lege Moſis, exemplum earundem ac normam inter Chriſtianos vetandarum dare debeant, an potius eadem lege Moſaica permiſſum cum extraneis fœnus eiuſdem permiſſionem inducere inter gentes Chriſtiani nominis. Qui priorem tuentur ſententiam, hoc adferunt, fratres omnes inter ſe eſſe debere Chriſtianos, ac proinde uſuram æque inter ipſos illicitam eſſe oportere, atque inter Iudæos fratres. Sed fraternitas Chriſtiana alterius generis quam Iudæa. Iſta quippe carnalis, illa ſpiritualis. Eiuſdem religionis conſecraneos eſſe, eiuſdem Dei cultores, Chriſtianorum fraternitatem conciliat ac componit. Iudæi autem fratres, id eſt, ὁμόφυλοι, quia omnes ab unius generis atque originis auctore, eiuſdem hæreditatis ac terræ à Deo omnibus promiſſæ ac datæ conſortes. Idcirco & uſuram inter homines ab eadē ſtirpe ortos noluit eſſe Deus licitam. Nam & inter gentes, ut alibi notamus, amici amicis, parentes parentibus, gratuitum dabant

 mutuum.

mutuum. Unde & Grammatici χρῆσαι, ἐπὶ φίλων dici obſervant, δανεῖσαι, ἐπὶ ἀλλοτρίων. Fraternitas porro Chriſtiana cum ſit ſpiritalis, & τὸ ὁμόδοξον & ὁμόπιστον tantum reſpiciat, non prohibet quin, quantum ad *tui* ac *mei* diſtinctionem, unuſquiſque differens ac diverſum, ac ſuum ſinguli, habeant τὸ διάφορον. Quod ſi etiam πνευματικὴν fraternitatem ad temporalia extendi debere putamus, tum omnia removenda ſunt quæ illam coire impediant, & bona omnia indiſcreta inter eos ſtatuenda. Et ita quidem priores, ſed non diu, vixere Chriſtiani, ſed dum adhuc pauci. Tunc vero ſeſe fratres appellabant, non ſolum propter ὁμοδοξίαν, ſed etiam propter ὁμοκτησίαν. Utraque nunc hodie ceſſat inter plures. Sed quæſtio eſt, inter illos ipſos qui in fide ac doctrina per omnia conſentiunt ac conveniunt, atque hac parte ſpiritaliter fratres ſunt, an uſuræ illicitæ ac vetitæ eſſe debeant. Deberent ſane, ſi omnia bona inter eos eſſent communia: ſi nemo fratri ſuo, id eſt, Chriſtiano, quidquam venderet, ſed omnia donaret: ſi nihil locaret, ſed omnia commodaret: ſi artifices opificia ſua ſine manupretio petentibus darent: ſi operam ſuam præſtarent ſine mercede omnes omnibus qui

eam

eam mercenariam nunc dant indigentibus. Iam quæ ratio eſt, cum ædes meas locem fratri Chriſtiano, cum merces meas ei vendam, cum artis meæ pretium ſtatuam, cum operæ; cogi meam me pecuniam eidem gratuitam utendam concedere? Aut illa omnia quæ fraternum iſtud vinculum diluunt ac disſuunt, removeantur, aut hoc de uſura, quod eiuſdē eſt generis, una cum reliquis retineatur. Quid enim magis abſurdum fingi poteſt, quam ſi inter tot res eiuſdem plane cenſus, generis, & notę, quæ quotidie à Chriſtianis fiunt, maxime illud Chriſtianitati contrarium ſtatuatur, quod Chriſtianus à Chriſtiano uſuras exigit, id eſt, pretium ac mercedem pecuniæ ſuæ ad uſum illi temporarium commodatæ, cum omnia pretio ac mercede inter Chriſtianos conſtent? Nunquam igitur tali via ac methodo controverſia iſta dirimetur, utrum Chriſtiani magis ſequi debeant legem Iudæorum, fratribus Iudæis, id eſt, tribulibus, fœnerari prohibentem, an eorundem mores, extraneis per legem licito fœnerantium. Aliud itaq; quęrendum. Ac propemodum puto me id iam inveniſſe. Omiſſis parabolicis argumentis, quibus per conjecturas eliciatur Chriſtum non improbaſſe fœ-

 nus

nus, vidẽdum eſt an quibuſdam preſſioribus veſtigiis huius rei fugientem veritatem perſequi poſſimus, atque in ipſo cubili ac latibulo ſuo, quo ſe receperit, deprehẽſam in lucem protrahere queamus. Hic tantũ ſcire opus eſt, an alicubi in ſcriptura Novi fœderis aliquo modo reperire vel expiſcari detur, quid gentibus Chriſti Euangelium accipientibus de lege Moſaica Apoſtoli præceperint retinendum. Inde enim facile conſtabit, utrum uſurarium negotium eodem modo Chriſtianis permitti debeat, quo Iudæis cum gentibus illud permittebatur lege Moſaica: an ita vetari, ut vetabatur iiſdem cum ſuis fratribus, id eſt, Iudæis ipſis. Omnia indaganti quo poſſem id exſculpere, tandem in mentem venit contentio illa inter Chriſtianos Iudæos orta, utrum lex obſervanda eſſet gentibus Chriſtianiſmum capeſſentibus, an abiicienda: utrum denique tota repudianda videretur, aut retinenda: an hoc vel illud pro parte. Ex eo certe vel maxime conſtabit quod volumus. Res illa narratur Actorum cap. xv. Mota eſt Antiochiæ controverſia inter diſcipulos à quibuſdam ex Iudæa venientibus, qui ex Phariſæorum ſecta Chriſti fidem erant ample-

amplexi, de lege Moſaica, cõtendentibus, non poſſe admitti ex gẽtibus qui ad Chriſtum convertebantur, niſi circumciderentur, & legem obſervarent, non ſolum moralem, ſed etiam cæremonialem & civilem. ὅτι δεῖ περιτέμνειν αὐτοὺς καὶ παραγγέλλειν τε τηρεῖν τὸν νόμον Μωσέως. Quinimmo nec ſervari poſſe niſi hoc facerent, iidem affirmabant. Contra hos ſtantibus Paulo & Barnaba, ortoque diſcidio, convenit inter eos tandem, ut hi duo Hieroſolyma mitterentur ſciſcitatum ſuper hoc ſententiam reliquorum Apoſtolorum qui illic erant. Illi audito negotio, reſponderunt ex communi omnium ſententia & unanimi preſbyterii totius Hieroſolymitani conſenſu, iugum illud & onus legis Moſaicæ cuſtodiendæ non eſſe imponendum cervicibus gentium quæ ad Chriſti fidem converterentur. Ex ea tamen lege quædam negativa pręcepta excerpſerunt & exceperunt, quæ neceſſario eſſent cuſtodienda, præter illa legis moralis nimirum quæ omnes tenerẽt, tam Iudęos quam gentiles. De hac enim nihil dubii fuit quin gentes ad Chriſtum accedentes ad eius obſervationem adſtringi deberent, quandoquidem & neminem poſſe ſine illa ſervari conſtabat, genteſque ipſæ non minus le-

 gibus

gibus ſuis civilibus maxima ex parte eam confirmabant. Primam itaque hanc regulam fidei emiſerunt ex auctoritate Spiritus ſancti illo in tempore Apoſtoli, in gratiam eorum qui ex nationibns adlegebantur. *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria.* πλὴν τῶν ἐπάναγκες τούτων. Verſio apud Tertullianum: *quam eorum quibus neceſſe eſt abstinere.* Apud Cyprianum: *quam iſta quæ ex neceſſitate ſunt.* Omnino in Græcis legendum, πλὴν τῶν ἐπ᾽ ἀνάγκης τούτων, non ut vulgo eſt, ἐπάναγκες. Quod in hac conſtructione omnino Grecum non eſt, nec poteſt ferri. At ἐπ᾽ ἀνάγκης ἔχω, *neceſſe habeo*, Græci dicunt, qui & ἐπάναγκες ἔχω poſſent dicere, ſed hic, ut ſyntaxis huius loci eſt, non convenit. Videtur Tertullianus iſta ſic iunxiſſe, πλὴν τῶν ἐπ᾽ ἀνάγκης τούτων ἀπέχεσθαι, εἰδωλοθύτων, &c. Verum de his ad locum ipſum. Sequuntur illa ἐπ᾽ ἀνάγκης, quibus omnimodo, ex legis Iudaicæ negativis præceptis, abſtinere neceſſe haberent Nationes quæ Chriſto nomen dabant: ἀπέχεσθαι εἰδωλοθύτων, καὶ αἵματος, καὶ πνικτοῦ, καὶ πορνείας. Ergo ex omni lege negativa hæc tantum exceperunt à quibus omnes Chriſtiani, tam ex Iudæis quam ex gentibus, abſtinendum omnino haberent. Quæſitum

tum à Theologis pleriſque, & aliis eruditis, cuius eſſent generis iſta omnia quæ Chriſtianis ex gentilitate converſis tanquam neceſſaria obſervatu præſcribuntur. Putarunt nonnulli, ἀδιάφορα eſſe hæc, & ſummam huius contentionis circa adiaphora verſari, propter Iudæos Chriſtianos ſive ad Euangelium converſos, quouſque his Iudæis χριστανίζουσιν, ſed infirmioribus, gentes pariter χριστανίζουσι συγκαταβαίνειν, & accommodare ſe deberent. Inprimis ergo videndum, cur ſcortatio addatur adiaphoris, ſi hoc ita ſit quod volunt. Qui hæc nuper ad illum locum notarunt, ſtatum controverſiæ non viderunt. Ut nec illi, qui adiaphora hic agi cenſuerunt, ac proinde mirati ſunt, adiaphoris adiungi πορνείαν. Diſceptatum inter illos tum tantum fuit de neceſſitate retinendæ legis ab his gentilibus qui Chriſti fidem incipiebant profiteri. Nonnulli Iudæi χριστανίζοντες neceſſitatem legis urgebant, eamque gentibus quæ Euangelium recipere cœperant, neceſſario obſervandam omnem præſcribebant. Negabant eam retinendam Paulus & Barnabas. Conſulti reliqui Apoſtoli ita litem diremerunt ac negotium compoſuerunt, ut non omnem ſervandam decreverint, ſed quædam ex il-

la ſelegerint quæ omni neceſſitate eſſent cuſtodienda gentibus Euangelio ſacramentum dicturis. Non igitur hæc adiaphora, quibus ſervandis obnoxii omni modo fiebant gentiles, facti Chriſtiani. Quæ enim mens aut ratio fuiſſet Apoſtolis, obligare gentes Chriſti fidem ſuſcipientes ad ea quæ eſſent adiaphora, præſertim cum neceſſaria vocent, & omni neceſſitate ab his abſtinēdum dicant? Non ergo ἀδιάφορα illis quibus talia præſcribuntur ἐπ' ἀνάγκης obſervanda. Sed nec adiaphora ipſis Iudæis, cum de univerſa eorum lege ſola iſta excerpta ſint ab Apoſtolis, neceſſario abſtinenda. Inter gentes ipſas certe indifferentia fuere, quia paſſim omnibus permiſſa ac licita. Ideo Chriſtianis qui ex gentibus Chriſto nomen dabant, illicita reddita ſunt, quia apud Iudæos in vetitis, apud ipſas gentes inter conceſſa. Fruſtra enim gentiles ad fidem converſos ab his abſtinere præcepiſſent Apoſtoli quæ nec gentibus per leges ſuas licita fuerant. Idcirco nec de homicidio, nec de adulterio, nec de furto hic cavetur, ab his abſtinere oportere gentiles Chriſti fidem ſuſcepturos, quia illa crimina etiam leges gentilium publice puniebant. Et male ex patribus antiquis

nonnulli

nonnulli τοῦ αἵματος abſtinentiam de homicidio acceperunt. Ut Tertullianus in libro de Pudicicia: *Sufficit & hic ſervatum eſſe mœchiæ & fornicationi locum honoris ſui inter idololatriam & homicidium. Interdictum enim ſanguinis, multo magis humani intelligimus.* Per αἷμα homicidium intellexit. Item Cyprianus, qui *ſanguinis effuſione* vertit: *abſtinere vos ab idololatriis, & ſanguinis effuſione, & fornicatione.* Inter Græcos etiam quidam ita ſunt interpretati, ut alibi dicam. Et Theophylactus per πνικτὸν intelligit φόνον. διὰ γὰρ τοῦ πνικτοῦ ἀπέχεσθαι, τὸν φόνον ἀπείργει. Quæ falſiſſima eſt expoſitio. Aeque falſum eſt, à mœchia ſub nomine πορνείας Apoſtolos etiam abſtinendum preſcripſiſſe. Nam & mœchatio legibus gentilium æque prohibita ac Iudęorum. Quid igitur neceſſe erat, illis quaſi novum onus imponere, quod in priſtina religione priuſquam ad Euangelium converterentur, ferebant? Cur non ſimpliciter decreverũt Apoſtoli ſuo illo Canone, Decalogi præcepta quæ omnia moralia ſunt, cuſtodienda neophytis qui de gentibus ſeſe Chriſto adiungebant? Ergo non illa de lege morali ſelecta fuere quæ præſcripſerunt vitanda novis gentium Chriſtianis, ſed partim ex ceremoniali, partim civili.

li. Cum totius legis gratiam facerent, hæc ſola de lege ſegregarunt quorum obſervationem remittendam eſſe non cenſerent. Primum igitur inter illa recenſetur, ἀπέχεσθαι εἰδωλοθύτων. Non idololatria fugienda per hæc præcipitur, quia ſuperfluum hoc fuiſſet præceptum. Apud Iudæos ſevere prohibita primo Decalogi præcepto. Apud Chriſtianos non magis licita. Qui autem gentilium errori renuntiabant, ut Chriſti fidem capeſſerent, ipſam Idololatriam abdicabant. Hic enim proprius error gentium. Sed ab Idolothytis abſtinendum ſanciunt. Quod etiam βδέλυγμα Iudæis fuit, aliquid comediſſe quod idolis immolatum fuiſſet, nec porro in illis ferendum qui ex gentibus abdicato idolorũ cultu ſe unius Dei venerationi addixiſſent. Enimvero noviter converſi potuiſſent dicere, ſe non ſacra facere idolis, ſed poſſe veſci carnibus hoſtiarum quæ Diis gentilium mactatæ fuiſſent. Hoc enim moris apud antiquos fuit, ut exceptis partibus hoſtiæ quæ porriciebantur & adolebantur, reliqua domum referrent, & iis epularentur. Quod adeo verum eſt, ut raro admodum veteres ſoliti ſint carnes ex maioribus animalibus ad veſcendum uſurpare niſi

Deo

Deo alicui immolatis. Unde ἱερεῖα paſſim apud auctores dicuntur omnia animalia quibus veſcebātur, ut oves, boves, ſues, & ſimilia, quia nunquam, ut dixi, eorum carnibus ad cibum utebantur, niſi in honorē alicuius Dei mactata ea forent. Qui ſecus facerent, etiam proverbio reprehenſi, quo notabantur tanquam impii, & ἄθυτα ἱερὰ κατεσθίοντες. Cum igitur legimus apud auctores Atticos & antiquos, multa ἱερεῖα in aliquo loco reperiri, intelligere par eſt omnia animalia ad veſçendum, id eſt, ad mactandum, idonea. Nam ἱερεῖον, ut Grammatici exponunt, πᾶν τὸ θυόμενον θεῷ. Sed de hoc alibi. Quid ſi igitur uxor ad fidem converſa cuius maritus manſiſſet gentilis, aut contra? quid ſi aliquis denique ex eadomo quæ in gētilitate perſeveraret, Chriſti doctrinam accepiſſet, cum in ea menſa cui participaret, quotidie hoſtiarum carnes adponi videret, an iis veſci non dubitaſſet? Recte omnino ab iis abſtinēdum pronuntiarunt Apoſtoli. Nec hoc ἀδιάφορον illis viſum eſt, ſed ex iis quæ ἐπάναγκες eſſet cuſtodire ex lege Iudaica excerpta. Adde, quod ſæpenumero viſcera mactatarum victimarum in ipſo templo conſumi ſolebant, & epulum ex his parari in ipſo εἰδωλείῳ, ut loquitur Paulus in Epiſto-

Epiſtola ad Corinthios I. cap. VIII. Maximum igitur ex eo ſcandalum datum eſſet fratri Chriſtiano, qui ex Iudæis veniſſet, videre fratrem Chriſtianum in loco idolis ſacrato accumbentem, & carnibus hoſtiæ idolo immolatæ veſcentem. Ob evitationem huius ſcandali vel maxime Paulus in ea Epiſtola cap. VIII. monet abſtinendum eſſe Idolothytis. Sed & idem Apoſtolus cap. X. eiuſdem Epiſtolæ primæ ad Corinthios ſatis clare ac diſerte innuit, εἰδωλόθυτα non eſſe ἀδιάφορα. Ita enim argumentatur, calicem benedictionis eſſe communionem ſanguinis Chriſti, & panem qui frangitur in cœna Domini, eſſe communionem corporis Chriſti. *Quoniam*, inquit, *unus eſt panis, & nos qui multi ſumus, unum tamen corpus ſumus.* Quare iſtud? *Quia omnes de uno pane participamus.* Deinde addit, *videte Iſraelem ſecundum carnem, nonne qui edunt hoſtias participes ſunt altaris?* Inde concludit, etiam ſi per ſe nihil ſit Idolum, & nihil idolothytum, quia tamen quæ gentes immolant, ea dæmoniis immolari certum ſit, ſocios quodammodo fieri dæmoniorum qui veſcuntur iis quæ dæmoniis immolata ſunt. *Nolo*, inquit, *vos ſocios fieri dæmoniorum. Non poteſtis calicem Domini bibere, & ca-*

& calicem dæmonum. Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmonum. Remota igitur ſcandali cauſa, propter quam præcipue abſtinendum idolothytis præcepit, ne ſic quidem ob illam quam ibi adfert rationem idolothytorum eſus videri debuit ἀδιάφορος. Sequitur inter illa vetita, ex obſervatione legis Moſaicæ petita, quæ etiam Chriſtianos ex gentibus conſtringerent, ἀπέχεσθαι καὶ αἵματος, καὶ πνικτοῦ. Eodem utraque recidunt. Ad hoc enim eorum præcipitur abſtinentia, ut ne ſanguis comederetur. Iudæis hoc non fuit ἀδιάφορον, ſed iis interdictum lege, ſanguinem comedere. Ter ea interdictio repetitur in Deuteronomio. Cap. XII. XVI. *Verumtamen ſanguinem non comedetis, ſuper terram effundetis illum inſtar aquæ.* Non igitur *ſanguinis effuſionem* prohibuerunt Apoſtoli canone illo ſuo, ut vertit Cyprianus, αἵματος nomine. Quinimmo è contrario effundi voluerunt, & non comedi. Item eodem capite verſ. XXIII. *Tantum roborare, ut non comedas ſanguinem, quia ſanguis eſt anima, & non comedas animam cum carnibus ſuis: non comedes illum, ſed in terram effundes illum inſtar aquæ. Non veſceris illo; ut bene ſit tibi & filiis tuis poſt te, quum feceris quod rectum eſt in oculis Iehovæ.*

Iterum

Iterum hoc mandatum inculcatur cap. xv. verſu ultimo. Tam diſtricta ſanguinis in cibis uſurpandi prohibitio & ſub maledictionis tacitæ pœna in contravenientes, & benedictionis promiſſione expreſſa in obedientes, ſatis oſtendit, non ἀδιάφορον Iudæis hoc fuiſſe habitum alimentum. Morticinia etiam ab eadem cauſa iis interdicta, quia cum ſuo ſibi ſanguine intra venas retento, nec emiſſo, mortua eſſent. Deuteronomii xiv. xxi. *Non comedatis ullum cadaver. Peregrino, qui eſt inter portas tuas, dabis illud, & comedet illud, aut vende alienigenæ.* Pari ratione & πνικτὸν vetitum, hoc eſt, ſuffocatum. Hoc vocarunt omne privatum vita ex animalibus ſine ulla ſanguinis emiſſione. Hodieque multa animalia ita occiduntur ad eſum, tam volatilia quam terreſtria. A beſtiis capta, quæ θηριάλωτα Græci vocant, ſimiliter eodem interdicto comprehenduntur, quia mortua ſine ſanguine. Perdices & lepores, à falcone, vel accipitre, ita occiſi, inter vetitos illis habiti tum fuiſſent. Alias πνικτὸν Græci vocant genus cocturæ, quod nec elixum eſt, nec proprie aſſum. Ut ea quæ in furno cocta ſunt, aut in clibano. Heſychius πνικτὸν, γένος ὀπτήσεως, genus aſſaturæ. Πνιγεὺς,

eſt κλι.

eſt κλίβανος. De his alibi. Canon Apoſtorum LXIII, vetat tam Clericis quam Laicis, φαγεῖν κρέα ἐν αἵματι ψυχῆς αὐτοῦ, ἢ θηριάλωτον, ἢ θνησιμαῖον, ſub pœna degradationis in illis, excommunicationis in iſtis. Deus Gen. IX, cũ animalia ad veſcendum Noacidis concederet, ſolum ſanguinem excepit, *verumtamen carnem cum anima eius, quæ eſt ſanguis eius, non comedetis.* Cum hęc ita ſint, cogitandũ eruditis relinquo, an ſine ratione Apoſtoli in primo illo ſuo decreto, gẽtibus ad Chriſtianiſmũ accedentibus eſu ſanguinis interdixerint, & an inter ἀδιάφορα id habuerint. At apud gentes paſſim ſanguis in cibis uſurpari tum ſolitus, non ſolum intra ipſa animaliũ viſcera ac venas concluſus, & una cum reliqua carne comeſtus, ſed etiam ex animali emiſſus, ſervatus, & ad eſum ſeorſim præparatus variis modis. *Lucanica* & *botulos* ex eo conficiebant, quæ erant inteſtina ſanguine farta cum adipe & polenta, & ſpeciebus aromaticis, quales ſunt quos hodie *bodinos* Galli nominant, depravata voce ex Latina *botulos*, quaſi *bodilos*. Nam L & N ſæpe confunduntur. Græci ἀλλᾶντας vocant, & αἱμαλιάς. Sed & μιμάρκυς veteribus ventriculus vel inteſtina cum ſanguine parata, κοιλία καὶ ἔντε-

 ρα

ἐκ μεθ' αἵματος ἐσκευασμένα. Ex ſuum præcipue & leporum inteſtinis ea conficere ſolebant. Vide Heſychium in ea voce. Græci de *ἀλλαντοπώλαις*, eos eſſe exponunt, *οἳ τὰ ἔντερα καὶ τοὺς ἀλλᾶντας μετὰ αἵματος καὶ πομελῆς ἢ ἀλφίτων φυρῶσιν.* Ius etiam nigrum illud Laconum ex ſanguine parabatur, & inde *αἱματὶς* vel *αἱματία* dicebatur, ut eſt apud Pollucem & Moſchopulum. *Ζωμὸν μέλαν* vocant. Primi Chriſtiani per illam prohibitionem ſanguinis Canone Apoſtolico firmatam non tanquam *ἀδιάφορον* ſibi interdictum eũ putarunt, nec propter *συγκατάβασιν* Iudæorũ eius eſum ſibi vetitum crediderunt. Nec ſane Apoſtoli in gratiam Iudæorum *χριστιανιζόντων* hoc à ſe prohibitum *συγκαταβατικῶς* præ ſe tulerunt, ſed tanquã rem à qua neceſſe eſſet abſtinere. *Πλὴν τῶν ἐπ' ἀνάγκης τούτων.* Quod de re per ſe indifferente non dixiſſent: Nec aliter accepit primitiva Eccleſia, quę etiam ſublata illa *συγκαταβάσεως* cauſa, cum metui locus non eſſet, ne ſcandalizarentur Iudæi Chriſtiani, æque ſibi temperandum ſanguinis eſu putavit, ac ſacrificiis. Quinimo æqualis probatio fuit eo tempore de Chriſtiano, ſi ſanguine vetito abſtineret, quam ſi turificare idolis abnueret. Tertul-

tullianus eius rei teſtis luculentus in Apologetico his verbis: *Erubeſcat error veſter Chriſtianis, qui ne animalium quidem ſanguinem in epulis eſculentis habemus. Qui propterea quoque ſuffocatis & morticinis abſtinemus, ne quoquo modo ſanguine contaminemur vel intra viſcera ſepulto. Denique inter tentamenta Chriſtianorum botulos etiam ſanguine diſtentos admovetis, certiſſimi ſcilicet, illicitum eſſe penes illos per quod exorbitare eos vultis.* Ita nimirum horrebant tunc Chriſtiani ſanguinem pecoris, ut æque ac acerrã & foculũ in quo tus diis eſſet adolendum, abominarentur eius cibum. Concilio Gangrenſi eſus carniũ fidelibus conceditur, contra Euſtathium Sebaſtenũ Epiſcopum, qui eas prohibebat, excepto tamen idolothyto, ſanguine, & ſuffocato, Canone 11. *Si quis carnes edentem præter ſanguinem & idolis immolatum & ſuffocatum, cum religione condemnat, velut ſpem propter huiuſmodi perceptionem non habentem, anathema ſit.* Ceſſante tum cauſa συγκαταβάσεως, putabimuſne, propter συγκατάβασιν tantum Iudæorum patres Gangrenſes illud interdictum ſuo decreto confirmaſſe? Nec illa cauſa fuit concilio Sexto Trullenſi eiuſdem prohibitionis ſanciendæ his verbis: εἴ τις οὖν ἀπὸ τοῦ νῦν αἷμα ζώου ἐσθίειν ἐπιχειρήσοι οἱῳ δήποτε τρό-

πω, εἰ μὲν κληρικὸς εἴη, καθαιρείσθω, εἰ δὲ λαϊκὸς, ἀφοριζέσθω. Allegant cauſam huius Canonis condendi ex ſacræ ſcripturæ mãdato ſibi eſſe datã, quæ à ſanguine & ſuffocato & fornicatione abſtinendum præſcripſerit, damnantque eos qui gulæ gratia arte quadam ſanguinem edulem præpararent & condirent. Ad extrema fere uſque tẽpora manſit hæc obſervatio de abſtinendo à ſanguine & ſuffocato. Nam & in libro Bedæ de remediis peccatorum, cap. XIV, poſtquam qui morticinium ediſſent, per dies quadraginta huius peccati pœnitentiam agere iubet, addit & de ſuffocato. Sed perperam legitur hodie: *Si quis fraudatum comedat*, pro, *ſuffocatum*. Niſi quis velit fuiſſe, *Si quis afratum*, quod videtur lucanici genus fuiſſe, ex ſanguine, cuius apud Iſidorum mentio, cum minutalibus & lucanicis, ut & apud Alexandrum Trallianum, ἀφρεῶτν. De quo alibi. Eadem certe ratio morticinii, τῶ θνησιμαίου, & ſuffocati. Si Apoſtoli legem illam de ſanguine & ſuffocato non edendo in gratiam Iudæorum, ne offenderentur, ſanxiſſent, cur ad alia etiam animalia, quorum eſus pariter prohibitus fuit lege Moſaica Iudæis, non eam extenderunt? Cur ſanguis potiſſimum exceptus, cum

Hic q̃dam adden da sũt, monet autor in fini libri post Indicẽ.

cum tam multa forent quæ in cibis non noverant Iudæi tanquam lege vetita? Sed quid de cibis urgemus? Si quæſita eſt ſola *συγκατάβασις* in horum abſtinentia præſcribenda, qua Chriſtiani ex nationibus, Chriſtianis ex Iudæis ſatisfacerent, alia fuere in quibus magis *συγκαταβατικοὶ* fratribus ſuis eſſe potuerunt. *Σαββατισμὸς* maioris ad eam rem momenti fuiſſet, ut de circumciſione nihil dicam. Inſtabant ex Iudæis Chriſtiani qui cauſam illi Apoſtolico Canoni dederunt, omnem legem tenendam eſſe nationibus ad Chriſtianiſmum tranſeuntibus, atque etiam circumciſionem. Pro tota lege, quam urgebant retinendã, cur *συγκατάβασις* his præſcripta eſt in ſanguinis tantum abſtinentia & carnium immolaticiarũ? An nihil fuit in omni lege Moſaica quo omiſſo Iudęi gravius offenderentur, & quod magis obſervatu neceſſarium crederent, quam hæc duo? Profecto non in numero *ἀδιαφόρων* hęc Apoſtolis tum cenſita fuiſſe, quæque ſolius *συγκαταβάσεως* nomine Iudæis Chriſtianis eſſent concedenda, vel illud argumento eſt, quod & in hunc prohibitorum cenſum retulerunt etiam *πορνείαν*. Si illa *ἀδιάφορα*, certe & hæc. Si non hæc, certe nec illa. Quidquid enim dicere parati ſint

doctiſſimi Theologi, & alii eruditi, nunquã efficient, ut πορνεία hic aliud ſit quam πορνεία in propria ſua ſignificatione. Nec eſt, quod viri doctiſſimi hic ſibi quærendum cenſeant, quid ſcortationis nomine intellexerint Apoſtoli, quaſi de rebus per ſe licitis & cõceſſis agatur, quibus tamen ex charitatis lege, & quatenus earum uſus Iudæis infirmis ſcandalũ daret, abſtinendum eſſet. Infirmitati fratrum Iudæorum non poterant mederi tam paucis iſtis & pauxillis, qui præſertim de tota lege ſervanda quæſtionem moviſſent, & acriter hoc ſic defenderent, ut ſine ea non poſſe gentes ſalvari, quamlibet Chriſti fidem amplexas, contenderent. *Scortationem* vertunt, quam melius cum veteri interprete *fornicationem* dixiſſent. Eſt enim actus profeſſionis meretriciæ in fornice ſtantis viri, vel mulieris mercede pacta proſtitutę, & omnium libidini patentis. Hæc fornicatio ἀδιάφορος quidem apud gentes fuit, & publice licita ac permiſſa, non item Iudæis. Apud hos quippe nemini licuit ex Iſraële, qua maſculo qua fœminæ, corpore merere. In Deuteronomii cap. XXII. *Non erit meretrix è filiabus Iſraël, neque erit ſcortum maſculum è filiis Iſraël.* οὐκ πόρνη, οὐδὲ πόρνος. Sic apud Septuaginta hæc con-

concipiuntur: Οὐκ ἔσται πόρνη ἀπὸ θυγατέρων Ἰσραήλ, καὶ οὐκ ἔσται πορνεύων ἀπὸ τῶν υἱῶν Ἰσραήλ. Poterant dixiſſe, καὶ οὐκ ἔσται πόρνος. Sed idem eſt πορνεύων. Ergo & verbũ πορνεύειν & πορνεία de his dicitur proprie, tam maſculis quam fœminis, qui ad quæſtum in fornice ſedebant, & corpus ſuum vænale habebant. Utriuſque ſexus ſcortis hinc quæſtum facere cum liceret apud gentes, non licuit apud Iudæos. Ideo & hoc etiam de lege Moſaica ſelectum quod gentes ad Chriſtum tranſituræ deberent obſervare. Certe ſi hæc fornicatio prohibita, quæ patientium fuit, etiam agentium ſcortatio in illicitis ducenda. Ubi enim materia ſcortatoribus ſubducebatur, hoc eſt, fornicaria profeſſio, tum certum erat non licere ſcortari. Si ſcortatio vetita, multò magis ſtuprum, atque etiam magis adulterium. Sed de his nihil nominatim ab Apoſtolis ſancitum, quia æque apud gentes atque apud Iudæos illicita, & legibus punita. At hic ea ſola crediderunt gentibus ad Chriſtum convertendis & converſis interdicenda, quæ ipſorum moribus atq; inſtitutis erant permiſſa & ἀδιάφορα, cum lege Moſaica forent vetita. Non igitur hæc πορνεία de idololatria intelligenda. Et ineptum certe eſſet, cum Apo-

ſtoli ab εἰδωλοθύτοις abſtinendum eſſe, pronuntiaverint etiam illi qui non immolaſſet, de idololatria ſive fornicatione ſpirituali fugiēda hic pręcipere quæ ipſa immolat. Novus Criticus, ut aliquid novi ſuo more diceret, miram interpretationem commentus eſt huius vocis πορνεία. Quænam hæc? Πορνείαν abſolute dici putavit, ἀντὶ πορνικῆς θυσίας, ut ſi πορνεῖον μίσθωμα, aut πορνείαν σάρκα dicas. Ὦ πόλις Ἄργους κλύεθ' οἷα λέγει! *Audi Græcia qualia memoret!* Ut πορνεία unquam ſignificavit Græcis ex meretricia mercede oblatam θυσίαν? Nunquam id factum. Ne mercedem quidem ipſam meretriciam ita liceat appellare, nedum oblationem ex mercede. Sed Helleniſtæ fortaſſe ita uſurparunt. Quos tu mihi Helleniſtas narras? Illoſne quos pro talibus habet ſacer Criticus? Ne iſti quidem inveniantur ita vocaſſe. Et cum in Indice illo Græco quem pro Helleniſtico obtrudit nihil tale reperiſſet, huc confugit, ut Helleniſtas aliquos haud dubio diceret πορνείαν ita dixiſſe. Illi aliqui Helleniſtæ certe nulli ſunt, niſi in eius ſincipite. Cum auctoritate deficiatur, videamus an ei ratio magis faveat. *Dei,* inquit, *lege cautum novimus, ne quis mercedem ſcorti, &, quod ſequitur, victimam, Deo Iſraë-*

Iſraëlis offerret. Hoc ſane veriſſimum. Nihil de hoc mentitus eſt. Legem ipſam recitat verbis Septuaginta, quæ ita habet: οὐ προσοίσεις μίσθωμα πόρνης, οὐδ' ἄλλαγμα κυνὸς εἰς τὸν οἶκον Κυρίου τοῦ θεοῦ σου πρὸς πᾶσαν εὐχὴν, ὅτι βδέλυγμα τῷ θεῷ σου ἐστὶν ἀμφότερα. Hoc igitur habemus, non licuiſſe offerri Deo victimam ex mercede meretricia. Quid tum poſtea? *Nihil uſitatius apud gentes erat, quam ut meretrices ἐργασάμεναι ἱκανῶς ἀπὸ τῆς ὥρας, ut Athenæus loquitur, hoc eſt, quæ ſufficientem corpore quæſtum feciſſent, luculentas Veneri Diviſque victimas eadem hac fœdiſſima mercede pretioque emptas partaſque offerrent.* Quid inde colligitur? *At erat vetitum lege Dei, ne quis tales victimas mercede meretricia comparatas Deo ſacrificaret.* Bene ſane, & nihil eſt qui contradicam. Sed ubi ſiſtemus tandem? Quid inde concludemus? Nimirum, πορνείαν hanc, id eſt, πορνικὴν θυσίαν, prohibuiſſe Apoſtolos ab gentilibus offerri, qui ad Chriſti Euangelium converterentur. Si tales victimæ vetitæ, quæ ex mercede meretricum partæ ac paratæ eſſent, ergo aliæ licitæ gentilibus illis, Chriſtianis nimirum iam factis. Hoc neceſſario ſequitur. Quod quam ſit abſurdum, puto citius omnes conſideraturos quam illum cu-

ius maxime intereſt. Tum certe cum illa ſcriberet, non conſiderabat, quorſum hæc illi evaſura eſſet interpretatio. Huiuſmodi hoſtiis ſacra facere quæ ex meretricia mercede emptæ fuiſſent, permiſſum gentibus, impermiſſum Iudæis. An metus erat, ne gentes quæ Chriſto nomen dediſſent, talibus hoſtiis litare vellent, niſi ſi prohibitum id eſſet? Quæ idololatriæ renunciaſſent, nihil periculi fuit ne hoſtias mactarent. Quibus vel ſola idolothyta, id eſt, idolis immolata ab aliis, in cibis uſurpare non licuit, an vetandum illis fuit ne hoſtias mactarent, & quidem ex meretricia mercede emptas? Nonne proclivius & expeditius fuiſſet, omnem illis quæſtum meretricium artemque πορνικὴν prohibere? Sic ſane factum. Sublata quippe meretricia profeſſione, nec ullus relictus ſacrificiis locus ex meritorii corporis auctoramento numini offerẽdis. At inquiet, utrumque Iudæis ſimul expreſſe prohibitum, & meretricem eſſe, & offerre quod quæſitum eſſet mercede talis operis. In Iudæis hoc potuit fieri, quod in Chriſtianis non potuit. Solis enim Iſraëlitis quæſtum corpore facere arte meretricia non licuit: at licuit extraneis. Ab iſtis igitur meretricibus recipi noluit Deus quod-

quodcunque ſacrificium mercede talis capturæ redemptũ. Ne ipſam quidẽ mercedem, ſi oblata fuiſſet, & in corbonam miſſa. ἐκ μισθοῦ γυναικὸς ἡταιρημένης θυσίας μὴ τελεῖν, ἥδεσθαι γὰρ μηδενὶ τῶν ἀφ᾽ ὕβρεως τὸ θεῖον. De Iſraëlitide muliere quæ non poterat meretriciam vitam agere fruſtra monuiſſet legiſlator. Unde enim merces, ubi nemo eſt qui mercedem petat? Ita ergo de Chriſtianis. Cum nemini ex gentibus ad Chriſti religionem tranſgreſſo liceret corpore ſuo merere, id eſt, πορνεύειν, non opus fuit quidquam edici de victima non offerenda ex capturis meretriciis. Satis ergo fuit, gentes Chriſto ſacramentum dicturas prohibere ἀπὸ τῆς πορνείας, id eſt, ab arte meretricia. Hoc ſublato, cum mercedem ex illo quæſtu, tum ſacrificium ex mercede nuſquam fuiſſe, certiſſimum eſt. Poſtremo unde ſacrificia tum inter Chriſtianos? Nam quæ adhuc gentiles dum eſſent ex more gentium feciſſent, nihil ad Chriſtianos factos pertinebant. At hoc Apoſtoli ſanctione illa ſua determinarant, quid obſervandum eſſet ex lege Iudaica gentilibus Chriſtianis iam factis, & à quibus abſtinendum. Ridiculus eſt Criticus, cum verba ex Septuaginta interpretum verſione, οὐκ ἔσαι τελεσφόρος ἀπὸ θυγατέρων Ἰσραὴλ,

καὶ

καὶ οὐκ ἔσαι τελισκόμενος ἀπὸ τῶ ὑῶν Ἰσραὴλ, de huiuſmodi τελεταῖς ſive θυσίαις πορνικαῖς, id eſt, *ſacrificiis ex mercede meretricia*, interpretatur. Quomodo hoc poſſet conſiſtere, quum non liceret cuiquam Iſraëlitæ aut Iſraëlitidi tales mercedes ex corporis proſtitutione captare? Non vidit vir doctus, & Criticus acutus, variantem eſſe ſcripturam ex alia verſione quæ huc à librariis intruſa eſt. Idem enim dicit quod altera lectio, οὐκ ἔσαι πόρνη ἀπὸ θυγατέρων Ἰσραὴλ, καὶ οὐκ ἔσαι πορνεύων ἀπὸ ὑῶν Ἰσραήλ. Nam verba illa πρὸς πᾶσιν ὄχλῳ quæ inſeruntur, delenda ſunt. Τελεσφόρος γυνὴ eſt mulier quæ quæſtum corpore facit, quæ τὸ τέλος φέρει, ac tributum pro corpore exigit. Sic τελισκόμενος is eſt, cui etiam pro flore corporis tributum penditur, ac merces perſolvitur. Ὁ πόρνος nimirum. Non minus riſum mihi movit, cũ in verbis Athanaſii ab ipſo ibidem allatis, πορνείαν ſimiliter de meretriciæ mercedis oblatione intelligit. Sed hęc alibi vẽtilabimus accuratius. Nolit interim metuere, ne propter hanc obſervationẽ detrudatur in lacũ leonum. Alio loco dignus eſt. Nunc quod agimus agamus. Tria hæc habemus gentibus paſſivitus licita, Iudæis per legem ſuam illicita, quæ ſola ex tota lege

lege cuſtodienda gentibus, quæ Chriſto tum ſe addicebant, ex communi ſententia præſcripſerunt Apoſtoli & preſbyteri Eccleſiæ Hieroſolymitanæ. Ut nimirum abſtinerent ab immolaticiis carnibus, à ſanguine & ſuffocato, & à meretricia profeſſione. Quartum addunt quædam vetuſtiſſima exemplaria, ut Cantabrigienſe, quod olim viſum eſt eruditiſſimo Bezæ, & ab eo dono datum illi Academiæ, καὶ ὅσα μὴ θέλωσιν αὐτοῖς γίνεσθαι, ἑτέροις μὴ ποιεῖν. *Et quæcunque noluerint ſibi ipſis fieri, alteri non facere.* Hæc verba in codicibus extitiſſe illis quibus Irenæus & Cyprianus uſi ſunt, iam alii notarunt. Leguntur hæc in illo codice poſt cætera in verſiculo xx, ἀλλὰ ἐπιστεῖλαι αὐτοῖς τοῦ ἀπέχεσθαι ἀπὸ τῶν ἀλισγημάτων τῶν εἰδώλων, καὶ τῆς πορνείας, καὶ τοῦ πνικτοῦ, καὶ τοῦ αἵματος, καὶ ὅσα μὴ θέλωσιν αὐτοῖς γίνεσθαι, μὴ ποιεῖν. Repetuntur iterum in ipſa regula ab Apoſtolis ſancita ac pronũtiata hoc modo: ἔδοξε γὰρ τῷ ἁγίῳ πνεύματι καὶ ἡμῖν, μηδὲν πλέον ἐπιτίθεσθαι ὑμῖν βάρος, πλὴν τῶν ἐπ' ἀνάγκης τούτων, ἀπέχεσθαι αἵματος, καὶ πνικτοῦ, καὶ πορνείας, καὶ ὅσα μὴ θέλητε ὑμῖν γίνεσθαι, ἑτέροις μὴ ποιεῖν, ἐξ ὧν διατηροῦντες ἑαυτοὺς εὖ πράξετε. ἔῤῥωσθε. Singula verba examinanda. *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis.* De Spiritus ſancti auctoritate pronuntiant non ſuper rebus

bus levibus atque *ἀδιαφόροις*. De quibus igitur? *Nullum amplius vobis onus imponere præter iſta quæ neceſſaria ſunt.* Non ergo ἀδιάφορα, quæ neceſſaria, & à quibus neceſſario abſtinendum Chriſti fidem profiteri cupientibus. Sequitur pro clauſula, *à quibus cuſtodientes vos bene agetis.* Vetuſtiſſimi codices etiam aliquid amplius habent, & quod validius præcepta illa commendat, hoc modo, εὖ πράξετε φερόμενοι ἐν πνεύματι ἁγίῳ. *Bene agetis, ambulantes in Spiritu ſancto.* Ita vertit Irenæi interpres, qui etiam illa Græca legit in ſuo exemplari, ut & Tertullianus, qui ita reddidit in libro de Pudicicia, *à quibus obſervando recte agetis, vectante vos Spiritu ſancto.* Quæ ad verbum ſunt ex illis Græcis expreſſa, εὖ πράξετε φερόμενοι ἐν ἁγίῳ πνεύματι. Male itaque ea Scaliger corrigebat, *recte agetis. Vectate vos. Spiritui ſancto ſufficit*, & cætera quæ ſequuntur apud Tertullianum. Quaſi illa verba *vectate vos* reſponderent illi voci qua clauditur Apoſtolorum Epiſtolicum decretum, ἔῤῥωσθε. Videatur ad Manilium. Ultimum illud in Canone Apoſtolico, καὶ ὅσα μὴ θέλητε ὑμῖν γίνεσθαι, ἑτέροις μὴ ποιεῖν, non eſt adiaphoris accenſendum. Pars enim charitatis proximo præſtandæ eo continetur, quæ maxime neceſſaria eſt,

quia

quia minima eſt quæ præſtari debeat. In abſtinendo quippe ab iniuria proximi verſatur. Et hoc præceptum de lege talionis deſcendit, quam Moſes Iudæis tulit, & quam etiam alii multi gentium legiſlatores in ſuis civitatibus ſanxere. Chriſtus per Apoſtolos præceptum Chriſtianis hoc idem dedit, ita ſe gererent cum omnibus, alteri non faciendo quod ipſi ſibi fieri nollent, quaſi ſi lege talionis idem ab eo paſſuri forent. Nec præceptum hoc, *non fieri à te debere alteri quod pati ipſe nolis*, aliud omnino inculcat quam præceptorum moralium obſervationem. Non occides, quia te occidi ab altero nolles. Non mœchaberis, quia uxorem tuam ab alio non poſſes pati conſtuprari. Non fraudabis, quia te circumſcribi non ferres. Non furaberis, quia furẽ rebus tuis times. Et ſic de cæteris. Iam & illud de honorando patre & matre, cui honori propoſita longævæ vitæ merces, eodem plane ſpectat. Honora parentes, ut poſſis in vita longa, quę eos honorantibus promittitur, ducere & ipſe uxorẽ, liberoſque ex ea habere qui te pariter honorent. *Proinde*, inquit Tertullianus, *denuntians, non occides, non adulterabis, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, docuit, ne faciam aliis quæ fie-*

ri

ri mihi nolim, & ideo ipſius erit præceptum in Euangelio, qui illud retro & præſtruxit & diſtinxit. Hæc præcepta propterea ſola in cœtibus quos primi Chriſtiani habebant, fideli populo prælegebantur. Nec ad diſtrictiorem obligabantur aut auſteriorẽ regulam, quam ut mandatis illis parerent. Idque Plinius docet in illa celebri ad Traianũ epiſtola de moribus & ritibus Chriſtianorum, qua ei ſuggeſſit, *præter obſtinationem non ſacrificandi nihil aliud ſe de ſacramentis eorum comperiſſe, quam cœtus antelucanos ad canendum Chriſto & Deo, & ad confœderandam diſciplinam homicidiũ, adulterium, fraudem, perfidiam, & cætera ſcelera prohibentes.* Nec Tertulliani ævo alia fuit diſciplina in Eccleſiis Chriſtianorum, ut ipſe idem tradit in Apologetico cap. XXXIX. *Certe,* inquit, *fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus, diſciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus denſamus.* Quorum illuſtrium verborum hic ſenſus. Non ſatis habemus, fidem canendo ad Deum paſcere, & ſpem erigere, fiduciamque in illo figere; quibus omnibus nos in eum ſerio credere teſtamur: ſed & præcepta inculcamus, quæ non facienda & facienda demonſtrant. Hæc ſunt præcepta de quibus dixit eodem libro cap. I,

cum

cum Plinii locum ex illa epiſtola ad Traianum referret, qui, Chriſtianos ad confœderandam diſciplinã, homicidium, adulterium, fraudem, perſidiam, ac cætera ſcelera prohibere ſcripſerat. Negativa iſta omnia præcepta continentur illa ſententia, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Hæc diſciplinæ ratio non facit quemquam bonum, ſed ne quis malus ſit, vetat. Illa ad perfectos pertinet, & ſummam charitatis lineam tangit quam Chriſtus ſuis diſcipulis propoſuit: *Et prout vultis ut faciant vobis homines, facite illis ſimiliter.* In bene faciendo alteri hoc præceptum conſiſtit, non in temperando à malefactis. At cum Apoſtoli gentibus legem darent, Chriſtum profeſſis quam ſequi omnino quaſi vitæ regulam & normam deberent, quia plerique capaces non ſunt illius perfectionis, ut eorum præcipue rationẽ haberent, & maiori parti conſulerent, quibus malis abſtinendum eſſet potius quam quæ bona eſſent facienda præſcripſerunt. Ultra hunc gradum licet ad perfectionis ſummam aſcendere, ſed infra deſcendere Chriſtiano futuro non licere voluerunt. Si perfectiſſimam ideam omnibus propoſuiſſent, deſperatione ad eam adſpirandi multi ne in hac quidem conſtitiſſent. Cui

ſecunda mõſtrantur, ſi prima adfectare non potuerit, monſtrata cupide adpetit. Si cui dixeris, non alia eſſe quæ petere queat niſi ſumma, ſi hæc aſſequi ſe poſſe non videat, nec ad media conabitur evadere, quæ ei oſtenſa non fuerint, ſed in infimis hærebit. Denique neceſſaria tantum ſe præſcribere Apoſtoli dicunt, quibus abſtinendum eſſet omni gentili Chriſtianam religionem ita profeſſuro, non ad illa altiora vocare quæ facienda eſſent ad perfectius exemplar properaturo. Cum ergo ex omni lege Iudaica ea ſolum videantur exemiſſe quæ neceſſe eſſet Chriſtiano obſervare, præter illa quæ ea ſanctione comprehenderunt, nihil eſt legis Moſaicæ quod Chriſtianos obliget. Πορνεία, ſive meretricia profeſſio, lege Moſaica Iudæo erat vetita, gentili licita. Hinc gentili qui Chriſtum ſequi vellet eam æque ac Iudæo illicitam ille Canon Apoſtolicus voluit. Idem de ſanguine ac ſuffocato, & idolothyto, dicendum. Igitur præter hæc nominatim excepta quæ gentilis converſus ex Iudaicæ legis præceptis neceſſario deberet obſervare, nihil plus ex illa lege Chriſtianis impoſitum liquet. Quod illa Apoſtolorum verba diſerte teſtantur, ἔδοξε τῷ ἁ-

γίῳ

γίῳ πνεύματι μηδὲν πλέον ἐπιτίθεσθαι ὑμῖν βάρος πλὴν τῶν ἐπ' ἀνάγκης τούτων. *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, nihil aliud oneris vobis imponere præter hæc quæ neceſſaria ſunt.* Solus inter illa quibus neceſſario eſſet abſtinendum, recenſetur meretriciæ profeſſionis quæſtus. Ergo nec trapezitica, nec mercatoria, nec alia quælibet quæſtuaria ars ac profeſſio prohibita Chriſtianis debet cenſeri, qui tum ex gentibus ad Chriſti fidem ſe dabant. Fœnus Iudæis inter fratres, id eſt, inter ipſos, fuit prohitum, gentibus permiſſum. Chriſtiani tunc temporis omnes inter ſe fratres erant ac dicebantur, ex quacumque natione venirent, ſive Iudæi eſſent, ſive Romani, ſive Græci. Lex illa Moſaica de uſura inter fratres non agitanda, nullo modo Chriſtianos, quamvis fraterno nomine ſe invicem compellantes, conſtrinxit, quandoquidem regula illa Apoſtolica gentibus ad Chriſtum venientibus data, quę omnia neceſſaria quibus abſtinendum eſſet, complexa eſt, nihil de ea expreſſe cavit. Sed nec per conſequentias eo quidquam trahi poteſt, niſi quis ſub nomine πορνείας uſuram comprehendi atque intelligi velit. Et nollem ſane, doctiſſimos Theologos in confodiendis trapezitis,

comparationem eorum cum lenonibus ac meretricibus inſtituiſſe, quaſi ſimili conniventia, nec meliore conſcientia, utrumque genus à magiſtratu permitteretur, δανειστικὸν & πορνικόν. Quid ſit differentiæ, vel hic canon Apoſtolorum teſtatur, in quo πορνεία, id eſt, profeſſio meretricia, inter ea quibus neceſſario Chriſtianos abſtinere vellent, memoratur, de trapezitica nihil dicitur, ut nec de mercatura, nec aliis quæſtuariis artibus. Tertullianus in Apologetico cap. XLIII, cui titulus eſt in veteribus libris *de Lenocinio*, artes recenſet gentilium quibus non uterentur Chriſtiani, & quas ſolas multo minus exercerent. *Plane confitebor*, inquit, *quinam, ſi forte, vere de ſterilitate Chriſtianorum conqueri poſſint. Primi erunt lenones, perductores, aquarioli, tum ſiccarii, venerarii, magi, item haruſpices, arioli, mathematici.* Per *Lenones* intelligit proprie Græcorum πορνοβοσκοὺς, qui & ἑταιρῶν τροφεῖς Græcis dicuntur. Per *perductores*, μαστροποὺς & προαγωγοὺς. Per *aquariolos*, qui & *bacariones* & *bacarioli*, πορνοδιακόνους. Inter eas artes quibus Chriſtiani non utebantur ſine dubio nominaſſet & mimos hiſtrioneſque, ſi eo tempore, ut nunc ſolent, mercenariam habuiſſent profeſſionem. Gratis illo tempore ſpectacu-

la illa

la illa populo præbebantur, ab illis qui ludos dabant, conducti. Non igitur poterant queri de ſterilitate Chriſtianorū, quaſi minus inde quæſtus facerent quod Chriſtiani eorum theatra non frequentarent. Certum eſt tamen, quamvis illæ θεωρίαι gratuitæ populo darentur, ab his abſtinuiſſe tunc temporis Chriſtianos, ut ex eodem Tertulliano conſtat, ne alios nominem, in eodem Apologetico his verbis: *Nihil eſt nobis dictu, viſu, auditu, cum inſania circi, cum impudentia theatri, cum atrocitate arenæ, cum xyſti vanitate.* Numquid Tertullianus artibus illis quas uſurpare Chriſtianis non liceret, quæque de eorum ſterilitate poſſent conqueri, etiam trapeziticam adnumerat? Non magis ſane quam aliam quamlibet negotiatoriam. Sed & trapezitis uſos eſſe primos Chriſtianos, oſtendimus ſupra teſtimonio Clementis. Si menſis uti poterant trapezitarum, pecuniam ad eas dando & exercendo, quidni & ipſas menſas exercere? Qui emere poteſt, poteſt & vendere. Si honeſtum eſt uti miniſterio & opera alicuius artis quæ vitæ neceſſaria ſit, nec inhoneſtum erit eam ipſam artem exercere, qua honeſti qui ſunt etiam uti poſſint. Quo tempore porro Apoſtoli uno in concilio

cum toto preſbyterio Hieroſolymitano ac reliquorum fidelium cœtu congregati Canonem illum ſanxerunt de his quibus neceſſario abſtinere oporteret gentes ad Chriſti nomen converſas, celeberrima fuit ars trapezitica tam apud gentiles quam apud Iudæos. In ipſo templo, ut ex Euangeliſtis conſtat, menſas ſuas habebant. Iudæi lege Moſaica vetitum cum fratribus fœnus, cum gentibus cæteris permiſſum ſtrenue exercebant, ipſamque trapeziticam eo tempore, ut ſemper, & nunc, faciebant. Apud gentes nullæ civitates in toto imperio Romano fuere, quin ſingulæ aliquot trapezitas, ſive menſarios, hoc munus publica auctoritate adminiſtrantes habuerint. Cui igitur credibile ſit, hoc præterituros fuiſſe Apoſtolos in Canone illo condendo de neceſſario abſtinendis ex tota lege Iudaica, ſi inter fratres Chriſtianos idèm ius circa uſuram & fœnus eſſe voluiſſent, quod inter Iudæos fratres ex lege Moſis obtinebat? Profecto ſi fœnus trapeziticum, cuius uſus tantus ac tam promiſcuus tum fuit tam apud Iudęos quam apud gentiles, æque crimen atrox Apoſtoli reputaſſent, ut poſtea Canoniſtis viſum eſt Pontificiis, ac nonnullis ex noſtris reformatis, nomi-

natim

natim & illud commemoraſſent inter illa quibus abſtinendum omni neceſſitate haberent gentes ad Chriſti fidem accedentes. Non minus certe talis profeſſio ſub illa vetitorum regula & abſtinendorum norma comprehendēda ab illis fuit, quam πορνεία, ſi æque deteſtandam noviſſent. Meretricibus apud Pontificios non interdicitur communione, non ſepultura prohibentur mortuæ. Hoc fit apud illos trapezitis. Cur igitur Apoſtoli πορνείαν gentibus χριστιανιζούσαις inter illa quibus ἐπ' ἀνάγκης abſtinere deberent, canone fixo & æternum valituro præſcripſerunt, de trapezitica nihil tale decreverunt? Atqui longe levius crimen, ſi audimus Canoniſtas, ἡ πορνεία quam ἡ τραπεζιτεία. Noſter quoque in Epiſtola theologus, *atrox, ſi non ſummum, peccatum eſſe* pronuntiat fœnus trapeziticum. Atqui illud tam atrox peccatum, gentibus eo tempore promiſcue licitū nec pro peccato habitum, debuere Apoſtoli iis, qui ex gentilitate ad Chriſtianiſmum convertebantur, abominandum proponere, longe ultra πορνείαν, idolothytum, & ſuffocatum. Immo vel tanto magis quam πορνείαν deteſtandum propoſuiſſent, quatenus qui ex gentibus ad Chriſtum veniebant, magis apud ſe id licitum

atque honeſtum quam πορνείαν cognoverant. Proniores itaque in eo exercendo fuiſſent iam Chriſtiani facti, qui ea ſciebant apud eam religionem quam reliquiſſent, inter licitas & honeſtas profeſſiones id reponi. Profeſſio igitur ipſa trapezitica non eſt damnata ab Apoſtolis, ſed in ea profeſſione ſola πλεονεξία, quæ omnino continetur interdictione illius negativi præcepti, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Sed & ad octavum præceptum referri debet, *non furtum facies.* Quo συνεκδοχικῶς omnis ἀποστέρησις & πλεονεξία, fraus & circumventio proximi, comprehenditur. Nec alia ſane quærenda ratio, cur Eccleſia primitiva nullam cenſuram aut pœnam contra fœnerantes privatos pronuntiaverit, neque contra τραπεζιτεύοντας, quam quia ſcirent, inter onera quæ gentibus ad Chriſti fidem ex paganiſmo migrantibus ab Apoſtolis eſſent impoſita, hoc onus de non fœnerando non fuiſſe ſuperimpoſitum. Cur igitur in hodierno Chriſtianiſmo cui delicta quæq; atrocia ferme impunita ſunt, tam atroces pœnæ imponuntur fœneratoribus, qui ne levi quidem caſtigationi ſubiecti fuerunt in ea Eccleſia quæ vel minima peccata ſeveriſſime vindicabat per pœnitentiam publicam?

blicam? Vir eſto qui huius rei mihi rationem aliquam probam, idoneam, ſolidam poterit reddere. Cum in Præfatione libri de Uſuris poſuiſſem, nuſquam legi quæ pœna lege Dei per Moſem fœnori impermiſſo fuerit impoſita, ex quo non gravem fuiſſe aut nullam verius coniici poſſe: cum inquam hæc ita ſcripſiſſem, ita his occurrit Theologus in Epiſtola ſua totidem verbis: *Si quis* παραλλήλως *dixerit, non liquere quæ pœna lege Dei per Moſem fuerit impoſita impermiſſæ recenſioni & enumerationi populi qua numerarentur nomina illorum qui præter legem quæ extat Num. I. ætatem annorum viginti nondum attigiſſent, ergo non fuiſſe illi peccato debitam pœnam, aut nullam verius coniici poſſe: in promptu*, inquit, *erit reſponſio, atrociori vindictæ quam quæ ſententia iudicis pro tribunali exerceretur, peccatum illud apud Deum reſervatum fuiſſe, teſtari hiſtoriam Davidis, quæ extat* II. *Samuelis* XXIV, & I. *Chronic.* XXI. Tot verbis nihil effici quod ad controverſiã pertineat, miror ſi auctor ipſe non animadverterit. Sed & ex his concluſis ſequeretur, ideo nullam fuiſſe pœnam impoſitam impermiſſo fœnori, quia atrociſſimũ crimen eſſe, ac proinde atrociori vindictæ quam quæ ſententia iudicis pro tribunali exerceretur, peccatum illud reſer-

 vatum

vatum videretur. Ergo & parricidio & atheiſmo & regicidio delictum atrocius, in fœnore modi exceſſus. Nam & illis criminibus pro tribunali ſententia judicis pœnæ infligi ſolent, aut vivicomburium, aut rota, aut forcipes candentes fruſtillatim corpus carpentes. Cum igitur adverſum ἀρνησιθέους & ἀλογιζομένους & παρανοίας pœnæ ſint conſtitutæ corporales, ideo, ex Theologi ſententia, nulla in delinquentes fœneratores exempla liquet edita quia criminoſiores habẽtur omnibus ſupraſcriptorum facinorum reis. Hoc certe elicitur ex illius concluſione. Cæterum id nihil facit ad theſin, an trapeziticum fœnus licitum ſit. Sive puniatur ſive non puniatur corporaliter qui in eo exercendo non tenuit modum quem lex præſcripſit, neutrum facere poteſt, ut argumentum ex utrovis ducatur ad prohibitionem fœnoris trapezitici introducendã. Si puniuntur modum excedentes, certum inde eſt, eos qui modum ſervant, non eſſe pœna dignos. Nam & in multis aliis profeſſionibus qui legi non parent plecti ſolent, ut inter mercatores qui vetita monopolia inſtituunt. Si impune autem eſt fœneratoribus contra legis menſuram cõmittentibus, tanto impunitiores exire debent

debent qui legitimũ modum cuſtodiunt. At Deus vindictam ſibi fœnoris illiciti reſervavit, *ut apparet ex συναφείᾳ legis contra vetitum fœnus intercurrentis à paupere ſolvendum, inter legem geminam de viduis & orphanis non affligendis, & de pignore pauperis non detinendo ſecundum praxin fœneratoriam.* Hæc nimirum reſpiciunt vetitum fœnus, non licitum. Quod enim pro abſolute & ſimpliciter vetito trapeziticum numerant, næ vehementer errant. Nec inde conſequitur, ſeveras comminationes, quas Deus per Moſem denuntiavit affligentibus pupillum, & viduam, & egenum, ad eos quicquam attinere qui fœnus modeſtum, id eſt, lege licitum exercent. Nec etiam ideo vindictam talium admiſſorum Deo fuiſſe à legiſlatore relictam, quia non ſatis digna pœna reperiri poſſet quæ in horum ſcelerum reos ſtatueretur. In Exodo, cap. XXII. non ſimpliciter talis comminatio vibratur in fœneratores, ſed in eos qui pauperem uſuris oppreſſerint, & quidem Iudæum, ut quidam locum illum interpretantur. Ergo qui non gravioribus uſuris eum oppreſſit, ſed modicas & legitimas ab eo accipere contentus fuerit, maledictioni divinæ quam ibi Moſes comminatur contravenientibus, non erit obnoxius.

noxius. Quæ tamen interpretatio non mihi placet, cum certum ſit, lege Moſaica omnem omnino uſuram Iudæis inter ipſos fuiſſe vetitam, & omnem cum peregrinis permiſſam, ut conſtat ex Deuteronomio XXIII. *Extraneo fœnerabis, & fratri tuo non fœnerabis*. Cum permittat extraneo fœnerari, vetat tamen extraneum opprimi Exod. XXII. *Et peregrino non inferes vim, nec opprimes eum, quia peregrini fuiſtis in terra Aegypti*. Poteſt ergo aliquis fœnerari, & tamen eum cui fœneratur non opprimere. Vetat quippe lex opprimi egenum, ſed eidem fœnerari permittit, dum ſcilicet non opprimatur. Et rurſum poteſt aliquis alia via egenum opprimere quam fœnerando. Dedit aliquis mutuam pecuniam indigenti ut gratuita ea utatur. Si repetat eam creditor alieno tempore, & repoſcat importune, quando non habebit in numerato debitor quod reddat, & interim pignora capiat is cui debetur, eaque minimo diſtrahenda, ut in talibus moris eſt, procuret, non dubium eſt quin ſic pauper affligatur, & quidem ſine uſuris. Erit ergo ille etiam obnoxius interminationi ac maledictioni divinæ, quæ lege Moſis comprehenditur. Vel inde perſpicuum eſt, etiam in mutuo gratuito oppreſſio-

preſſionem pauperis æque poſſe intervenire quam fœnebri. Quinetiam, niſi paradoxon videbitur, vel magis. Qui pecuniam ſuam dedit gratis, ius habet eam repetendi quandocunque voluerit, poteritque, ſi viſum ſit, debitum exigere à paupere eo tempore quo difficillimum erit ipſi illud diſſolvere & graviſſimum. Et ſic vel ſine fœnore, acerbi reposconis, quod Deus & charitas vetant, crimen incurret. Quid ſi vel propria egeſtate cogatur creditor in hanc ſæviciam, quia niſi ſuum in tali tempore recipiat, maxime ſit periclitaturus? At in mutuo fœnebri ius moſque fuit, non poſſe debitorem compelli ad ſolvendam ſortem quamdiu uſuram præſtabit. Sicut videre eſt in Comœdia Nubibus Ariſtophanis, ubi fœnerator ſortem cum fœnore repetens à Strepſiade, cum negaret ille ſibi eſſe unde ſolveret, reſpondet fœnerator, petitque, ut ſaltem uſuras penderet. Et ſic exponendus eſt locus Lucæ cap. XII. δὸς ἐργασίαν ἀπηλλάχθαι ἀπ' αὐτοῦ. Ubi qui rapitur ad iudicem ab adverſario ſuo, id eſt, creditore, ad debiti ſolutionem urgendus, & condemnandus, monetur, quo ab ea moleſtia & ab importuno exactore ſe liberet, uſuram illi perſolvere. Quod

niſi

niſi fecerit, addicturus ſit eum Iudex creditori ſuo, & creditor in carcerē compacturus, è quo non educetur priuſquã ſolverit ultimū quadrantem. Δὸς ἐργασίαν, inquit, ἀπηλλάχθαι ἀπ' αὐτοῦ. *Da illi uſuram debiti, ut ab eo libereris.* Nam ἔργον & ἐργασία uſura eſt quæ pro fœnerata pecunia exigitur. Eam interpretationem attigit Theophylactus, ſed ab interpretibus animadverſa non eſt, nec ab Exercitatore nupero ſacro intellecta. Ut probet, quod nemo neſcit, ἐργασίαν in hoc loco Lucæ quæſtum vel lucrum ſignificare, citat hic Nicarchi diſtichon ex Anthologiæ VI.

Εἶπε δ', παντός σοι δεκάτην ἀπὸ λήμματος οἴσω
Κύπρι, σὺ δ' ἐργασίην καὶ λάβε καὶ μετάδος.

Vbi, inquit Criticus, δὸς vel μετάδος ἐργασίην, *habes non multo aliter.* Quia δὸς ἐργασίην apud Lucam ſic legitur, ut μετάδος vel δὸς ἐργασίην apud Nicarchum: ergo eodem ſenſu, aut non multum diſſimili, apud utrunque. Si quid iudico, nihil ſimile. In illo Nicarchi Epigrammate mulier meretrix vovet Veneri decimam ex capturis ſuis, petitque à Dea, ut ſibi plures immittat amatores quo uberior quæſtus ipſi veniat, unde & lucrum etiam maius ad Deam ipſam ſit rediturum ex decima ampliore. Da, inquit, ô Diva, quæſtum

ſtum, & accipe. Accipe ex decima, da ex amatoribus quos propicia favenſque plurimos ſubmittes. Quid tale hic in Lucæ verbis, δὸς ἐργασίαν ἀπηλλάχθαι ἀπ' αὐτοῦ? *Hoc dixiſſe igitur,* ait Criticus, *videtur Lucas: ſi ad præfectum cum adverſario te conferes, etiam cum quæſtu eius, tuo damno, vide ut libereris.* Etiamſi hoc dixiſſet Lucas, longe tamen aliud ab eo quod dixit Nicarchus. Atqui nec illud Lucas dicere voluit quod ei adfingit Criticus. Addit tamen, *tale aliquid latere viderat Theophylactus, quem fruſtra reprehendunt eruditi, cum dixit,* κἂν μηδὲν ἔχῃς, δανείσθητι, καὶ δὸς ἐργασίαν, τουτέστι, τόκον, ὑπὲρ τοῦ ἀπηλλάχθαι ἀπ' αὐτοῦ. *Si nihil,* inquit, *habeas, vel fœnori ſumas, ac da illi* ἐργασίαν, *hoc eſt, fœnus, lucrum.* Ita Theophylacti verba interpretatur Exercitator. Eo ſenſu reddita quid ſibi velint plane neſcio. Nec ipſe ſane intellexit quid vellet Theophylactus. Recte quidem ἐργασίαν τόκον hic expoſuit Græcus interpres, id eſt, uſuram. Nam ἐργασία ut quæſtus eſt Græcis, ita etiam pro uſura, quæ pecuniæ eſt quęſtus, ab iiſdem ſæpe accipitur, ut & ἔργον, quod etiam quæſtum & commodum ſignificat, & proinde uſuram quæ pecuniæ creditæ commodum eſt. Sophocles:

Ἀλλ' οὐδὲν ἔργον ταῦτα θρηνεῖσθαι μάτην.

Sed iſta fruſtra lamentari quid lucri eſt? Οὐδὲν ἔργον, id eſt ut intetpretantur Grammatici, οὐδὲν ὄφελος. Sic & ὠφέλειαν & ὄφελος etiam de uſura iidem Græci dicunt, ut Latini *commodum*. Inde ergo & paſſim ἔργον pro uſura apud Atticos, ut in libris de Uſuris docuimus. Et ἐνεργὰ χρήματα, ſub uſuris creditę pecunię, quę opponuntur ἀργοῖς, id eſt, ſterilibus & otioſis, vel ἀτόκοις. Ipſæ etiam profeſſiones quæſtuariæ vocantur ἐργασίαι Ariſtoteli, & *quæſtus* Ciceroni. Ἔργα etiam dicuntur Artemidoro περὶ τεχνῶν καὶ ἔργων, de artibus & quæſtibus. Quod aliis περὶ τεχνῶν καὶ ἐργασιῶν. Ergo ἐργασία proprie apud Lucam hoc in loco eſt uſura. Sic *quæſtus pecuniæ* Cæſari in ſexto commentario de rebus Gallicis, uſura eſt, id eſt, ἐργασία χρημάτων. Hæc mens eſt Theophylacti. Si pecuniam non habes, ſume fœnori ut uſuram ſaltem ſolvas tuo creditori, quo ſolutionem ſortis patienter expectet, donec eam poſſis præſtare. Nihil tamen opus eſt intelligere de verſura facienda ut uſura ſolvatur, ſed ſimpliciter in ea parabola monet Dominus illum debitorem, qui à creditore in ius rapiebatur, ut creditum diſſolveret, ut uſurã ſaltẽ præſtaret, ac ſic ſe liberaret, ne, ſi ad iudicẽ traheretur, iu-

dex

dex eum exactori traderet, à quo in carcerē coniiceretur, ubi eſſet manſurus, donec debitum ad aſſem, hoc eſt, ſortem cum uſuris perſolviſſet. Quod dixit Dominus, ἕως καὶ τὸ ἔσχατον λεπτὸν ἀποδῷς, Latini *ad aſſem ſolvere* dicebant. De quo nos alibi. De debitore ad diem non ſolvente, locum illum Lucæ, & Domini parabolam eſſe accipiendam, luce clarius eſt. Hic autem mos fuit apud antiquos, ut pecunia ad diem credita, ſicut plerumque tum ſolebat credi, ubi dies veniſſet, ſi debitor ſortem diſſolvere nō poſſet, modo uſuras penderet, inquietari de ſorte nō deberet, ſed adhuc in alterum menſem expectari. Quidam iniquiores atque improbiores creditores, non ſolvente ad tempus præſtitutum debitore, pœnam pro mora exigebant, non uſuram ſimplicem, hæc enim ex pacto debebatur nec pœnæ loco erat, ſed uſuram uſuræ. Ut ille μικρολόγος apud Theophraſtum, δεινὸς καὶ ὑπερημερίαν πρᾶξαι καὶ τόκον τόκου. Ut menſtruæ tunc fuere ut plurimum uſuræ, ſi pecunia in menſem eſſet credita, ſortē ſimul cum uſuris reddi neceſſe erat, aut ſaltem uſuram, & in menſem alterum prorogabatur προθεσμία. Ut patet ex his Diodori apud Photium, lib. XXXVI. Καὶ χρόνον ὥρισε καθ' ὃν ἀποτίσει τὸ

 χρέος.

χρέος. ὅπως δὲ τὸ ἢ διὰ τὴν πατρῴαν περιουσίαν. ἐνστάντος δὲ τοῦ ὁρισθέντος, καὶ μὴ ἔχων ἀποδοῦναι, πάλιν ἔταξε τριάκοντα ἡμερῶν προθεσμίαν. Sed de his in libro de Uſuris Iuſtinianeis plura. Hic ergo debitor parabolæ Dominicæ cui προθεσμία adveniſſet, ut ſortem nimirum cum uſuris ſolveret, ne uſuras quidem dependere ſuſtinebat. ideo in ius vocabatur, & ad iudicem ducebatur ab adverſario ſuo, id eſt, creditore. Monet itaque Dominus illum debitorem, ut ſaltem uſuram præſtet, quo liberetur à ſuo adverſario. Δὸς ἐργασίαν ἀπηλλάχθαι ἀπ' αὐτοῦ. *Da uſuram, quo ab ipſo libereris.* Hoc enim iuſtum æquumque, ut qui non poteſt ad diem debito reſpondere, ſaltem uſuram eius dependat. At nihil iniuſtius quã ſi quis de debito appellatus, ubi dies ſolvendi venit, ne uſuram qnidem velit præſtare. Hoc eſt quod ibi dicit Dominus, τί δὲ ἑαυτῶν οὐ κρίνετε τὸ δίκαιον; *Quid non vos ſponte veſtra iudicatis qnod iuſtum eſt?* Iudicat ſane quod iuſtum eſt à ſe ipſo, qui non exſpectat donec in ius rapiatur obtorto collo ad debitum ſolvendum, ſed ſi non poteſt totam crediti ſummã die pręſtituta ſolvere, ſaltem, quod iuſtum eſt, uſuram præſtat. Hæc parabola argumento etiam eſſe poteſt, Dominum non impro-

improbaſſe uſuras. Quæ ad illum locum Lucæ commentatus eſt Exercitator, prorſus ἀπροσδιόνυσα ſunt, ut ibi latius explicabo. Nihil autem poteſt aliud eo loco ſignificare ἐργασία quam *uſura*. Quo ſignificatu & ἔργον ſumitur Græcis. Ne quis audiat eundem Criticum ſacrum, qui in Ariſtarcho ſuo nobis perſuadere vellet, ἔργον apud Nonnum eſſe pecuniam, de Iuda qui Dominum tradidit & vendidit, ὠνοῦ ἀδᾶ δίου χάριν ἔργου. Nummũ exponit. Quod & Helleniſtis debuiſſe qui tum extabant nullus dubitat. Ego vero certus ſum, nullos neque Hellenas neque Helleniſtas ἔργον unquam abſolute nummum appellaſſe. Ἔργον eſt uſura. Si etiam nummum denotaret, pecunia ſive ſors, atque uſura pecuniæ eodem nomine vocarentur. Quod nuſquam reperies. Nec iuvat illum, quod in libro Eſtheræ cap. III legitur, οἱ ποιοῦντες τὸ ἔργον, de monetariis. In Hebræo ſcribitur עשי המלאכה, *facientium opus*. Ubi מלאכה non magis eſt Hebræis pecunia quã Græcis ἔργον. Sic ἔργον etiam eadem ratione eſſet Epiſcopatus, quia Paulus dixit, qui Epiſcopatũ cuperent, καλοῦ ἔργου ἐπιθυμεῖν. Quale illud opus fuerit quod faciebant illi ποιοῦντες τὸ ἔργον apud Eſtheram, intelligitur ſimiliter ex eo quod præcedit de-

decem millibus talentorũ appendendis in manibus facientium opus, & perferendis in theſauros regios. Ridiculus etiam eſt Criticus, cum id probare ſatagit altero loco Nonni, ubi pariter putat ἔργον idem eſſe quod nummum. Nam capite, inquit, 11, quos κερματιστὰς, ſive nummularios, Euangeliſta dixit, ὤνιον ἔργον ἔχοντας vocavit Nonnus. An ita ſit, locus ipſe allatus oſtẽdet. Attulit quidem integrum in ſecunda Editione Ariſtarchi, & miror non ipſi in oculos incurriſſe antiquã ἀβλεψίαν. Sic igitur Nonnus:

---- ἑζόμενον ᾗ

Κερμοδότην χορὸν εὗρε φιλοπλούτοιο τραπέζης,

Καὶ πολὺν ἐσμὸν ὄπωπε φιλέμπορον ὑψόθι θώκων,

Ὤνιον ἔργον ἔχοντα.

Si vel paullulum attendiſſet, ſane vidiſſet, hęc verba ὤνιον ἔργον ἔχοντα non ad nummularios eſſe referenda, ſed ad illos quorũ extat mentio in verſu præcedente, ad mercatores nimirum, ὤνιον ἔργον ἔχοντας, id eſt, mercimonia ſua ibi vænalia habentes, boves, oves, ac columbas. Ergo ὤνιον ἔργον Nonno merx, ac res quælibet, non nummus. Sic apud eumdem Iuda Dominum tradit μινυνθαδίου ἔργου χάριν, rei vilis & exi-

exiguæ mercede, id eſt, pro pauxillo precio triginta argenteorum. Verum de his ad locum plura. Non igitur ἔργον pecunia eſt, ſed pecuniæ quæſtus, commodum, & fructus, id eſt, uſura, quæ & ἐργασία. Nam & ἐργάζεσθαι τὰ χρήματα Græcis, ut Latinis *pecuniam exercere*. Unde ἐργασία quæſtus pecuniæ, id eſt, uſura. Redeamus de diverticulo in viam. Ex his quæ diximus conſtat, ſæpe pro beneficio uſuram imputari, dum ea contentus creditor, ſortis ſolutionem, quæ maioris eſt molis, differri ſibi patitur. Nemo ſane non videt, quanto facilius ſit miſero debitori, uſuram ſolã pendere, quam totum debitum reddere, præſertim ſi exigatur tempore minime opportuno, & quo aqua citius ex pumice quam argentum ex ipſo poſſet extorqueri. Non igitur fœnus, ac ne trapeziticum quidẽ, debitores necat, ſed ipſi ſemetipſos dum tricones ſunt, & in ſolvendo lenti. Multos quippe videre eſt etiam divites, bonis everſos, qui ſub uſuris tantũ deberent ſemiſſibus, & propter annuos quidẽ reditus, ut hodie ſunt, ac nuncupantur. E contrario plures pauperes quotidie videmus, per totum annum, & ſingulis ſeptimanis, menſa utentes Longobardorum, qui tamen

ab ea non fiunt pauperiores, ſed maximum inde ſolatium percipiunt, & egeſtatem ultimam mendicitatemq; eo remedio vitant. Sorte ipſa tantum multos inopes oppreſſos Livius tradit. Eo tempore unciarium fœnus in uſu ac more fuit, omnium leviſſimum, quo tamen multos conſtat ad incitas eſſe redactos & inopiã ſummam. Cur igitur pœna irrogaretur illi, qui nulla ſua culpa pauperem feciſſet pauperrimũ ac mendicum? Ipſis decoctoribus certum eſt apud pleraſque bene conſtitutas reſpublicas non impune fuiſſe. Non nego, puniendũ fœneratorem, qui graviores lege permiſſis uſuras accipit. Sed cur legitimas exigens plectetur, cum mercatores nulla feriantur multa, qui nimis grande precium pro ſuis mercibus à pauperibus extorquent? Ut ad argumentum noſtri Theologi redeam, fateor equidem, multa eſſe commiſſa, quæ Dei vindictæ etiam à gentilibus legiſlatoribus relicta ſint, non quia eſſent atrociſſima, aut pœna ſatis digna inveniri non poſſet qua in auctores animadverteretur, ſed quia talia eſſent, ut ultorem Deum magis requirere viderentur, quia in cuiuſque conſcientia quaſi repoſita eſſent, & teſtibus convinci ſæpenumero non poſſent. Peierant plerum-

rumque homines qui convinci nequeunt periurii. Ideo & periurium ſine pœna relictum eſt apud homines, & Deo vindici reſervatum. Si qui tamen convicti ſint peieraſſe, pro infamibus habentur. Quæ ſatis magna pœna eſt homini honeſto, aut honeſtum ſimulanti. At quantumvis pœna fœnoris improbi, id eſt, illiciti, Deo ultori reſervetur, nulla tamē ignominia apud homines vindicata eſt in foro civili, nec pœnitentia in foro Eccleſiaſtico. Superbia, arrogantia, iracundia, ebrietas, luxus, defectus charitatis, vindicem Deum habent, non leges ullas humanas. Ita & avaricia ſimiliter, quæ quamvis omnium vitiorum mater ſit, teſte Apoſtolo, nulla tamen ex eo vitio procedentia delicta Eccleſiaſticæ primorum temporum Chriſtianitatis cenſuræ ſubiecta fuere, niſi tria, ut docet Gregorius in Epiſtola Canonica ad Latoium, τυμβωρυχία nempe, κλοπὴ, & ἱεροσυλία. Reliqua, ut improbū fœnus, rapinæ, monopolia, & alii quæſtus illegitimi & immodici, charitatique nocivi, uniuscuiuſque conſcientiæ relicta ſunt, ut Deum ultorem nanciſcerentur. Non tamen ex eo poſſit aliquis arguere, fœnus illicitū, quod nulli pœnæ aut pœnitentiæ obnoxium in foro externo & interno re-

manſit, atrocius crimen eſſe furto, ſacrilegio, & ſepulcrorum effoſſione ad expilanda cadaverum ſpolia, in quorum criminum reos pœnæ ſæculares conſtitutæ fuere graviſſimæ, itemque Eccleſiaſticæ. Non impunitum omnino fuiſſe fœnus illicitum apud Iudæos, ex iure Talmudico in præfatione oſtendebamus. Nam inteſtabiles fuiſſe, hoc eſt, ius teſtimonii dicendi non habuiſſe, docebamus, quamdiu id exercerent. Non propterea tamen infames habitos, ex eo liquet, quod hæc duo plurimũ diſtent, infamem eſſe, & ad teſtimonium dicendum non admitti. Nam & pueri & mulieres teſtimonii dictionem non habent, nec tamen infamia notantur. Multæ porro ſunt artes, quarum ſola profeſſio etiamſi recte atque ordine adminiſtretur, infamat, ut hiſtrionia. Nam tametſi contra regulas artis nihil committant, & publica auctoritate nitantur, quæ eas tolerat quia etiam utitur, re ipſa tamen infames ſunt qui eas profeſſones exercent. Non puniuntur, quia permittuntur, ſed ob levitatem morum, & pravitatem quæ ſequitur huiuſmodi artifices, & quia ad ſolam voluptatem plebi præbendam deſtinati ſunt, qua voluptate facile omnes carere poſſent, quæ ſæpe etiam turpis

pis eſt, & morum gravitati noxia, ideo
ignominioſi ſunt. At profeſſiones aliæ
ſunt, quæ quamvis alias parum honeſtæ,
propter utilitatem tamen quam adferunt,
non ſolum tolerantur, ſed etiam ſine in-
famia exercentur, ut fœneratio & merca-
tura. Nam ideo inhoneſta mercatura, quia,
ut ait Cicero, expedit illis ſtrenue mentiri.
Nec enim rem facere poſſunt niſi admo-
dum mentiantur. Quo nihil eſt turpius.
Non mentietur tamen fidelis in ea exer-
cenda. Si mentitur, & fraudat, non habet
Chriſti ſpiritũ. Proprio ergo vitio hoc de-
bet imputare, non mercaturæ. Si enim ali-
qui mercatores probi ſunt, ex eo licet
coniicere, non culpa mercaturæ eſſe im-
probos qui tales ſunt, ſed ſua. Quinimmo
in his profeſſionibus, etiamſi male agatur,
& contra decorum, vel etiam contra le-
gem, aut pœna nulla infligitur, aut pecu-
niaria, ſine infamia. Ut in fœneratoribus
non parentibus legi fœnebri, quadrupli
luitio pro pœna incumbebat, & publica-
nos περὶ τὸ διατεταγμένον aliquid extor-
quentes, ut conſtat ex Euangeliſta, ea-
dem pœna manebat, quæ nec famæ damno
afficiebat, ut conſtat ex leg. 11, Cod. Ex
quibus cauſis. Cuius legis hunc ſenſum eſſe
volunt iuris peritiſſimi, publicanũ nimi-

rum non fieri infamem, quod in duplum fuerit condemnatus iniuſtæ exactionis cauſa. Corrupta mihi lex illa videtur, atque ita in veteribus codicibus concipitur: *Neque furti, neque vi bonorum raptorum, neque peculatus damnatus intelligi poteſt, qui cum plus debiti nomine debitorum exegiſſet, in duplum à præſide condemnatus eſt.* Vulgo legitur: *qui cum plus debito nomine debitorum exegiſſet*. Haloander ſcribebat, *nomine tributorum*. Alii nihil mutant, ſed *debitorũ* appellatione tributa hic intelligi, ac debita publica putant. Unius litterulæ mutatione, & veram lectionẽ eruo, & ſenſum legis reſtituo, hoc modo: *qui cum plus debiti nomine debitorem exegiſſet.* Vetus ac proba loquutio, *debitorẽ exigere*, pro *à debitore*. Qui igitur plus exigebat à debitore ſuo debiti nomine, in duplum condemnatus non fiebat infamis. Nihil itaq; hæc lex de tributis aut publicis debitis loquitur, ſed de privatis. Certũ eſt igitur, creditorẽ eo nomine condemnatũ, quod plus quam ipſi debitum eſſet exegiſſet, famæ noxam non ſubiiſſe. Eadem ratio magis in fœneratore valet, qui maiores uſuras legitimis à debitore accepit, licet in quadruplum propterea condemnatus fuerit. Nec etiam portitor ob iniuſtam exactio-

actionem portorii. Atqui per συκοφαντίαν extorquebat multa, quæ συκοφαντία tum infamabat tantũ cum cognita cauſa iudex pronuntiaſſet, ἐσυκοφάντησας, ut liquet ex leg. XVII, Cod. eodem. Ne fuſtibus quidem cæſi ob aliquod delictum infamiam non importans, famoſi fiebant, niſi quibus per præconem ita dictum eſſet, ἐσυκοφάντησας. Vide leg. XVI, eodem. Furti tantum, aut vi bonorum raptorum, aut peculatus, condemnati, ex illis delictis quibus πλεονεξία cauſam dedit, fiebant infames. At quadrupli condemnatus fœnerator ob improbas uſuras exactas, aut creditor qui plus exegiſſet nomine debiti, aut portitor nomine portorii in duplum damnatus, damno infamiæ non ſubiiciebantur. Nec enim furti, nec vi bonorum raptorum, nec peculatus damnati cenſebantur. De quo nos alibi. Συκοφαντία porro ſępe in publicanũ cadit, qui per fraudes & malas artes, aut etiam vi adhibita, poteſt extorquere quod ipſi non debetur. At ab his omnibus alienus fœnerator in quibus concuſſio aut ſycophantia locum habet. Volentibus quippe tantum, ac ultro ad ſe venientibus ac petentibus fœneratur, & in repetendo quod dedit ex pacto, iure ſuo utitur, interdum quidem nimis acerbe, &

vio-

violenter, non contra legem tamen, etiamſi contra humanitatem & charitatem. Sed quantamcumque fingas, aut qualẽ qualem impoſitam à lege pœnam tranſgredientibus legitimum uſuræ modum fœneratoribus, non aliud ex eo concludi poterit, quam intra legis præſcriptum ſemet continentibus veniam dari, in profeſſione, quam leges civiles ut maxime utilem admittunt aut iubent, nec damnant divinæ, aut prohibent. Sed nec inteſtabiles Iudæis ex eorum legibus contra vetitum fœnerantes, ſi præter fœnus, vel legi, vel mercaturæ, vel alii ſtudio in cõmune utili operam darent. Multo minus qui licitum fœnus exercerent. Portitores etiam apud eos non per ſe nec ſimpliciter à iudicando & à teſtimonio dicendo arcebantur, ſed illi tantum qui eſſent convicti plus accepiſſe quam ipſis conſtitutum eſſet.

CLAU-

CLAUDII SALMASII

De

TRAPEZITICO FOENORE,

Diſſertatio.

Liber Tertius.

HActenus de trapezitis, quales eos antiquitas Græca pariter ac Romana novit, qualeſque adeo reſpublica Chriſtiana, ſed antiqua, permiſit, diſciplina vero etiam Eccleſiaſtica vetus admiſit, ſuperioribus duobus libris, egimus. Iam hinc dicendum in hoc tertio & ultimo de hodiernis, qui in his Provinciis fœderatis conſtituti ſunt. Hanc enim mihi de uſuris commentationem aggreſſo curæ ante alia fuit, ut vetera cum recentioribus compararem. Quod ut melius mihi procederet, inquirendú curioſe putavi, quid ſimile haberent novi iſti trapezitæ cum antiquis. Dico iſtos, qui in ſingulis urbibus Belgii fœderati publice id negotium ac munus adminiſtrant. Idque ſollicitius examinandum duxi, quod eos maxima infamia laborare in vulgus animadvertebam, atque etiam præter infamiam eoſdẽ à paſtori-

ſtoribus indignos reputari qui admitterentur ad ſacræ ſynaxis communionem. Sciebam equidem, hoc in illis Provinciis obſervari quæ ſummo Pontifici parent, & ius Pontificium ſequuntur. Sed an idem fieri deberet in illis civitatibus quæ reformatam amplexæ ſunt religionem, merito dubitabam. Dubitandi cauſa erat, quod nihil tale in primitiva & maxime pura Eccleſia adverſus tales obſervatum meminiſſem. Cuius Eccleſiæ formam pro norma pleriſque noſtrorũ, quam in reformatione ſua ſequerentur, propoſitam videbam, aut debere eſſe iudicabam. Deinde cum etiam cernerem, iure civili Romano quo Chriſtiani ac piiſſimi Imperatores uſi ſunt, nunquam in numero infamium habitos trapezitas, impendio mirabar, & cum admiratione dolebam, in reformatis Provinciis ius illud civile, ac leges Principum Chriſtianorum veterum, minus habere auctoritatis quam ius Pontificium, cui in totum noſtri renuntiaverunt. Sic enim apud me diſputabam. Ponatur, recte facere ſanctiſſimos Eccleſiaſtas, qui eo utantur rigore diſciplinæ in removendis à ſacra communione trapezitis: numquid & infames reddere eoſdem poſſunt? Non enim pœna Eccleſiaſtica fuit,

fuit infamia. Quod tantum abeſt, ut etiã illos, quos ius civile aut edictum perpetuum prætoris infames faceret, ſæpe admiſerit ad communionem Dominici ſacramenti Eccleſia. Qui lenocinium facere deſiſſet, & pœnitentiam egiſſet, reconciliatum ſibi habebat Eccleſiæ diſciplina, & communione Euchariſtiæ dignum cenſebat, quamvis infamis maneret in foro civili. Idẽ fuit de his qui artem ludicram feciſſent. Nam tametſi artis illius oſtentatione ſpectaculum ſui præbere populo deſtitiſſent, non tamen integram retinebant exiſtimationem. At Eccleſia eos recipiebat. Quid infamius, vel omnium opinione ac iudicio, carnificibus? Quos nemo congreſſu aut aditu dignos iudicat, quorum occurſum & ſermonem omnes defugiunt, his nihilominus Eccleſiæ reformatæ, quamvis omnium hominum viliſſimis, & ignominioſiſſimis, non denegant ſacramentorum participationem. Quia nimirum auctoritate publica id muneris habent, iuſſuque magiſtratus, ut nocentes ac damnatos necent. Si non damnat tales Eccleſia, cur damnabit quos idem magiſtratus non ad necem cuiuſquam, ſed ad pauperum ſolatium inſtituit, aut ad hoc ſaltem ſe credit inſtituiſſe?

Enim-

Enimvero trapezitam nunc haberi infamem, qui nec iure civili talis unquam eſſet habitus, nec à communione iure Eccleſiaſtico antiquo ſubmotus, non ſine admiratione videbam, apud eos præſertim quibus pluris fieri deberet ius Civile quam Pontificium, & antiquæ veræque Eccleſiæ praxis, quam novæ & Romanæ. Putabam igitur, longe aliam rationem eſſe horum trapezitarum ac veterum fuerit. Iſtos enim proprii tantum quæſtus gratia in urbibus reſidere, & per conniventiam magiſtratus intruſos menſę ſuę incubare cũ maxima pauperum, quorum exorberent ſanguinem, pernicie & excidio. Audebam itaque libere magiſtratum damnare qui eos toleraret, veros pauperum ſanguiſugas, & ærarios mergos. Verum cum in hoc æſtu dubitationis interrogaſſem magiſtratum, quomodo hæc fierent, & cur ſinerent in urbibus ſuis hærere huiusmodi improbos æruſcatores, præſertim quos & vulgus infames duceret, & concionatores ab Eccleſia extorres facerēt, intellexi, longe hæc aliter ſe habere quam vulgo crederetur. Quinimmo ex eorum reſponſo didici, pleroſque hoſpites in patria ſua vagari, cuius inſtituta neſcirent, & ſic ea carpere in animũ inducerent, quæ recte an

ſecus

ſecus conſtituta eſſent, prorſus ignorabant. Nec eſt porro cur quiſquam hoc nomine me incuſet quod hæc reſcire laboraverim. Si iudex ſederem inter Muhammedanum & Chriſtianum, ubi religio non ageretur, iuſta Turcæ vel Mauri cognoſcere averem, ut litem ſecundum eum darem ſi mihi appareret illum iniuria premi à Chriſtiano. An minus hoc facere deberem inter duos Chriſti nomen profeſſos? Scio quidem, non me ſumptum eſſe iudicem ſuper hac quæſtione inter theologos & trapezitas, vel magiſtratum potius ipſum, ſed cum de uſuraria materia tractandum haberem, in hoc iudicium ſponte debui deſcendere, ut nihil intactũ relinquerem eorũ quæ ad hoc argumentũ plenè ac plane enucleandum pertinere viſa ſunt. Quod enim Theologi vulgo iactant, atque ita etiam pridem ſanxerunt, trapezitas, quos vulgo *Lombardos* vocant, ideo non admittendos eſſe ad communionem ſacramenti, quamvis à magiſtratu tolerentur, quia in duritiem cordis hæc permiſſio eis indulta ſit, quærendum mihi fuit, ut de toto negotio melius pronuntiarem, an ita ſe res haberet. Nam & in theſibus quorundam poſitum inter corollaria legi, *Vſuram trapeziticam eſſe illi-*

citam:&, negari, *magiſtratus permiſſionem, vel conniventiam poſſe eam licitam facere in foro conſcientiæ.* Dubium ſane non eſt, ſi trapezitica uſura ſit illicita iure divino, non poſſe licitam fieri permiſſione magiſtratus. Immaniter itaq; peccaret magiſtratus, qui trapezitas in urbes ſuas admitteret, & menſam eis exercere permitteret contra expreſſum verbi divini mandatum. Sed unde illis conſtet, uſurã trapeziticam eſſe illicitam, vellem nobis demonſtraſſent. Atqui nos iam in ſuperioribus oſtendimus, aut nullam fuiſſe uſuram licitam, aut trapeziticam hoc iure uſam, ut non ſolum licita haberetur, ſed etiam omnium uſurarum utiliſſima & maxime neceſſaria. Si licita igitur trapezitica, quis non videt licitum eſſe etiam magiſtratui, eius profeſſoribus liberum exercitium in urbibus ſuis permittere, & modum uſuris, quas accipiunt, imponere, prout æquius ac melius ipſi viſum fuerit, ex opibus ac viribus civitatis, ex inopia rei nummariȩ aut copia, pauperum etiam, qui in ea ſunt, ratione habita? Alias ſi illicita res eſſet hæc uſura, nullo piaculo poſſet hoc crimen purgare & eluere magiſtratus, permittendo talem negotiationem, cuius inſtitores à ſacra communione meri-

meritiſſimo prohiberi deberent, ac iure, optimo infamiæ macula inuri. Nec conniventia potis eſſet eos excuſare. Quid enim diſtat à permittente qui connivet? Non parvi ergo, ſed maximi ac piacularis, in eo qui rempublicam gerit, delicti inſtar eſſet, tam atrocis & in legem divinam commiſſi criminis reos ferre, conniventia aut permiſſione. Atqui nec conniventiam nec permiſſionem eſſe liquet, qua trapezitæ in omnibus Hollandiæ civitatibus menſas hodie exercent, ſed auctoritate publica ad hoc à magiſtratu conſtitutos eo munere fungi, certo eſt certius. Hæc cum ſcripſiſſem in primo de Uſuris volumine, extitit quidam ex illis qui litteras hic publice docent, qui me calumniari diceret, & inſignitam iniuriam facere civitatibus fœderati Belgii quiritaretur, quod in iis auctoritate magiſtratus ſtabilitos ſcripſiſſem menſarios. En à quo eruditi ſæculi antiquitates requiras, aut ſperes, qui quod in urbe ſua geritur ignorat, & in patria ſua peregrinus eſt! Ignorantiæ quidem facile ignoſcerem, ſed pertinaciæ venia dari non poteſt, qua vel monitus adhuc pertendit ita eſſe, & pro calumniatore pergit traducere qui hoc ſcripſerit. Pergat ſane, nihil propter-

ea veritati derogabitur, ſed quantum eius aſſertoribus detraxerit, tantum ſibi dedecoris ex imperitia, & ignominiæ ex pertinacia accumulabit. Ille ipſe eſt, qui paucis abhinc menſibus, hora poſt meridiem quarta, vigilās, & in cathedra publica cantherino ritu adſtans ſomniabat, *Vſuras eſſe ſomnia*. Si uſuræ ſomnia eſſent, & nulla præter eas ſomnia viderentur, tum miſero Batavo colonia eſſet mutanda, & in Atlantas foret deducendus, ex quorum ſine dubio proſapia eſſe illum hinc conſtaret. Sic ſane, ſi hic maneat, unum Atlantem Batavis ſuis donabit civē. Nulla certe unquam vidit in vita ſua, neque viſurus eſt ſomnia, ſi nulla alia ſomnia ſunt niſi uſuræ. Is ipſe eſt qui nuper in alia oratione dixit publice pronuntiata & edita, me mea tantum æſtimare, quia ſcribere nempe auſus ſum, non eſſe deteriora quæ ſcribam, quam quæ ille meditatur. Tantum eſt ſcilicet, quod ſe ſcire putat, & tanti illud æſtimat. In illa tamen oratione inter alia flumina quibus mare Britannicum augeri dixit, Rhodanum etiam nominat, cuius auxilium implorandum cum aliis putavit, ne deſtituant unquam illum Oceani, Gallica inter & Anglicana littora in arcto æſtuantis, locum. Quod ſi fiat,
peri-

periculum ſcilicet ſit ne marini aliquando piſces in ſicco deſerantur. Si moleſtus eſſe pergit, aliis coloribus ac ſuis depingetur χαφικώπερον, vel etiam nominabitur. Quo promptius autem iterum venire poſſit ad partes, & calumniari denuo, me pro calumniatore habendum eſſe, addam amplius quod ille magis ignoravit. Menſas omnes quas in ſingulis urbibus iſti Longobardi exercent, ad urbes ipſas pertinere, non Lombardorum proprias eſſe. Earum ſunt conductores, magiſtratus locator eſt. Mutuus autem & reciprocus fit contractus inter magiſtratum urbis qui menſam illam elocat, & fœneratorem ſive Lombardum qui conducit, conditionibus ex utraque parte appoſitis ſcriptiſque, quas utriq; reciprocatim implere debeant. Pro illis exequendis à ſua parte omnia ſua bona obligat magiſtratui Lombardus, & Lombardo viciſſim magiſtratus à ſua omnes urbis reditus. Nam civium nomine contrahit cum illo Magiſtratus. Multis etiam privilegiis munitur, quæ nec cæteris civibus indulgentur. Ut domus ipſius ſub publica protectione ac tutela ſit: ut à metatis militum liber ſit, ac magnatum, eorumque famulitii: ut ab excubiis immunis ſit, & ab aliis oneribus

excuſetur quę reliquis civibus imponi ſolent. Hęc omnia veriſſima eſſe, nihilq; falſi à me allegari, poſſum publicarum litterarum teſtimoniis comprobare. Quæ aliquãdo producẽtur, ſi ſcivero in dubium ea à quoquam revocari. Adeo autem civitatis ipſius hæc menſa eſt trapezitica, non Lombardi, ut liberum ſit magiſtratui, vel eam locare alicui exercendam, vel per ſe adminiſtrare. Idque facit Amſtelodamenſis magiſtratus. Scio etiam, aliquando ab huius urbis Leydenſis magiſtratu deliberatum, an ſequeretur exemplum Amſtelodamenſium, non elocata menſa, ſed per ſe exercita, homine ad hoc præpoſito menſæ, qui ſuo nomine eam adminiſtraret. Et præſtaret forſitan, ita fieri in omnibus civitatibus. Sic enim cum maiore pauperum & reliquorum civium emolumento & commodo id fieret, quatenus magiſtratus leviores uſuras ex ea caperet quam privati quibus elocanda eſt. Nam hi coguntur, propter impenſas quas maiores facere tenentur, ampliores etiam uſuras, eaſque permiſſu magiſtratus præſcriptas, accipere. Magiſtratus porro trapezitas per litteras & programmata publicis locis affixa ad Menſæ conductionem provocat

vocat & invitat. Atque ita ſactum accepi Hagæ comitis, Delphis, Leovardiæ, & alibi. Eorum programmatum exempla aliquot hic me proponere & adſcribere non pœnitebit. Sic enim melius conſtabit, non me calumniatum eſſe, nec iniuriam feciſſe ullam civitatibus Belgii fœderati, cum ſcripſi, *auctoritate publica Longobardos in illis eſſe conſtitutos.* Curavi enim ut haberem aliqua ex illis programmatis, quibus affixis ſolet magiſtratus urbium ad conductionem menſæ vocare trapezitas, quæ in Latinum ſermonem vertenda peritis dedi. Inde etiam certius liquebit, à vero deviare quod quidam præſtantiſſimi Theologi ſcripſerunt, trapezitas *Magiſtratui menſas ſuas opportune & importune obtrudere.* Delphenſe programma typis impreſſum ſic habet, ut illud Latine reddendum ab amico curavi.

Prætor, Conſules, Scabini, & rectores civitatis Delphenſis, omnibus notum & ſingulis faciunt, quod privilegium nummariæ Menſæ dicti loci expiraturum ad primum Aprilis proximi denuo in ſedecim annos elocare conſtituerunt. Quibus animus fuerit dictam menſam maiori oblatione ac emolumento nominatæ civitatis redimendi, ſua nomina indicabunt ante diem ve-

neris proximi menſis Februarii cIↃ DC XXXVII. *Ad quem diem mature ante meridiem dicta Dominatio de licitatione eius eſt actura. Conditiones ſub quibus ſupra dictum privilegium concedetur, luſtrari interea ac perlegi poterunt in archivis ante nominatæ civitatis Delphenſis.*

Hic vero mirari ſubit, huiuſmodi programmata, typis gravidioribus vulgata, in locis publicis, & civitatibus celeberrimis propoſita, tamdiu pependiſſe omnium lectioni & noticię expoſita, nec tamen hactenus tot viris doctiſſimis innotuiſſe, qua ratione aut qua auctoritate trapezitæ, ſive fœneratores publici, menſas ſuas in civitatibus Belgii fœderati exercerent. Iiſdem ferme verbis, quo illud Delphēſe ſupraſcriptum programma conceptum eſt, Hagenſes etiam ſuum cōceperunt & propoſuerunt, ad menſam ſui privilegii elocandā, & invitandos ac provocandos conductores qui eam redimere vellent, plus offerenti concedendam, cum prior locatio finem habitura eſſet primo die Maii, anno cIↃ. DC. XXXVII. Nihil igitur neceſſe illud hic adſcribere. Habeo etiā edictum Ordinum Generalium pro locanda Menſa Sylvæ Ducis, Latine ſic verſum:

Ex auctoritate Provinciarum unitarum locabitur Menſa fœnebris Sylvæ Ducis, ad diem

Iovis

Iovis, III *Novembris*, CIↃ. DC. XXXIX. *Quiſquis animum habuerit conducendi, ſe ſiſtat tunc Sylvæ ducis, ac commodo ſuo proſpiciat. Et qui conditiones interim inſpicere deſiderat, eas reperiet apud Secretarium conſilii Status, & apud Scribam*, is Graphiarius eſt, *urbis Sylvæ ducenſis*. Infra erat ſcriptum: *Divulgetur*.

Habeo & exemplum litterarum Magiſtratus Leovardienſis ad trapezitam quemdam, quibus ei ſignificant, ſe conſtituiſſe menſam fœneratoriam locare de novo, tempuſque ac locum indicant, ubi & quando debeat ſe ſiſtere coram ipſis, ſi animum habeat eius menſæ conducendæ.

Honorate & perquam diſcrete. Ad XXIV *huius menſis ſtilo veteri, vel ad* III *Septembris novo ſtilo, menſam nummariam ad plus offerentem transferre ſtatuimus in hac civitate noſtra in annos ſexdecim, quorum initium ſumetur à kalendis Maii*, CIↃ. DC. XXXIV. *Quod ſi tibi eius redimendæ voluntas fuerit, ad conſtitutum tempus locumque te ſiſtas. Hiſce Domini gratiæ te commendamus. Leovardiæ kal. Auguſtis* CIↃ. IↃC. XXXII. Subſcriptum: *Fautores tui, Conſules, Scabini & Senatores civitatis Leovardienſis.* Et inferius: *Ad eorum mandatum, N. Lamberti.*

Poteram talibus monumentis qua pu-

blicis qua privatis, recitandis abſtinere, ſi mihi iniurato & ſine teſte ab illis hominibus crederetur, qui hoc ipſo oſtendunt, quam bene & tuto ſibi fides habeatur, dum non putant habendã multo ſe melioribus. Magiſtratus ſupraſcriptus iiſdem titulis trapezitam ornat quo ſolent honeſti quiq; mercatores in his locis donari, *Eerſame, ſeer diſcrete*, Honorate, & admodum diſcrete. *Honorabilis* quoque apud nos, hoc eſt, τίμιος, mercarorum eſt titulus, quo conſueverunt ornari in epiſtolis, contractibus, & ſepulcrorũ inſcriptionibus. Si τίμιοι appellãtur ab ipſo magiſtratu trapezitæ, certe non ἄτιμοι, infames, ignominioſi, probroſi, habẽtur penes magiſtratũ. Atqui ſolus eſt magiſtratus qui infamia poteſt aliquẽ notare, & ex cauſa quidẽ criminis eiuſmodi quod per leges & iure civili infamat atq; ἀτιμωτικὸν eſt. Quæ infamia nõ habet locum niſi in his quæ vetita legibus ac iure ſunt, atque ita quidem vetita, ut transgreſſores pœna conſequatur ignominiæ maculam importans. At in his, quæ ipſe probat magiſtratus, quorum ipſe auctor eſt, quæ ratio, ut, qui eum auctorẽ habet, ab eo ipſo, qui iuſſu eius & auctoritate quid facit, infamiæ labe adſpergatur? Nihil enim eſſet abſurdius, quam pelle-
ctum

ctum & invitatum litteris magiſtratus ad rem conducendam, quæ pro privilegio data eſt ei civitati cui magiſtratus præeſt, ac miniſterium ſuum tantum publico iuri ac muneri præbentem, in numero infamium reponi per illos ipſos quibus inſervit, & quorum auctoritatem non defugit. Si ergo infamis non eſt per magiſtratum, nec eſſe poteſt per paſtores ac theologiæ doctores. At poteſt, inquies, à communione ſacra reiici. Poſſe quidem non nego, ſed an iure poſſit, quæſtio eſt. Sed non poſſe, iam decidimus, niſi magiſtratus civitatum, Ordines generales, ipſum Principē, eadem ἀκοινωνησίας pœna teneat, & merito quidem magis illis infligenda quam trapezitæ qui ab eis tãtum conducit quod illi locant. Vidi & diploma celſiſſimi Principis Auriaci, qui poſt Bredam receptam civibus urbis, quæ eius eſt patrimonii ac dominii, id ipſum petentibus conceſſit, ius habendi trapezitæ. Vidimus ſupra, ex Edicto Ordinum generalium, civitati Sylvæ ducis impoſitum & conſtitutum trapezitam. Ergo Ordines, Princeps, & urbium fœderatarum magiſtratus excōmunicandos potius eſſe liquet quã trapezitas, ſi trapezitica profeſſio meretur excommunicationem. Quid de illo

magi-

magiſtratu dicent, qui ipſe hoc agit, qui ipſe τραπεζιτεύει, & menſam ſui iuris non alii elocat, ſed per ſe exercet, ut Amſtelodamenſis? Cur non ille ἀποσυνάγωγος debet fieri & infamis, ſi perſonæ, quibus aliarum civitatium magiſtratus ſuum privilegium tradiderit, his pœnis ſubiicientur? Nolo mihi uſpiam oſtendi quid ſit προσωποληψία ſi hic non erit. Differentiam tamen aliquam excogitavit qua hoc telum eluderet ac declinaret optimus ac præſtantiſſimus Theologus in theologica de Uſuris inſtitutione. Ubi ſummopere adprobavit inſtitutum Montium pietatis, qui in multis Italiæ civitatibus ad pauperes ſublevandos conſtituti ſunt, ac ſubſcripſit decretali Leonis Decimi Papæ qua eos confirmat, ita tandem ſcribit: *Non quidem examuſſim omnia convenire in ordinationibus illis quorundam in Belgio magiſtratuum, qui in ſuis civitatibus menſas mutuationis publicas erigunt de pecunia ex fiſco ſuo accepta, vel aliunde congeſta, ad ſimile pauperum & quorumcumque indigentium ſublevamentum, quatenus ſors eſt fiſci publici, & lucrum abundans non redit ad communitatem pauperum, ſed auget fiſcum publicum.* Hæc cum ita ſint, probat tamen eam erectionem publicam à magiſtratu ipſo factam, & in fine hoc addit: *In quo*

quo quia præſumitur magiſtratus liberaturus bona fide ſuam conſcientiam, non debet pius ac laudabilis conatus ex ſiniſtra præſumptione aliqua odioſus aut iniuſtus cenſeri. Ergo ita cenſet optimus Theologus, cum magiſtratus ipſe menſam illam erigit, ac per ſe exercet, ex ſorte à fiſco accepta, & cuius queſtus in fiſcum redit, non eſſe vituperandum ac culpandum. At ſi idem magiſtratus non per ſe id faciat, ſed alii faciendum & adminiſtrandum committat, tum ille cui id commiſerit magiſtratus, ſceleſte facit, excõmunicari meretur, & infamis haberi. Cur hoc tam diverſe ubi nulla diverſitas? Quid intereſt pauperis, utrũ rem habeat cum magiſtratu ipſo ſi quandò pecunia indiget, an cum trapezita cui hoc curandum dedit magiſtratus, ſi eaſdem uſuras huic & illi debet pro pecunia quam inde ſumpſerit ſolvere? Aliud eſt, ſi leviores uſuras accipit Magiſtratus quam trapezita cui menſam ſuam ille locaverit. Adde, quod nec ipſe magiſtratus menſam tenet, ſed homo quidam, qui demandato à magiſtratu munere pro ipſo magiſtratu fungitur, ad quem hominẽ quæſtus menſæ non redit, ſed ad fiſcum publicum. Quid refert ergo mea, qui pauper ſum, & menſa illa utor, utrum lucrum

τραπεζιτδόσεως illius cedat ipſi magiſtratui ac fiſco, an mãcipi ac publicano qui menſam illam à magiſtratu conduxerit? Si hoc quæritur, certe & non leve lucrum ex menſa locata in rem magiſtratus, id eſt, publicam, redundat, pretium nempe ac merces locationis, de qua nos infra dicemus. Videat Theologus, an ſibi ipſi conſtet, dum hic factum probat magiſtratuum menſas erigentium & exercentium, & alio loco, capite nimirum x eiuſdem Inſtitutionis, de praxi menſarum ait, *Neutiquam mirum videri debere, neque ulla ratione cenſendum pugnare cum iudicio magiſtratuum, quorum permiſſione aut privilegio iſti* (trapezitæ) *menſas erigunt, quod reformatæ eccleſiæ ſic cenſent, non poſſe eos conſcientiam habere ſine offendiculo apud Deum vel apud homines.* Ego vero omnino miror, quomodo hæc poſſint diverſa ac differentia videri, ut magiſtratus cum bona conſcientia apud Deum & homines erigere menſam queat publicam, & exercere, non poſſit eam conductam habere trapezita à magiſtratu qui locat, ſine offendiculo conſcientiæ, & exiſtimationis damno. Sed video quid effaſcinarit præſtantiſſimos Theologos, ignorantia nimirũ facti, quę & falſam eos hypotheſin ſtruere adegit, dum putant,

ſola

ſola magiſtratus permiſſione ac cõniventia mẽſas iſtas erexiſſe trapezitas in omnibus Belgii fœderati civitatibus. Sed eſto; ſola permiſſione magiſtratus ſive cõniventia, ut volunt, ferri eos demus. An non ſola illa permiſſio ſufficere in hoc credenda eſt, ut cum bona fama apud homines, & conſcientia recta apud Deum id exercere poſſint quod magiſtratus eis permiſerit? Scio, nec ſemper, nec in omnibus id valere debere. Ecce enim, ſi quis dicat, in famoſis per ſe artibus & probroſis quæſtibus, ſi à magiſtratu permittantur, id ſatis eſſe ad integram exiſtimationem auctoribus eorum conſervandam, & ſinceram Chriſtianamque conſcientiam conciliandam, ego in primis hoc negavero, & contradixero. Lenocinium, & meretricius quæſtus, & huiuſmodi infames artes à magiſtratu permiſſæ non poſſunt efficere ut lenones ac ſcorta publica honeſtæ ſint perſonæ ac probæ. Nec hiſtriones, & qui ſe ſpectandos in arte aliqua ludicra mercede populo præbent, etiamſi ſe tueantur ea permiſſione magiſtratus, qui & plerumque eos ſpectatum it, propterea in proborũ, piorum ac fideliũ, & hominum quibus bona fama eſt, numero ſunt ponendi. Nam ille ipſe Magiſtratus, qui eos admit-

admittit, & ſe oblectat interdum huiuſmodi ſpectaculis, pro infamibus nihilominus eos habet, & apud ſe in iudicio pro teſtimonio aliquid dicere cupientes non audit, quibus in ſcena faceta aut ficta cum mimico geſtu pronunciantibus libenter oculos aureſque commodat. Nam probrum ac turpitudo ipſius artis etiam perſonæ quæ eam profitetur vitium ſuum adfricat. At in artibus & quæſtibus, neutram in partem culpæ aut laudis per ſe trahendis, niſi ſi ex vitio aut virtute perſonę quæ eas exercet laudari vel culpari mereantur, ipſa magiſtratus permiſſio idonea eſt efficere ut bona cum fama & bona conſcientia poſſint exerceri, ſi talem ipſe adhibeat qui eas profiteri vult. Ut ecce, ſi cōmercium liberum ſit nunc cum vicinis, & poſtea bellum incidat nobis cum illa gente contermina, quamdiu non vetabit magiſtratus miſceri cum eis negotia mutua, non obſtante bello, licitum cuique erit merces ad illos mittere ac vectare. Simul atque id vetuerit magiſtratus aut princeps, tum incipiet eſſe illicitum quod prius licebat. Si ſimiliter propter aliquas rationes magiſtratus rem per ſe indifferentem & antea in promiſcuo uſu omnibus patentem prohibuerit;

deſinit

déſinit eſſe quod fuerat, & ex prohibitione magiſtratus aliam naturam induit. At quamdiu non eam lex vetat, tamdiu cuilibet licet illã agere ac profiteri. In his ergo quæ per ſe μέσα ſunt, cum & utilitas ea commendat, interdum & neceſſitas, ſi magiſtratus quoque acceſſerit permiſſio non ea prohibentis, tum ex illa permiſſione ſola, cum famæ tum conſcientiæ ſuæ integritatem tueri poterit qui eas uſurpare cœperit. Talis eſt mercatura, & fœneratio, etiam ſi non alia prærogativa ſe defenderent, quam conniventia magiſtratus, eos quæſtus liberos cuique tanquam indifferentes ſinentis. Amplius eſt quo gloriari queant, ſi utiles & neceſſarias ſe iudicari ſciant à magiſtratu qui eas permittit. At in hac fœneratione publica trapezitarum, ne de mercatura nunc aliquid dicam, non eſt ſimplex permiſſio magiſtratus qua id munus adminiſtrant, ſed demandatio huius muneris, iniunctio, conſtitutio. Plus dicam, res eſt ipſius magiſtratus ac civitatis, quam agunt publica auctoritate, & iuſſu ipſius magiſtratus. Quis dixerit, tributa & vectigalia Reipublicæ colligentes, & portoria exigentes portitores, permiſſione magiſtratus & conniventia id facere quod faciunt? Quis

 vil-

villicũ putet permiſſione domini conniventis in agro eius ac villa id officium habere, à colonis penſiones exigere, quid ibi agatur videre, & τὰ καὶ ἀγρὸν οἰκονομεῖν? A domino præfectus eſt & impoſitus huic muneri ac villicationi. Idem de urbano œconomo, & actore ſive diſpenſatore dixeris, quẽ dominus ſuis rebus pręfecerit, debitis exigendis, pecuniæ locandæ, & ſimilibus. Non aliud eſt de his trapezitis, quos nemo ſanus, qui ſciat quomodo in ſingulis urbibus cõſtituti ſint, & quid agant, dicere queat, conniventia tantum & permiſſione magiſtratus munere hoc fungi, niſi idem quoque de aliis publicanis dicat. Nã plane iſti trapezitæ hodierni, publicani ſunt, & in hoc differunt ab antiquioris ævi Gręcis trapezitis, Romaniſque menſariis vel argentariis. Illi enim revera τραπεζῖται, qui quamvis auctoritate publica eſſent ei functioni præfecti, menſas tamen exercebant ſuas, non publicas, nihilq; reipublicæ reddebant eo nomine quod eas exercerent. At noſtri iſti, τραπεζῶναι verius ſunt quã τραπεζῖται. Nã ipſe potius magiſtratus τραπεζίτης eſt, quia mẽſa illa ipſius eſt propria, ſive civitatis. Ut vectigalia eius ſunt qui ea imponit, at qui ea conducit, τελώνης eſt tantũ, quia τὰ τέλη redimit. Ita ſe rem habere de men-

menſa trapezitica, vel illud argumento eſt, quod ipſe magiſtratus in quibuſdã urbibus eam trapeziticam agit, in aliis agere poteſt, ſed ne agat ipſe, per alium curat agendam, cui ad hoc eam locat. Ergo *τραπεζώνης* eſt Lombardus, id eſt, menſæ publicæ conductor. Menſam quippe ille iſtam de publico conductam habet, pro qua certũ vectigal magiſtratui quotannis reddit. Et cum ſingulares ſint in ſingulis urbibus, quibus menſa civitatis, vel quæ civitati pro privilegio cõceſſa eſt, elocatur ex licitatione, ut alia vectigalia, *μονοπώλιον* quoddã eſt menſæ fœnebris à magiſtratu conſtitutum. Sic olim Byzantii *μονοπώλιον* menſæ cambiatoriæ inſtituerunt, quæ eadẽ fuit cum fœnebri. Ariſtoteles in Oeconomico II. *Τῶν τε νομισμάτων τὴν καταλλαγὴν ἀπέδοντο μιᾷ τραπέζῃ, ἑτέρῳ δὲ οὐκ ἦν οὐθενὶ οὔτε ἀποδόσθαι ἑτέρῳ, οὔτε πρίασθαι παρ' ἑτέρου, εἰ δὲ μή, στέρησις ἦν.* At in aliis urbibus plures erãt, ſed certo tamen numero, modo maiore, modo minore, prout eſſet ampla aut parva civitas, qui menſam fœnebrẽ & campſoriã agitarent. De quo paulo poſt. Publicanos porro eſſe veros, trapezitas iſtos qui *Lõgobardi* vocãtur, quia publicã ac civitatis mensã à magiſtratu conducunt ac redimunt, certũ eſt vel ex nomine quo nuncupantur in cõtra-

ctibus quos cũ magiſtratu celebrant. *Pacter* vocatur qui menſam illam cõducit, id eſt, publicanus, vel publici manceps ac redemptor. Et, quod agit in contrahendo cum magiſtratu, & menſa publica conducenda, *pacten*. Quod eſt conducere, ac redimere. Quæ vocabula ex Latio in Belgium traducta ſunt, ex voce *pactum*. An quia pacta conventa cum magiſtratu faciunt in ea menſa redimenda? Nam *pactum* Latinis generale nomen de omni conventione & contractu. Gloſſæ nomicæ: πάκτον, σύμφωνον. Πάκτον, συνθήκη. Aliter tamen Latinitas recens, & ex ea Græcia vocem *pactum* uſurparunt, & πάκτον. Pro certa quippe penſione quæ ex pacto debetur id verbi acceperunt. Inde pro cenſu, vectigali, reditu, & canone annuo poſitum eſt in illis linguis quæ à Latina derivatæ ſunt. Sed & pro ſolutione, item conductione, ac locatione, ac venditione. Hinc ergo & *pact* Belgice pro cenſu & vectigali, ac tributo. Ex eo *pacter*, vel *pactenaer*, qui aliquid conducit, ex quo penſiones certas debeat locatori reddere. Græcis recentioribus πακτιώτης, tributarius, qui cenſum ac tributum ſolvit. Et populi πακτιῶται, qui ſtipendiarii ſunt alterius populi. Hinc πακτιωτικὸν ἄκτος in formulario

lario Notariorum veteri, actus locati conducti, quo aliquis hortum vel agrum vel vineam alteri locavit, ut conductor ei certũ πάκτον, hoc eſt, penſiones, quotannis ſolvat. Ἄκτος πακτιωτικὸν εἰς κῆπον, hoc eſt, cõtractus pacti ad hortum locandũ. Alibi vocat, ἄκτος ἐκδοτήριον ἔγγραφον εἰς χωράφιον. Differentia tamen eſt aliqua inter ἄκτος πακτιωτικὸν & ἐκδοτήριον, ut inter genus & ſpeciem. Etſi enim πακτιωτικὸν etiam ſit ἐκδοτήριον, non tamen omne ἐκδοτήριον ἄκτος etiam πακτιωτικόν. Non enim πακτιωτικὸς dicebatur contractus locationis, niſi quo conveniſſet certas in numerata pecunia penſiones pro conducto dari. Id enim proprie πάκτον illo Græciæ ævo. Ut in illo ἄκτει πακτιωτικῷ εἰς κῆπον hortus locatur hortulano in tot annos, ea conditione, ut quotannis pendat aureos tot numeratos, ut his verbis ipſius actus continetur: καὶ ἐργάζῃ καὶ εἰσοδιάζεις τοῦτον ἀπερικόπως, καὶ ἀπαρασαλεύτως, μέχρι τῆς τόσων ἐνιαυτῶν ἐκπληρώσεως, παρέχων πρὸς ἐμὲ, καὶ τὸ μέρος μου, λόγῳ πάκτου τοῦ τοιούτου κήπου, καθ' ἕκαστον χρόνον, νομίσματα τόσα, ἃ καὶ ὀφείλεις διδόναι πρὸς ἐμὲ ἐπὶ δυσὶ τοῦ ἔτους καταβολαῖς, ἤτοι κατὰ συμπλήρωσιν ἑκάστου ἑξαμήνου ὑπέρπυρα τόσα. At in illo actu ἐκδοτηρίῳ εἰς χωράφιον, non penſio exigitur

 nume-

numeratæ pecuniæ, ſed tertia pars fructuũ in ſpecie reddenda in ſtipulationem deducitur. Ut his verbis contractus habetur: *παρέχεις πρὸς ἐμὲ, καὶ τὸ μέρος μου, ἀπὸ τῶν γεωργηθέντων γεννημάτων τὰ τρίτα, κἂν τε σῖτος εἴη ὁ γεωργηθεὶς, κἂν τε κριθὴ, κἂν τε ἄλλό τι τῶν γεωργουμένων.* Non igitur locum habuit *πακτωτικὸς* contractus, niſi quando locator ſtipularetur ſibi penſionem in numerata pecunia ſolvi, quod dicebatur *λόγῳ πάκτου*. Sic *πάκτον* illo tempore nihil aliud Græcis ſignificavit quam certum reditũ, vel penſionẽ, vel vectigal in pecunia ſolvendum. Hinc *πακτεύειν*, vel *πακτοῦν*, vel *πακτώνειν*, in certum pactum ſive penſionem pecuniarum aliquid conducere vel locare. Michaël Attaliates in Synopſi cap. XIII, de actione conducti & locati: *Ἔστι δὲ ὅταν τις οἶκον ἴδιον ἢ ἀγρὸν πακτεύσῃ πρός τινα ἐφ᾽ ᾧ λαμβάνειν ἐτήσιον πάκτον.* *Eſt autem locatio cum quis domum propriam aut agrum alicui locat ea conditione ut ab eo accipiat annuum pactum.* Id eſt, penſionem annuam. Accipitur & pro conducere. Unde apud Balſamonẽ, *ἱερώμενοι βαλανεῖα πακτεύοντες*, *ſacerdotes balnea conducentes*. Inde & *pactare* Latinis infimi ævi pro ſolvere. Ex quo noſtrum *payer*. Et *pactagia* pro vectigalibus, à quo *pactagiarii*

giarii, publicani vel portitores qui ea à publico redimunt, *peagers*. Qui & *pactarii*. Unde Belgicum *pacter*. Et verbum *pacten* pro conducere & locare. Sic ergo & hodierni trapezitæ vel τραπεζῶναι potius, publicani ſunt, & publicæ menſæ redemptores, quia nomen hoc habent ab ipſo magiſtratu qui menſam publicam eis locat, &, quod agitur in illa locatione celebranda, vocant *pacten*. Cum hæc ita ſint, facile eſt iam videre, ſi aliqua in illo actu turpitudo eſt adeo nefaria ac deteſtanda, ut auctores ſuos à menſa Domini debeat arcere, & famæ damno ferire, quis magis in culpa ſit, magiſtratus qui locat, an trapezita qui conducit. Hoc ex aliis licet diiudicare, in quibus ſemper maior infamia locatorem conſequitur quam conductorem. Nam qui cauſam rei turpi & flagitioſæ dat, quã qui accipit eaque utitur, longe flagitioſior. Si uſura infamis per ſe eſſet, quis dubitet, magis infamem eſſe cenſendam qui fœnori pecuniam daret quam qui acciperet, etſi nec eſſet extra culpam qui peteret. Leno infamis eſt qui locat & perducit ſcorta; qui autem ea conducit, ac ductitat, etſi male facit, non tamen in numero infamium. Qui hiſtriones ſpectat, non adæque

magnum probrum committit, atque ille, qui ſe ſpectandum præbet, ac ridiculus eſt ut alii rideant. Propiores admoveamus lineas. Si tributa exigere & vectigalia turpe eſſet, an ille turpitudinis & infamiæ nota careret, qui colligenda ea curaret, & populo imponeret? Nihil in eo turpitudinis eſſe quod licitum conceditur, omnes Theologi fatebuntur. Ergo nec ille turpiter faciet qui tributum à magiſtratu vel principe impoſitum, nomine ipſius magiſtratus à ſingulis exiget, quod publicani ſcilicet & portitores faciunt. Quid ſi porro magnitudine tributorum premat princeps ſubditos ſuos, nec paſtores aut miniſtri hoc poſſint adprobare, quod hic eorum erit officium? Quid ad ſe pertinere in tali caſu putabunt, ut populo conſulant, & onus illud quod à principe legitimo ipſi impoſitum eſt nimium, ab eius cervicibus, ſi poſſint, removeant, aut relevent? An tributorum illorum quæ minus gravia cenſent, exactores excommunicabunt, & infamiæ nota percellent? Principem ipſum vel magiſtratũ qui impoſuerit, ne verbo quidem arguere audebunt? Hunc potius moneant, orent, obſecrent, ut velit onus illud relevare miſeris. Si nolit, & rationes afferat cur non

poſſit

poſſit remiſſiora imperare, quid illis amplius relinquetur pręter obſequii gloriam, ut & nobis qui Theologi non ſumus? Ubi à magiſtratu ita diſceſſerint, non tamen eos arripient, quibus ille curam vectigalium colligendorum commiſerit, ut fulminent in iſtos anathemate, dum magiſtratus, qui præpoſuit, qui cauſa eſt oneris & origo, ſine increpatione manet, nedũ pœnam ab his incurrat. Quid aliud agunt qui fullonem feriunt, ut faber cadat, ut eſt in veteri proverbio? Haud ita decet προσωποληπτεῖν viros ſanctiſſimos quibus cura gregis Chriſti commiſſa eſt, ut amplius peccantes minus caſtigent, & minus aberrantes ſeverius coërceant, cum ex illo grege, quem ſpiritali baculo regunt, æque ſint principes & reliquæ poteſtates, quam quibus illę pro iure ſuo imperant, & quorum miniſterio utuntur. Iam ſatis igitur conſtat, ſi trapezitica fœneratio infamis eſt & ἀποσυνάγωγος, utramque pœnam magis ex merito debere incurrere qui eiuſmodi fœnebres menſas erigunt, & eas locant licentibus, quã qui contra licentes licitatione vicerint, & eã à magiſtratu precio maiore oblato redemptam habuerint. Totum quippe in eo ſitum eſt, ut ſciatur, utrum iſti trapezitæ privati ſint, qui pro-

prii quæſtus gratia impetrent à magiſtratu prece vel pretio ut in civitatibus menſas ſibi ſuas liceat inſtituere, an potius illæ menſę ad urbes pertineant, & à magiſtratu elocentur, ut reliqua vectigalia, τοῖς ὑπερθεματίζουσι, vel contralicentes ſuperantibus. Hoc potius eſſe, immo ſolum hoc eſſe verum, ex his, quæ iam produximus, quæque alibi, ſi opus ſit, ſumus producturi, ſatis ut opinor, conſtat. privilegium nempe eſſe hoc urbibus datum, ut habere menſam poſſint quam vulgo vocant *Tafel van leeninge*. Id eſt, menſam mutuationis. In Caroli reſcripto Gallice conſcripto pro elocanda menſa Dordracenæ civitatis vocatur *Table de preſt*. Id eſt, *menſa præſtiti*. Ita enim commodatum appellant, vel mutuum, leges Barbaricæ ſub extremo Latinitatis ævo conditæ à populis ſeptentrionalibus qui Romanum invaſerunt imperium. Ad utilitatem autem civiũ pauperum, aut inopia temporaria laborantium, id privilegii liquet indultum civitatibus. Nam ut ipſe Molinæus benę dixit in tractatu de uſuris, *omnium intereſt uſum aliquem æris alieni cuivis patere promiſcuum, & commercium eius eſſe parabile tam ad negotiandum, quam inopinatis caſibus occurrendum.* Si ſolis enim privatis liceret pecuniam

niam quam habent ſuperfluam fœnori dare, non omnibus inde copia promiſcue pateret. Nec enim privati hominis opes omnibus poſſunt ſufficere. Sed nec voluntas cuilibet commodandi privato ſemper ineſt. Plurimum igitur refert, eſſe aliquos in urbibus, qui id agant ex profeſſo, & ex inexhauſto quaſi puteo perennis ſcaturiginis redivivos cuivis nummos ſuppeditent. Atque ut mercatores eſſe oportet qui merces ſemper habeant paratas & expoſitas empturientibus, ita & fœneratores, quibus pecuniæ perpetuo præſto ſint, ex eorum menſa mutuum ſumere volentibus in promptu poſitæ. Sed hæc differentia erit inter mercatores atque huiuſmodi publicos fœneratores, qui *trapezitæ* Græcis vocabantur, quod cuilibet qui poſſit officinam vel tabernam aperire cuiuſcunque mercis, id etiam illi licet. Non idem autem eſt de trapezitis. Sed nec fuit olim. Ne quis hic putet novum hoc ius eſſe quo magiſtratus erigit menſas fœneratorias in ſuis urbibus, eaſque locat privatis, qui publicum hoc habent miniſterium. Hoc quidem novum de locatione, & quod menſa ipſius eſt magiſtratus: ſed quod qui trapeziticam agunt, eam iuſſu & auctoritate populi, vel magi-
ſtratus

ſtratus qui populo præeſt eumque repræſentat, agere debet, & perſonam publicam gerit, hoc ius perpetuum fuit tam apud Græcos quam apud Latinos. Nemini quippe licuit τραπεζιτεύειν in urbibus Græciæ, aut *argentariam agere* apud Latinos, niſi auctoritate publica. Eam autem nunc dare debet Rex aut Princeps, vel Ordines, qui loco Principis ſunt. Magiſtratus urbium qui ſupremam poteſtatem non habent, eam facultatem habendæ in ſuis urbibus menſæ accipere debent ab illo cuius ſumma eſt auctoritas & imperium. Inde & civitates Belgii fœderati ius id vel privilegiũ acceperunt ex decreto Ordinũ generalium, facto in Comitiis Gorcomii, habitis XVII Novembris, anno cIↄ Iↄ LXXVII. Cuius decreti hæc verba ſunt: *Ad relationem ab Ordinibus receptam ſuper exercitio menſarum fœnebrium in Hollandia ac Zelandia, ab iiſdem Ordinibus declaratum eſt, ac conſtitutum, ut in omnibus dictarum Provinciarum, eiuſmodi Chriſtianus, politicus ac reformatus ordo ac modus, in cauſa eiuſdem fœnerationis in poſterum quæri, ſtatui atque obſervari poſſit, prout ad maximam commoditatem, & minimam læſionem civium cum decore & emolumento earumdem civitatum pertinebit. Ad quam rem urbium magiſtratibus per hæc po-*

teſtas

teſtas tribuitur. Ergo magiſtratus urbium fœderatarum accepta hac ab Ordinibus generalibus poteſtate, poteſt, prout & ipſis conſultius, melius, æquiuſque viſum fuerit, menſam illam fœnebrem per ſe exercere, præfecto ei muneri aliquo de ſuo corpore qui eam exerceat, aut aliis locare exercendam. Fruſtra igitur Theologus noſter, vir præſtantiſſimus, in Theologica de uſuris inſtitutione cap. VI, damnat privatos menſam erigentes. Damnat quippe quod nuſquam eſt, & quod nuſquam fuit, nec eſſe de iure poteſt. Sic igitur ſcribit: *Agnoſcimus lubentes, neceſſariam eſſe cautelam, ne ex frequentatione uſurarum neglecta vera mercatura, aliquid detrimenti capiat reſpublica. Ac merito odioſam eſſe negotiativam uſuram quando in lucratoriam degenerat, id eſt, quando homines privati mercaturam non profitentes nec aperientes officinam, vel tabernam mercatoriam, menſam tamen erigunt uſurariam, qua de ſola pecunia tuto ſine ſuo periculo quæſtum faciant, atque in eo ſolo negotio induſtriam ſuam occupent. Eſt hoc ſane illiberale, reipublicæ perniciosum, & iure Iuſtinianeo vetitum.* Bene ſane factum fateor, quod in tales invehitur, ſi uſpiam nunc tales invenirentur, aut olim inventi eſſent, qui menſas ſuo nomine inſtituerent, & fœnus exercerent privatum,

vatum, ſine populi permiſſione aut magiſtratus auctoritate, ut ſolent plerique aliarum rerum ac ſpecierum negotiatores. Non ſolum Iuſtinianeo iure vetita huiuſmodi privatorum τραπεζιτικὴ, ſed etiam more & inſtituto omnium fere populorum, apud quos menſariorum munus in uſu fuit. Sed an poteſt negare, publicam τραπεζιτικὴν à Iuſtiniano fuiſſe permiſſam? Non poteſt ſane, niſi ſtatim vellet teſtimoniis ἀναντιῤῥήτοις & ἀῤῥήκτοις refelli. Qui hodie trapeziticam in urbibus Hollandiæ & Zelandię ex decreto illo Ordinum faciunt, & magiſtratus urbani auctoritate, non eſſe privatas perſonas quę menſas illas erexerint, vel hoc advertere debuit vir doctiſſimus, quod in ſingulis urbis ſinguli tãtum extent. Unde enim hæc ſingularitas illorum in magnis æque ac parvis urbibus ſervari tam exacte poſſet, niſi μονοπώλιον menſæ eſſet à magiſtratu inſtitutum? Si enim privatis hoc liceret, permittente tantum aut etiam connivente magiſtratu menſam uſurpare, plures ſane id attentarent, præcipue in amplioribus civitatibus, ut eſt Amſtelodamum. Præſertim cum tantũ, tam facile, & tam paratum & abundans lucrum ex illo quæſtu eſſe velint, nemo non ſane ambiret privatorum hanc men-

menſæ erigendæ licentiam impetrare vel prece vel pretio vel gratia magiſtratus, cũ genus ſit negotiationis valde otioſum, & ſine periculo, in quo non nemo induſtriam ſuam occupare ſatageret. Fuiſſe ſemper, ut nunc eſt, publicũ hoc munus, ſive miniſteriũ, à perſonis publicis geri ſolitum, nunc paucis probandum eſt. Qua de re nos nonnulla iam in libro de Uſuris diximus cap. XVII. Quo minus multa hic erunt dicenda. Græci veteres τραπεζίτας eos vocarunt, à menſa lignea quam habebant, in qua erant expoſiti nummi vel ad vendendum vel ad locandum, id eſt, fœnore dandi vel permutandi. Utrumque quippe munus antiquitus iidem habuere, pecuniæ commutandæ, quam ἀλλαγὴν vocabant, vel κόλλυβον, Latini etiam *collybum & cambium*, vel ſub uſuris commodandæ, qui eſt δανεισμός. Tam δανειστικὴ igitur quam καταλλακτικὴ, fœneratoria & commutatoria ars, eiuſdem muneris ac profeſſionis fuit. Inde τραπεζῖται, id eſt, *menſarii*, Græcis appellati, quia menſa eorum ad utrumque uſum expoſitos, ut dixi, nummos habebat. Certus eorum numerus erat in ſingulis Græciæ civitatibus, prout eſſent amplæ aut exiguæ, maior aut minor. A populo creabantur apud quaſ-

quaſdam civitates, ut in illa de qua Cicero pro Flacco: *Cum civitate mihi res eſt acerrima, & conficientiſſima litterarũ, in qua nummus commoveri nullus poteſt ſine quinque prætoribus, tribus quæſtoribus, quattuor menſariis, qui apud illos à populo creantur.* De Trallianis loquitur. Dicit *apud illos*, quia non ubique ſic creabantur & conſtituebantur trapezitæ. Paulo poſt, menſam illam, *publicam* vocat, cuius exercitores à populo creari ſolebant, his verbis: *Si prætor dedit ut eſt ſcriptum, à quæſtore numeravit, quæſtor à menſa publica; menſa aut ex vectigali aut ex tributo.* Ergo & vectigalia & tributa ad eam menſam ponebantur, haud ſecus ac privatorum pecuniæ, ut lucroſæ eſſent reipublicæ. Fortaſſe etiam deponebatur ad menſam ſine uſuris, ut etiã ſæpe privatorum pecunia. Perſonale igitur ibi munus fuit, menſæ exercitio. Hoc dico, quia alibi, ut apud Alexandrinos, erat patrimoniale. Omnia enim huiuſmodi publica munera vel civilia, quæ curationem habebant, honorem ac poteſtatem non habebant, partim perſonalia fuere, partim patrimonialia, ut eſt apud Arcadium leg. XVIII. D. de muneribus & honoribus. Fuere & mixta, ſed de illis nihil hoc loco. Perſonalia eſſe definit, *quæ animi*

pro-

proviſione, & corporalis laboris intentione, ſine aliquo gerentis detrimento perpetrantur, veluti tutela & cura. Hæc curationum officia proprie dicta, quæ inter honores ſive dignitates, non nominabantur. Ἔργα erant, id eſt, ἐπιμέλειαι, non ἀξίαι, nec ἐξουσίαι. *Kalendarii,* inquit, *quoque curatio & quæſtura in aliquibus civitatibus inter honores non habetur, ſed perſonale munus eſt.* Ita Cicero *poteſtates* ac *curationes* diſtinguit, de lege Agraria contra Rullum: *Etenim cum omnes poteſtates, imperia, curationes, ab univerſo populo Romano proficiſci convenit, tum eas profecto maxime quæ conſtituuntur ad populi fructum aliquem & commodum.* Talis eſt menſæ publicæ adminiſtratio. Paulo infra in eadem oratione. *Licinia eſt lex, atque altera Aebucia, quæ non modo eum qui tulerit de aliqua curatione ac poteſtate, ſed etiam collegas eius, cognatos, affines, excipit, ne eis ea poteſtas curatiove mandetur.* Vis exemplum quomodo curatio à poteſtate diverſa ſit, id eſt, ἐπισκοπὴ ἀπὸ τῆς ἐξουσίας? Aquarum cura & aquæductuum primo olim penes ædiles ac cenſores fuit. Hæc poteſtas erat, id eſt, ἐξουσία. Poſtea per Auguſtum inſtituti curatores, qui hoc publico fungerentur miniſterio. Hæc, curatio, & ἐπισκοπή. Vide Frontinum de Aquæductibus. Arcadius:

Sed & cura cuſtodiendi aquæductus perſonalibus muneribus adgregatur. Talis etiam cura viarum frumentique apud Romanos, quibus peculiares curatores dati. Arcadius : *Cura quoque emendi frumenti, olei, nam harum ſpecierum curatores quos σιτώνας & ἐλαιώνας appellant creari moris est, inter perſonalia munera in quibuſdam civitatibus numerantur.* Dicit, in quibuſdam civitatibus ea perſonalia munera eſſe, quia in aliis fuere patrimonialia. Eos curatores Frontinus viarum frumentique, quarta parte anni publico eo miniſterio fungi ſolitos ait. Sic *Argentariorum*, id eſt, τραπεζιτῶν, publicum fuiſſe miniſterium Ulpianus dixit. Arcadius: *Si quis electus fuerit ut compellat eos qui prope viam publicam poſſident, ſternere viam, perſonale munus est.* Ita ergo apud Trallienſes & in aliis multis urbium Aſiæ & Græciæ, Menſæ publicæ exercitores, publicū, ſed perſonale munus ſuſtinebant, quia nihil de ſuis conferebant facultatibus in illo munere exercendo, ut in patrimonialibus ſolitum muneribus. Et hoc eſt quod vulgo teſte Apoſtolo iactabatur, εἴτις ἐπισκοπῆς ὀρέγεται, καλοῦ ἔργου ἐπιθυμεῖ. *Si quis curationem expetit, pulcrum munus deſiderat.* Quem ἀνθρώπινον λόγον eſſe dicit. Ita enim vulgo homines

dicebant

dicebant de his curationibus quæ perſonalis erant muneris, ad differentiam eorum quę patrimonii, & in quę impendium faciendum ex propriis facultatibus. Nam econtra in perſonalibus prętcrquam quod ſine detrimento gerentis perpetrabantur, ut ait Arcadius, etiam ex publico ſtipendium accipiebant, ut curatores aquarum, viarum, frumenti, & aliæ. Si quis velit definire ἐπισκοπὴν Eccleſiaſticam, non melius queat, quam ex verbis ejuſdem Arcadii, id eſſe munus, *quod animi proviſione, & corporalis laboris intentione ſine aliquo gerentis detrimento perpetratur.* Nam ἐπισκοπὴ proprie animi proviſio eſt, & corporalis laboris intentio, & curatio. Paulus munus Epiſcopi facit, τὸ ἐπιμελεῖσθαι τῆς ἐκκλησίας. Unde ἀλλοτριεπίσκοποι apud Petrum Epiſt. I. cap. IV. qui res alienas curant, & quæ nihil ad ſe attinent. Quo hominum genere nihil eſſe pernicioſius etiam Comicus dicit. Sic *Epiſcopi* etiam dicebātur Latinis, *qui*, teſte Arcadio, *præerant pani & cæteris venalibus rebus quæ civitatum populis ad quotidianum victum uſui erant.* Hique etiam perſonali munere fungebantur, nec inter honores hoc munus, aut poteſtates ponebatur, ſed curationes. Et ſane *curare* ex etymo vocis nihil aliud eſt

 quam

quam providere atque ἐπισκοπεῖν, ut alibi dicam. Unde qui ἄθλων ἐπιμεληταὶ Græcis, iidem & ἄθλων ἔφοροι, ἐπόπται, προςάται, ἐπίσκοποι Polluci. Quem vide lib. III. cap. XXX. Vide & quæ de προςασία ſupra diximus, ac προςάταις. Sed & medicus ἐπισκοπεῖν νοσοῦντα dicitur, dum eum curat. Verum de his alias. Preſbyteri in ſynagoga Iudaica etiam iudicandi poteſtatẽ habuerunt: at in Chriſtiano preſbyterio Epiſcopi curationem tantum. Unde & ἐπίσκοποι ſunt appellati, id eſt, curatores. Proviſione quippe animi, & corporalis laboris intentione, partim in docendo populo, partim in diſpenſandis rebus Eccleſiæ, & ſacramentis adminiſtrandis, erant occupati. Ubi vero dignitas eſſe cœpit & honos, quod olim curatio tantum fuerat, id eſt, ἐπισκοπὴ, tum ea officia quæ curationis erant, certis perſonis attributa ſunt, quæ non crearentur per manuum impoſitionem, ſed per promotionem, id eſt, προβολὴν, ut *œconomi* Eccleſiæ, & *defenſores*, qui Græcis ἔκδικοι. Atqui hæc duo partem olim fecere primis Eccleſiæ temporibus preſbyterorum officii atque ἐπισκοπῆς, cum id munus curationis eſſe, non honoris aut poteſtatis, in iis qui eo fungebantur, crederetur.

Poſtea

Poſtea diſtincta ſunt hæc officia in Eccleſia, ἀξίας, καὶ φροντίσματος, *dignitatis & officii, ſive curationis.* Canone 11. Synodi Chalcedonenſis, ἀλλ᾽ ἔστω ἀλλότριος τῆς ἀξίας καὶ τοῦ φροντίσματος. *Sed alienus ſit à dignitate vel curatione quam pecuniis quæſierit.* Philoxeno *officium* φρόντισμα eſt. Ἀξίαν dicit de epiſcopatu, presbyterio & diaconatu: φρόντισμα de œconomis Eccleſiæ, defenſoribus, & παραμοναρίοις. In actione prima Concilii ſub Mena, culpatur Anthimus, quod putaret, epiſcopatum non eſſe πνευματικήν τινα ἐπιμέλειαν, ἀλλ᾽ οἷόν τινα πολιτικὴν ἀρχήν. De his alibi. Publica Menſa in multis urbibus Græcię perſonale munus fuit ac publicum miniſterium. Ideo à populo creabantur. Non eſſe ſimile munus quod hodie habent Longobardi in urbibus Belgii fœderati, arguent ſi forte qui eos pati non poſſunt. Ἐργασίαν quippe potius eſſe ac quæſtum, quam officium publicum. Ut inter perſonalia munera non numerat Arcadius publicanos, nec portitores, quia id munus pecunia redimunt à republica. Ergo nec menſarios in eum numerum eſſe adgregandos qui publicam menſam conducunt. Olim in Græcia, cum perſonale munus eſſet, à populo creabantur. Nihil dabant in promotionis auctoramen-

tum. Sic & curatores eligebantur ad colligendos civitatum publicos reditus, *qui perſonali muneri*, ut ſcribit Arcadius, *ſubiungebantur*. Non id munus à publico redimebant, ſed ad hoc eligebantur, nec quæſtus ex eo munere faciebant, ſed emolumentum ex publico percipiebant, ut alii curatores, aquarum, viarum, frumenti, annonæ ſuſcipiendæ, publicis muneribus officiiſque præpoſiti. Commoda enim accipiebant ex ærario aut fiſco. At contra iſti aliquid fiſco & ærario inferunt, ut munus illud adipiſci valeant. Nihil illi conferebant preter operam ſuam, diligentiam ac ſtudiũ, muneri à republica demandato. Iſti menſam publicã ſua pecunia inſtruunt, & quotannis certum canonem publico dependunt, cum illi è contrario publicam penſionem acciperẽt pro opera quam officio impendebant. Officium ſuum iſti redimunt à magiſtratu, gratis illa officia ac munera perſonalia ac civilia perſonis ea curaturis committebantur. Certe hodie apud nos omnia curationum officia & dignitates, exceptis militaribus, & pauciſſimis militiæ togatæ, à Principe emũtur, aut à privatis qui à Principe eas redemerint. Hic mos eſt & vitium ſæculi. At olim, ut ait Paulus lege xv, D. de

D. de Muneribus, *Aeſtimatio honoris aut muneris in pecunia pro adminiſtratione offerẽtis non audiebatur.* Nulla itaque hodie ſunt huiuſmodi nobis nota munera perſonalia qualia ea definiuntur ab Arcadio, ad quæ adminiſtranda iis quibus commiſſa ſunt pecunia & impenſæ ſubminiſtrentur ex publico, cum illi ſolam operam corporalem cum animi ſtudio & intentione præſtare tenerentur. Publica autem menſa, ſicut hic exercetur ab illis qui eam conduxerunt à magiſtratu, vectigalium potius locationi, quam muneri publico perſonali ſicut à veteribus definitur, reſpondere videtur. Illam quippe redimunt ut aliud vectigal. Impenſis ſuis menſam inſtruere debent, & inſtructam nummis ſemper habere, & præterea magiſtratui pro ea vectigal pendere. Ne ſi gratuita quidem his traderetur adminiſtranda, ſimilis eſſet perſonalibus illis veterum muneribus. Nam ſumptus facere coguntur de ſuo ad ædes conducendas in quibus pignora cuſtodiantur, ad famulorum mercedes qui menſæ inſerviunt, & alia. At curatores ac præfecti munerum perſonalium apud veteres nihil de propriis facultatibus in munus ſibi commiſſum impendebant, ſed & familiæ miniſtriſque quorum opera utebantur

bantur ad functionem muneris, ex ærario commoda dabantur. Ut autem exercetur apud Amſtelodamenſes, qui hominẽ conſtituunt per quem ſuo nomine menſa adminiſtretur, muneris ea plane perſonalis eſt. Nam homo ille nihil prorſus de ſuo ad menſæ exercitium impendit, niſi operam & diligentiam. Tales fuere & Menſarii illi Quinqueviri Romæ olim creati ad ſolutionem alieni æris ac relevationem inopum fœnore oppreſſorum. *Novi conſules*, inquit Livius, *fœnebrem quoque rem quæ diſtinere una animos videbatur, levare aggreſſi, ſolutionem æris alieni in publicam curam verterunt, Quinqueviris creatis, quos Menſarios ab diſpenſatione pecuniæ appellarunt.* Alio tẽpore & Triumviri Menſarii creati qui penuriæ argenti ſubvenirent. Menſa etiam Trallianorum publica, ad quam curandam & agendam quattuor trapezitæ à populo creabantur, huius generis fuit, ut perſonalibus muneribus adgreganda videatur. Nam vectigalia & tributa ad eam deferebantur, quibus inſtructa erat. Unde etiam ſolutiones publico nomine faciendæ ex ea fiebant, ut ex Cicerone liquet pro Flacco. Apud Alexandrinos vero Menſa non perſonalis muneris fuit, ſed patrimonialis oneris, ut ex eodem

Arca-

Arcadio conſtat, lege qua ſupra, D. eodem. *Patrimoniorum*, inquit, *ſunt munera quæ ſumptibus patrimonii & damnis adminiſtrantis expediuntur. Elæemporia & Aſpratura apud Alexandrinos patrimonii munus exiſtimatur.* Ita legendum, non ut vulgo eſt, *Oſpratura*. Et nugantur qui ἀπὸ τῶν ὀσπρείων deducunt, & qui alias lectiones excogitant & interpretantur. *Aſpratura* eſt collybus, ut etiam Philoxenus in optimis Gloſſis exponit. At collybi menſa ſemper etiam habuit adiunctum publicum fœnerandi munus. Ea patrimonii munus apud Alexandrinos habebatur, quia ditioribus mandabatur eius exercitium. Et ſane divitem eſſe oportet qui menſam inſtructam nummis perpetuis habere debet, ſive qui vendantur ac permutentur, ſive qui locentur ac fœnori dentur. Oneroſum plane munus, & quod Alexandriæ ita divitibus iniungebatur, ut defugere illud non poſſent. Frequenter enim obnoxii erant fori ceſſioni, quam ἀνασκευὴν τραπέζης vocabant, vel ἀνασκευασθεῖσαν τράπεζαν, nos *bancam raptam*. Plautus in Perſa:

Mirum quin citius iam à foro argentarii
Abeunt, quam in curſu rotula circumvertitur.

Id eſt, foro cedunt. Conſtat etiam vel

iudicio Atticorum, qui inſignes erant fœneratores, quæſtum hunc fœneratorium trapezitarum admodum ancipitem & periculoſum fuiſſe, adeo ut multi præferrent aliam quamlibet artem, non ut magis quæſtuoſam, ſed ut lucrum magis certum reddituram. Ideo & filii Paſionis trapezitę in partienda paterna hæreditate, cum maior natu Apollodorus optionem haberet de duobus alterum eligendi, aut menſam, aut ſcutariam, id eſt, fabricandorum clypeorum officinam, ἀσπιδοπήγιον potius optavit, quamvis minus lucroſum. Nam ſcutaria reddebat tantum talentum, id eſt, ſexaginta minas, menſa autem centum minas. Οὔτε γὰρ πρόσοδος ἦν πλείων, ἀλλὰ ἐλάττων. τὸ μὲν γὰρ, τάλαντον, ἡ δὲ ἑκατὸν μνᾶς ἔφερεν. Prudentius tamen feciſſe ait ibi Rhetor Apollodorum qui ἀσπιδοπήγιον pro parte ſua elegerit, & rationem addit, τὸ μὲν κτῆμα ἀκίνδυνόν ἐστι, ἡ δὲ, ἐργασία προσόδους ἔχουσα ἐπικινδύνους ἀπὸ χρημάτων ἀλλοτρίων. *Scutaria enim, poſſeſſio ſine periculo, at Menſa quæſtus eſt, cuius reditus ſunt ancipites utpote ex alienis pecuniis.* Non ergo mirum, ſi in quibuſdam civitatibus tam periculoſa functio munus facta ſit vel onus patrimonii. Ut ἐλαιεμπορεία autem ſive ἐλαιωνία alibi munus fuit perſonale, alibi patrimonii, ita & menſa

menſa κυλλυβιστικὴ, ſive *aſpratura*. Menſæ olearię æque dicebantur, ut menſæ argentariæ, in quibus nimirum oleum vendebatur. Qui in dominio ſuo menſam oleariā habebat, ius habere intelligebatur ἐλαιωνίας. Cōſtantinus leg. unic. Cod. Theod. De menſis oleariis: *Si quis autem menſam oleariam in dominio ſuo retinens vivendi curſum impleverit, eandem menſam ad ſucceſſores proprios cum reliquis rebus hæreditario iure poterit tranſmittere.* Immo & debuiſſet, ſi collegiati ac corporati olearii vel oleariarum menſarum exercitores & ἐλαιέμποροι, id eſt, in collegium & corpus quoddam certo numero redacti, cui eſſent ſemper obnoxii & addicti. Tales fuere illo ævo argentarii nummulariique, adeo ut aliam profeſſionem affectare nec poſſent, aut ad ullam militiam aſpirare, præter illud munus quod eis incumbebat. Ut apparet ex lege Theodoſii & Valentiniani, quæ in codicem Iuſtiniani relata eſt, de collegiatis: *Qui ſub prætextu decanorum, ſeu collegiatorum, cum id munus non impleant, aliis ſe muneribus conantur ſubtrahere, eorum fraudibus credimus eſſe obviandū, ne quis ſub ſpecie muneris quod minus exequitur alterius muneris oneribus relevetur, ne argentariorum, vel numulariorum munera declinentur ab his qui dici tantummodo*

modo collegiati vel decani feſtinant. Ex his conſtat, argentariam menſam tunc munus fuiſſe patrimonii, & onus quod declinare non liceret illis qui in eum numerum ac collegium adlecti eſſent. Quod & idem tunc juris fuit de aliis negotiatoribus in certum corpus ac collegium congregatis, & hoc munus quaſi publicum ſibi iniunctum ex conditione collegii cui erant addicti, habentibus. Iuſtinianus hos negotiatores militare omnino vetuit, & ad quamcunque militiam aſpirare, ſed argentariis, cum idem circa illos obſervaretur, hoc privilegii conceſſit reſpectu utilitatis quam omnibus exhibent, ut ſola armata abſtinerent, ad reliquas dignitates aditum haberent. Nec omnibus tamen argētariis hoc indulſit, ſed ſolis illis qui in urbe Conſtantinopolitana negotiarentur: provincialibus negatum. *Eos*, inquit, *qui vel in hac alma urbe vel in provinciis cuidam ergaſterio præſunt, militare de cætero prohibemus, exceptis argenti diſtractoribus, qui in hac alma urbe negotiantur. Hos enim, utpote utiles omnium contractibus, armata quidam militia penitus abſtinere ſancimus, aliam vero quamcunque ſine metu præſentis ſanctionis poſſe ſibi acquirere.* Ubi militia eſt στρατεία & quælibet dignitas togatæ vel armatæ militiæ. Suidas:

das : στατεία, ἀξίωμα. Hac lege Iuſtinianus omnibus omnino negotiatoribus corporatis, tam Conſtantinopolitanæ urbis, quam in provinciis negotiantibus, militia omni interdicit, & argentarios ſolos Conſtantinopolitanos, non item provinciales, ab armata tantum militia ſancit abſtinere, non etiam alia quacunque. Lex Theodoſii quam ante poſuimus, iubet, ut, *ſi quis argentarius vel nummularius ſub nudæ appellationis velamine collegiatim ſe vel decanum appellat, ſciat pro ſe alium ſubrogandum qui prædicto muneri ſufficiens adprobetur.* Ergo etſi quis argentarius, ex illa Iuſtiniani conſtitutione, qua eis permiſit ad quamcunque militiam excepta armata tranſire, profeſſionem trapeziticam deſeruiſſet, ut aliquam dignitatem ſibi licitam ambiret, debebat alium ſubrogare qui ei muneri par eſſet adprobatus. Poterant itaque alii vendere menſam vel tabernam qui id munus pro ſe impleret, vel etiam locare, vel gratis exercendam concedere. Hinc qui tabernam argentariã vendebat, intelligebatur ius ipſum vendere exercendæ argentariæ. Ulpianus leg. XXXII. de contrahenda emptione : *Qui tabernas argentarias, vel cæteras quæ in ſolo publico ſunt, vendit, non ſolum, ſed ius vendit.* Locationis,

hoc

hoc eſt μισθώσεως Menſæ alii factæ, mentio extat apud Demoſthenem in Oratione pro Phormione. Is ſervus fuerat Paſionis trapezitę, & in menſa eius exercenda adminiſter. Is libertatem adeptus menſam etiam à Paſione conduxerat, εἰς ὡρισμένον χρόνον τινά, ut eſt in argumento orationis ſupraſcriptæ. Certo numero fuere in omnibus urbibus Gręciæ, nec aliter eo munere fungi vel eum quæſtum cuiquam facere licuit niſi publica auctoritate. Quod etiam apud Romanos inſtitutum. Nam & Ulpianus leg. x. D. de Edendo, Argentariorum officium atque miniſterium publicam habere cauſam dixit. *Ideo*, inquit, *Argentarios tantum, neque alios ullos abſimiles eis edere rationes cogit, quia officium eorum atque miniſterium publicam habeat cauſſam.* Publicum officium ac miniſteriũ eſſe, per hæc indicat. Non alia autem facta aut habita miniſteria atq; officia publica ἐργαστῶν, pręter ea quorũ utilitas maxime ſpectata eſſet, & ex quibus tãtũ commodũ in rempublicam redundare exiſtimaretur, ut neceſſaria omnino exiſterent. De utilitate eorum non aliter iudicavit Iuſtinianus Novella cxxxvi, περὶ ἀργυροπρατικῶν συναλλαγμάτων, in præfatione de Argentariis; qui ei ſupplices fuere

περὶ

περὶ πολλῶν κεφαλαίων, βοηθείας αἰτοῦντές τυχεῖν, οἷα καὶ αὐτοὶ πολλοῖς ἑαυτοὺς παρεχόμενοι χρησίμους, ἐξ ὧν ἀντιφωνήσεις καὶ δανείσματα ὑπάρχονται παντὸς κινδύνου μεστά. *De multis nos capitulis petierunt, potiri cupientes auxilio, ut qui multis ſe utiles præbeant, unde & ſponſiones & mutui obligationes periculo plenas ſubeunt.* Hoc eſt quod etiam dixit Demoſthenes, τραπεζίταις ἐπικινδύνους ἔχειν ἐργασίας, *quæſtũ habere periculoſum.* At noſter Theologus ſine periculo eos quæſtum facere ſcribit, eoque maxime nomine damnandos cenſet. Idem Iuſtinianus lege unica Cod. negotiatores ne militent, Argentarios ſola armata militia abſtinere ſancit, cum cæteros negotiatores ab omni iuberet, quia, inquit, *utiles ſunt omnium contractibus*, vel *omnibus*, ut in aliis legitur. Idem Edicto VII. cap. IV. dicit, quæ privilegia conceſſit Argẽtariis, iiſq; quibuſcum contrahunt, communem & publicam ſpectare beneficentiam, εἰς τὴν κοινὴν σωτηρίαν εὐεργεσίαν, οἷα αὐτῶν οὐκ ὀλίγοις ποσὶν, ἀλλὰ πᾶσιν ἐν πάσῃ σχεδὸν τῇ πολιτείᾳ γινομένοις συναλλάγμασιν ὑπουργούντων. *Ideo quod ille non paucis quibuſdam, ſed omnibus ferme qui in univerſa republica fiunt contractibus miniſterium præſtant.* De eorum utilitate ex eodem Iuſtiniano & aliis veteribus etiam ſupra diximus nonnulla: quæ in eo pręcipue ſpecta-

ſpectabatur, quod omnibus & præſertim pauperibus pecunias darent mutuas. Idem Edicto IX. cap. V. vitam eorum conſiſtere ait in dando argento ſub uſuris & accipiendo. Ne quis noſtro Theologo ſimilis argutetur, Argentarios illorũ temporum non eſſe eoſdẽ cum trapezitis Græcorum. διὰ τὸ, inquit, τὸν βίον αὐτοῖς ἐν τῷ δανείζειν, καὶ τῷ δανείζεσθαι καθεστάναι. Et ſane Plautus in ſuis comœdiis, quæ palliatæ ſunt, id eſt, Græcæ, interdum *Argentarios* vocat nomine Latino, interdum retenta Gręca appellatione *trapezitas* eoſdem appellat. At Græci recentiores Conſtantinopolitani imperii ex Latina illa voce *Argentariorum* ſuos fecere ἀργυροπράτας. Vis enim & proprietas illius vocis *Argentarius* argenti diſtractorem vel venditorem notat, ut *veſtiarius* eſt qui veſtes vendit, *lintearius* qui lintea, & ſimi ia. Vtrunque autem munus habebant tam apud Latinos quam apud Gręcos, qui non ſolum pecunias locarent, quod eſt fœnerare, ſed etiam venditarent, quod eſt permutare. Notione argenti vendendi ſive permutandi Latini *Argentarios* nuncuparunt, Gręci à menſa, id eſt, inſtrumento artis, in qua expoſitę erant pecunię, tã ad locandum, quam ad vendendum, τραπεζίτας. Theologus optimus, ut hanc

hanc artem infamaret, dicit, honeſtius nomen non reperire quo ſe commendent quam ut vocentur *trapezitæ*. An non ſatis hoc honeſtum? Menſarii ſunt de verbo ad verbum redditi. Atqui qui ex ſenatu, & magiſtratu etiam functis, creati ſunt aliquando Romæ Triumviri ad diſſolvendum æs alienum pauperum, aut Quinqueviri ad extricandam difficultatem rei nummariæ, non alio ſe nomine appellari voluerunt quam Menſarios, id eſt, τραπεζίτας. Num turpius eſt, ſi ſolam appellationem ſpectes, τραπεζίτου aut Menſarii nomen, quam officinatoris, tabernarii, inſtitoris, negotiatoris denique ac mercatoris? Etiam Iudæi שלחני, id eſt, menſarium, à שלחן, quæ eſt menſa, vocarunt. Nullũ unquã munus, officiũ, aut miniſterium, quod ob neceſſarium ſui uſum ex publica utilitate, ut publicum haberetur, receptum eſt, inhoneſtum aut turpe iudicatum eſt. Tale olim, ſive Argentariorum, ſive trapezitarũ, officium & munus fuit in iis civitatibus quæ eos ob eandem utilitatem publicam receperunt. Papinianus leg. VIII, D. Depoſiti. *Quod privilegium exercetur non in ea tantum quantitate quæ in bonis Argentarii ex pecunia depoſita reperta, ſed & omnibus fraudatoris facultatibus: idque propter neceſſarium uſum*

 Argen-

Argentariorum ex utilitate publica receptum eſt. Tam neceſſarium munus non potuit non videri honeſtiſſimum. Et ſane in Græcia honeſti doctique homines, atque etiam philoſophi, garriendi gratia in eorum tabernis plerumque deſidebant totos dies, ut hodie fit in officinis librariorum. Hinc ille ſenex in Aſinaria Plauti ſervo dicit, ſi ſe quæreret, futurũ apud Argentariũ in foro.

DE. *Audin tu? apud Archibulum ego ero Argentarium.*

LI. *Nempe in foro.* DE. *Ibi, ſi quid opus fuerit.* LI. *Meminero.*

Item in fine:

Sed quid ego ceſſo ire ad forum, quo inceperam?

Ibo, atque ibi manebo, apud Argentarium.

In Epidico ſervus ſe defatigatum queritur quærendo domino,

Per medicinas, per tonſtrinas, in gymnaſio, atque in foro,

Per myropolia & lanienas, circumque argentarias.

In medicinis, id eſt, ἰατρείοις: & in tonſtrinis, κουρείοις: ac myropoliis, Argentariiſque, id eſt, τραπεζιτῶν ἐργαστηρίοις, ut plurimum ſolebant verſari homines honeſtiores & otioſi, ut de rebus variis ibi ſermocinando tempus fallerent. Dioge-

nes

nes in vita Arceſilai: ἐλευθέριος δὲ ὤν, καὶ ἀφιλαργυρώτατος εἰς τὰς ἀργυρικὰς δείξεις ἀπήντα πρῶτος, καὶ ἐπὶ τῶν Ἀρχεκράτους καὶ Καλλιστράτους τὰς χρυσιαίας παντὸς ἑαυτοῦ δὲ μᾶλλον. Ubi ἀργυρικαὶ δείξεις & χρυσιαῖαι non ſunt quas putant viri doctiſſimi, δεῖξις vel ἐπιδείξεις ἀργυρωμάτων vel χρυσωμάτων, id eſt, argenteorum vel aureorum poculorum traductiones, quæ fiebant in pompis ducendis. Hoc ſenſu ἀργυρωματικαὶ & χρυσωματικαὶ δείξεις eſſent dicendæ. Græci ἀργύριον vocant argentum ſignatum, & χρυσίον aurum ſignatum. Inde χρυσιαῖαι δείξεις & ἀργυρικαὶ, auri argentiq; ſignati & in menſis trapezitarum expoſiti oſtenſiones. Ita dicitur Dominus, dum everteret menſas numulariorũ, τὸ κέρμα, id eſt, æs quod in his erat expoſitum, effudiſſe. Videtur ex eo loco Diogenis, poſſe adſtrui, alios menſarios ad argentum, alios ad aurum fuiſſe, à quibus ſcilicet aurea moneta peteretur, & argentea. Quod confirmaret id de quo olim dubitavimus, utrum Nummularii ab Argentariis ea tantum gratia diſtinguerentur, quod illi eſſent exiguorum tantum nummulorũ trapezitæ, Argentarii argenteorum, &, ſi forte, aureorum. De quo nos plura in libro de Uſuris Iuſtinianeis. Dicit ergo Diogenes, Arceſilaum, cum eſ-

ſet liberalis, & minime cupidus pecuniæ, ſæpe tamen ad menſas Argentariorum cucurriſſe, & libenter ibi conſpectum fuiſſe. Nam certum eſt, qui avari ſunt, devorantibus oculis acervos nummorū expoſitos in menſis trapezitarum cupidiſſime intueri ſolitos. Ita qui odores amant, in tabernis unguentariis frequenter verſabantur: qui gulæ dediti, circa laniorum menſas ſępe viſebantur, ut ex loco Plauti, quem ſupra attulimus, oſtenditur. Addit ſtatim de eodem Arceſilao, *σύχνοις τε ἐπήρκει, καὶ συνηράνιζε, plurimiſque ſuppeditabat ſumptus, & pecunia collaticia eos adiuvabat.* Ergo ideo etiam frequentabat menſas, & tabernas Argentariorum, ut inde ſumeret quod multis egentibus erogaret. Certe, ut dixi, non ſolum qui pecuniam depoſitam ad menſas habebant, ibi plurimum ſolebant eſſe, honeſti ac divites viri, ſed etiam docti ac ſapientiæ ſtudio addicti, ut Arceſilaus. Hæc cum ita ſint, quid mirum, ſi ego, qui antiquarius ſum, & vetera præ novis diligo, præ me tuli, malle me trapezitam eſſe quam ſartorem aut alium opificem ex ſordidæ & infimæ plebis fæce? Non uno nomine olim publicum munus ſuſtinebant trapezitæ, omnibus nempe fœnerando, ſed etiam alia duo officia habebant æque publi-

publica, pecuniæ permutandæ vendendæve, & eiuſdem ſpectandæ ac probandæ. Et hoc in Græcia. Unde apud Pollucem lib. VII, cap. XXXIII, τραπεζίτης, τραπεζιτεύω, τράπεζα, ἀργυραμοιβὸς, ἀργυρογνώμων, δοκιμαστὴς, κολλυβιστής. Idem cap. IX, lib. III. Τραπεζίτης, ἀργυρογνώμων, ἀργυραμοιβὸς, δοκιμαστὴς, ἐπικαθήμενος τραπέζῃ. Ergo non ſolũ δανειστικὴ, ſed etiam ἀργυραμοιβικὴ, ſive ἀργυροπρατικὴ, ut recentiores Græci maluerunt appellare, ſed & δοκιμαστικὴ ſive ἀργυρογνωμικὴ, quæ argentum ſpectat probatque, eorumdem munus fuit. Atque hi ſunt τραπεζῖται, etiam ἀργυρογνώμονες, quibus ſimiles Dominus in novo Teſtamento ſuos eſſe voluit, cum dixit: γίνεσθε οὖν δόκιμοι τραπεζῖται, τὰ μὲν ἀποδοκιμάζοντες, τὸ δὲ καλὸν κατέχοντες. Quæ verba citant ex ſcriptura ſacra patres Greci Latinique, & à Domino noſtro dicta perhibent, cum tamen hodie in novi fœderis tabulis nuſquam reperiantur. Vir doctiſſimus ad Clementem, Stromateo I, notat, alludi ad locũ Pauli ex I ad Theſſalonicenſes cap. V, πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε. Sed ipſiſſimum eſſe hoc Chriſti mandatum ab ipſo pronuntiatum ſunt ex patribus qui diſerte affirment. Origenes in Iohannem: *Servantibus illud Ieſu*

mandatum, Eſtote probi trapezitæ: & Pauli doctrinam: Omnia probantes, quod melius eſt tenete. Et Hieronymus in Epiſtola ad Minerium & Alexandrum: *Scias*, inquit, *me illud Apoſtoli libenter audire, Omnia probate, quod melius eſt tenete; & ſalvatoris verba, dicentis, Eſtote probabiles Nummularii.* Apud alios patres Græcos Latinoſque hæc eadem reperias, & præceptum Domini eſſe dici. Quidam putant, deſumpta illa eſſe ex Euangelio ſecundum Hebræos, ex quo vel teſte Hieronymo certum eſt antiquiſſimos Eccleſiæ Scriptores Græcos multa ſcriptis ſuis inſeruiſſe. De quo nos alibi. Illi τραπεζῖται quales nos eſſe præcipit Dominus, iidem ſunt cum his de quibus eſt apud Matthæum in parabola talentorũ, de ſervo illo improbo qui talentum Domini ſui tellure defoderat, nec Menſariis ſive Nummulariis in fœnus dederat, ἔδει σε βαλεῖν τὸ ἀργύριόν μου τοῖς τραπεζίταις. *Oportuit ergo te collocare pecuniam meam trapezitis.* Unus quippe idemque trapezita pecuniã fœnori dabat, & accipiebat, ſed & nummos adulterinos falſoſque à veris & publica moneta ſignatis diſcernebat. Et merito iiſdem utrumque munus publice aſſignatum. Quis enim melius diſtinguere poterat inter verum ac falſum

falſum nummum, quam qui quotidie magnam pecuniæ ſignatæ vim tractabat? Cum igitur Dominus nobis præcipit, ut ſimus probi trapezitæ, non adeo pro deteſtanda abominandaque habuit trapeziticam profeſſionem, ut noſtris Reformatis ac Pontificiis Canoniſtis placet. Nec eſt quod dicant, non de trapezitis qui fœnerantur, ſed de his qui pecuniam probant Dominum intellexiſſe. Hoc quidem verum, ſed certum tamen, trapezitas non eſſe appellatos à pecunia examinanda, ſed à Menſa fœnebri. Quam qui exercebant, etiam id muneris publice habuerunt ut ſpectatores eſſent monetæ. Si probus eſſe poteſt trapezita dum nummos probat, quidni & probitati quoque litare queat dum fœneratur? Alioquin unus idemque homo qui duo officia diverſa adminiſtrabit, in uno probus eſſe, in altero pro improbo ſe gerere videri poſſet. At qui improbus eſt publicæ menſæ fœnerator, ſi idem publicus ſit pecuniarum ſpectator, vix certe temperabit quin etiam improbe hoc quoque munere fungatur, ſi lucri ſpes eum à recto dimoveat. Non enim de ſcientia tantum & experientia recte examinandę pecuniæ intellexit Dominus, cum dixit, *γίνεσθε δόκιμοι τραπεζῖται*, ſed etiam

de conſcientia & fidelitate. Quid enim? ſi optime probũ ab improbo nummum dignoſcere ſciens, in gratiam tamen adulteratoris monetæ, & pretio ab eodem corruptus, optimos eſſe pronuntiaverit aliquot aureos quos alii volet expendere, an erit ille δόκιμος τραπεζίτης quales eſſe ſuos Dominus expetit? Trapezitæ porro apud Latinos præter illa tria officia publica quæ apud Græcos geſſere, nummorũ permutandorum, probandorum, & fœnerandorum, etiam quartam inveniuntur habuiſſe, auctionum curandarum. Præficiebantur quippe auctionibus quæ ad earum tabernas fiebant, ut alibi fuſius diximus. Sciendum vero eſt, nemini quidem licuiſſe qui trapezita non eſſet, argentum ſignatum vendere, aut examinare, ſed tertium illud, quo apud Græcos pariter Romanoſque publice omnibus fœnerabantur, non peculiare nec præcipuum, ut alia duo, hoc negotium habuerunt, ſed cum privatis etiam quicunque id agere vellent commune. Ex occaſione enim pecuniarum quas in maximo numero & copia tractabant in cambio exercendo, etiam ut eas fœnori expendere poſſent, & omnibus petentibus dare mutuas publice, proviſum eſt. Sic ergo facti non tantum vendito-

ditores ac diſtractores pecuniarum, ſed etiam locatores. Et ſane multi hodie ſunt, & olim quoque fuerunt negotiantes, qui ſpecies, quas habebant promercales ad vendendum, etiam mercede volentibus eaſdem locarent, ſi qui emere nollent. Qui veſtimenta interpolant, ac vetera nova concinnant, non ſolum ea vendunt, ſed etiam locant. Mangones equorum hodie multi ſunt, qui non tantum eos habent vænales, ſed etiam locabiles. Nec ſecus de aliis pleriſque rebus vænalibus ſimul & μισθωσίμοις. Sic ergo & apud antiquos iidem trapezitæ pecunias ſimul vendebant, & locabant fœnore. Nam illi ἀργυραμοιβοὶ ſive campſores, ut quidem hodie barbari vocant, veri fuere pecuniarum venditores. Inde & Argentarios Latini vocarunt, id eſt, ἀργυροπράτας. Quas enim pro aliis commutabant petenti pecunias, non eas gratis dabant, ſed precio. Exempli gratia aſſibus vulgo quadringentis unus aureus apud Romanos æſtimabatur. Si quis autem centum ſolidis in auro opus haberet, & ad trapezitam iret, ferens eam aſſium ſummã quę vulgo tot aureis ſoleret permutari, nõ eos par pari abſtuliſſet à trapezita, ſed plures dare aſſes debuiſſet quam quadraginta millia pro centum ſolidis au-

reis, qua ſumma quadraginta millium aſſium æſtimabantur centum aurei. Quod igitur plus dabat de aſſibus ut auferret centum aureos à trapezita, pro pretio id auri cedebat trapezitæ, qui ſic aurū vendebat, quod ab illo emebatur qui trapezitæ pro auro ſuum æs dabat. Et hic χρυσωνεῖν, ſi aurum, ἀργυρωνεῖν, ſi argentum emeret, dicebatur, ut ipſe trapezita ἀργυροπρατεῖν & χρυσοπρατεῖν. Iſocrates in Trapezitico: Πρῶτον μὲν ὑμῖν μάρτυρας παρέξομαι τοὺς εἰδότας πολλά μοι χρήματα ἐκ Πόντου κομισθέντα, ἔπειτα δὲ τοὺς ὁρῶντας με τῇ τούτου τραπέζῃ χρώμενον, ἔτι δὲ παρ᾽ ὧν ἐχρυσώνησα ὑπ᾽ ἐκεῖνον τὸν χρόνον πλείους ἢ χιλίους στατῆρας. *Deinde & eos à quibus emi in auro ſub illud tempus plus quam mille ſtaterum.* Stateres autem illi aurei; & τὴν ἀλλαγὴν intelligit æreorum aut argenteorum nummorum pro aureis, quæ etiam ὠνὴ & πρᾶσις dicebatur. Quod autem eſſent trapezitæ tum publici qui omnibus fœnerabantur, non tamen ea res prohibuit quin privatis hoc idem facere liceret, & unum hoc agere, nullamque aliam negotiationem habere, tam Græcis quam Romanis. Hi δανεισταὶ apud Græcos, & *fæneratores* apud Latinos dicti. Tametſi enim ipſi etiam trapezitæ daniſtæ eſſent, & quidem publici, tamen qui ex privatis hunc

hunc quæſtum faciebant, ita potius appellati, cum, qui publice hoc agitarent, *trapezitæ* Græcis, Latinis vero *Argentarii* magis dicerentur. Certè in Comœdiis Plauti *trapezitæ* & *Argentarii* paſſim vocantur qui publicum hoc habebant miniſterium, *daniſtæ* qui ex privatis fœnus exercebant. Et clare eos diſtinguit in Epidico:

--- huic homini opus eſt quadraginta minis
Celeriter calidis, daniſtæ quas reſolvas & cito.
Ep. *Dic modo, unde auferre me vis? à quo trapezita petam?*

Et alibi paſſim apud illum Comicum, ubicunque fit mentio *daniſtarum* & *generis daniſtici*, de his privatis fœneratoribus intelligendi ſunt, qui erant alii à publicis, id eſt, trapezitis, quos ſæpe etiam vocat voce Latina *Argentarios*. Apud Iuſtinianum in Novellis, & apud alios Græcos recentiores, δανεισταὶ ſunt quilibet creditores privati qui dant fœnori, & fœnus exercent. Ut in Novella IV, περὶ τοῦ τοὺς δανειστὰς πρότερον χωρεῖν κατὰ τῶν πρωτοτύπων χρεωστῶν. Et ſic alibi paſſim. At publicos fœneratores ſive trapezitas, ἀργυροπράτας idem appellat, ut iam ante diximus, id eſt,

Ar-

Argentarios, voce ex Latio cũ eadẽ notione converſa in Grecum. Nec aliter apud antiquos Græcos & Atticos fuit, qui δανειστὰς diſtinguunt ἀπὸ τῶν τραπεζιτῶν, id eſt, à publicis fœneratoribus, quamvis trapezitæ etiam δανεισταί. Sed & illi ἡμεροδανεισταὶ, quorum apud eoſdem Græcos frequens extat mentio, ut quæſtus celebris fuit, privati fuere in diem fœneratores. Tale fœnus exercuit & Menippus ille, de quo eſt apud Diogenem Laërtium. Hinc ἐργασία δανειστικὴ apud Theophraſtum in characteriſmo oſtentatoris, ſive ἀλαζόνος, de fœneratoria negotiatione privatorum: Τοιοῦτός τις, οἷος ἐν τῷ δείγματι ἑστηκὼς, διηγεῖσθαι ξένοις, ὡς πολλὰ χρήματα αὐτῷ ἐστιν ἐν τῇ θαλάττῃ, καὶ περὶ τῆς ἐργασίας τῆς δανειστικῆς διεξιέναι, καὶ αὐτὸς ὅσα εἵλκυε. *Et de fœnebri negotiatione quanti ſit quæſtus diſſerere, & quantum ex ea ipſe redegerit.* Et apud Græcos quidem, ubi liberum fœnus fuit, iſti privati fœneratores tantas poterant uſuras exigere, quantas publici, id eſt, trapezitæ. Verum quia non facile reperiſſent quibus ſuam pecuniam expenſam ferrent, ſi tantum accipere voluiſſent quantum trapezitæ, ideo longe levioribus uſuris erant contenti. Trapezitæ Athenis vulgo fœnus exercebant ἐπὶ τρισὶ δραχμαῖς, hoc

hoc eſt, ternis centeſimis, quæ ἐπιτρίτῳ fere τόκῳ reſpondent. Hoc fœnus dat in centenos nummos triginta ſex, uſuræ nomine. Lyſias apud Athenæum de Aeſchine Socratico: οὗτος γάρ, ὦ ἄνδρες δικασταί, ὀφείλων ἀργύριον ἐπὶ τρισὶ δραχμαῖς Σωσίμῳ τῷ τραπεζίτῃ, καὶ Ἀριστογείτονι, προσελθὼν πρὸς ἐμὲ ἐδεῖτο μὴ περιιδεῖν αὐτὸν διὰ τοὺς τόκους ἐκ τῶν ὄντων ἐκπεσόντα. At privati pecuniam ſuam vulgo occupabant fœnore ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς, hoc eſt, in ſeſquidrachmam. Quæ uſuræ dimidia parte leviores erant trapeziticis, ut puta quæ decem & octo tantum denarios in centenas redderent drachmas. Quod conſtat ex his quæ apud Lyſiam ſequuntur; qui ita Aeſchinem ſecum loquentem inducit, & à ſe petentem pecuniam ſub fœnore illo in ſeſquidrachmam: κατασκευάσομαι γάρ, ἔφη, τέχνην μυρεψικήν, ἀφορμῆς γὰρ δέομαι, καὶ οἴσω δέ σοι ἐννέα ὀβολοὺς τῆς μνᾶς τόκους. Hi ſervos ſuos in forum mittebant, qui totum ibi diem verſabantur, quęrendo qui in fœnus pecuniam accipere vellent, ut apparet ex his Plauti verbis in Aſinaria, ubi præcipuus domino ſuo ſervus, id eſt, atrienſis, ita loquitur ad reliquos ſervos:

Quia triduum hoc unum modo foro operam
aſſiduam dedi abſens,

Dum

Dum reperiam qui quæritent argentum in fœnus, hic vos
Dormitis interea domi, atque herus in hara, haud ædibus habitat.

Apud Romanos quoque extitere huiuſmodi patres familias, qui hunc unum quęſtum & negotium habebant, pecuniam ſuam fœnore occupare. Et hæc etiam legitima habebatur negotiatio. Hi *fœnus exercere* dicebantur. Pater Veſpaſiani imperatoris Sabinus cum in Aſia publicum quadrageſimæ cum laude diu egiſſet, id eſt, publicanus fuiſſet, poſtea Suetonio auctore, *fœnus apud Helvetios exercuit*, id eſt, fœnerator fuit, non publicus, nec argentarius aut trapezita, ſed privatus, qui omnem ſuam pecuniam in fœnore collocaverat. Quod Demoſthenes ἀργυρίῳ ἐργάζεσθαι dixit, *pecuniam ſuam exercere*. At huius Sabini pater, Veſpaſiani avus, cum bello civili in Pompeianis partibus centurio vel evocatus fuiſſet, & ex Pharſalica acie profugiſſet, venia & miſſione impetrata *coactiones argentarias*, eodem Suetonio teſte, *factitavit*, id eſt, Argentarius fuit, ſive trapezita, vel quod idem eſt, publicus fœnerator. Ex quibus liquet, non indignum hoc munus quod agerent exiſtimaſſe ordinum ductores, poſtquam miſſionem impe-

petraſſent. Multi etiam veterani milites fœnus privatim exercebant, omnemque quam ex militia acquiſierant pecuniam non in agros collocabant, ſed in fœnus. Quædam fuere tributiones publicæ, quas ſuſtinebant plerique qui patrimonia aut poſſeſſiones in illa civitate habebant. Hæc *patrimoniorum munera* dicebantur, & duplicis erant generis. Quædam ex his, inquit Arcadius iuriſconſultus, poſſeſſionibus ſive patrimoniis indicebantur, ut agminales equi, angariæ, atque veredi. Qui poſſeſſiones ac fundos non habebant, ſed pecuniam ſuam omnem in fœnore locatam, nihilominus hæc agnoſcere tenebantur. Nec ab his excuſabantur veterani qui fœnus exercerent, ut ibidem ait idem Arcadius: *Huiuſmodi obſequia, & qui neque municipes, neque incolæ ſunt, adgnoſcere coguntur. Sed & eos qui fœnus exercent, etſi veterani ſint, tributiones eiuſmodi agnoſcere debere, reſcriptum eſt.* Ex quibus perſpicuum eſt, *fœnus exercere* proprie dici de his qui nullam aliam facerent negotiationẽ, nihilque in bonis aliud haberent, præter nummos in fœnore poſitos. Hi & *fœnerare* ſimpliciter dicebantur, qui pecuniam in fœnore ſitam habebant, ut *paſcere* qui in paſcuis, & *arare* qui in arvis. Seneca Epiſt.

Epiſt. II. *Quid enim refert, quantum illi in arca, quantum in horreis iaceat, quantum paſcat aut fœneret, ſi non acquiſita, ſed acquirenda computet.* Item Epiſt. XLI. *Familiam formoſam habet, & domum pulcram; multum ſerit, multum fœnerat, nihil horum in ipſo eſt, ſed circa ipſum.* Erant qui non multum modo fœnerarent, ſed qui totum: nihilque aliud præterea curabant niſi hanc unam nundinationẽ pecuniæ. *Fœneratores* vocabantur. Sic accipiendus, ut mihi iam videtur, ille fœnerator Alphius Horatii, & celeberimus ille alter Ciceronis *fœnerator* Cæcilius. Hi *fœneratores*, teſte vetere Perſii ſcholiaſte, *ad puteal Scribonis Licinii quod erat in porticu Iulia ad Fabianum conſiſtere ſolebant*. Et de his accipiendus verſus Perſii Sat. IV.

Si puteal multa cautus vibice flagellas.

Quem viri docti hactenus non intellexere. Aetate Plauti ſub Veteribus conſiſtebant, quæ veteres in foro Tabernæ. In Curculione:

Sub Veteribus ibi ſunt qui dant, quique accipiunt fœnore.

Quod de privatis fœneratoribus intelligendum. Sequitur de publicis:

Pone ædem Caſtoris ibi ſunt, ſubito quibus credas male.

Quod

Quod de Argētariis, ſive trapezitis, accipi debet, quos ubique eo nomine vellicat Plautus quaſi male iis credatur, ut pote qui ſæpe foro cederent. Hi in ea parte fori, ubi templum fuit Caſtoris, tabernas ſuas habuerunt, ut privati in foro quoque eodem conſiſtere ſolebant, ſed in eo loco qui dicebatur *ſub Veteribus.* Cicero pro Quintio: *Hoc eo per te agebatur, quod propter ærariam rationem, non ſatis erat in tabulis inſpexiſſe, niſi ad Caſtoris quæſiſſes, quantum ſolveretur.* Ita enim recte viri eruditi legunt, pro eo quod legitur vulgo, *ex quæſtoribus.* Ab Argentariis ſive trapezitis qui ad Caſtoris ſuas menſas ac tabernas habebant, cum ſolutio eſſet facienda & æraria ratio ageretur, id eſt, quantum in ære eſſet ſolvendum, quæri debuit quantum ſolveretur. Illi enim ex arte poterant optime ſcire ac dicere, ſive ad denariū ratio duceretur, quantum in argento; ſive ad ſeſtertium, quantum in ære dari deberet. Hinc explicanda & illa Satyrici:

--- *& ad vigilem ponendi Caſtora nummi.*

De nummis nimirum depoſitis apud Menſarios qui ad Caſtoris habitabant, aut fœnore apud eoſdem poſitis. Cum enim eo tempore omnes fere ſolutiones de menſa fierent, ut ante diximus, quicunque argen-

tum numeratum habebat, ad menſam Argentarii deponere illud ſolebat aſſervandum, aut fœnore apud eum locabat. Cum illi prope templum Caſtoris tabernas haberent, fieri potuit ut in eo templo arcas ſuas cuſtodiendas reponerent. Sed nec prohibet, in ipſis eorum tabernis fuiſſe aſſervatas, & cum illæ eſſent adeo vicinæ Caſtoris, poëtice dictum & Caſtorem ipſum quaſi invigilare illis cuſtodiendis. De his alibi. Menſa Paſionis celeberrimi trapezitæ Athenienſis, cum eam locaret liberto ſuo Phormioni, habuit depoſita, παρακαταθήκας, uſque ad quinquaginta talenta, quorum undecim tantum erant ἐνεργά, id eſt, pro quibus uſuram ſolvebat. Demoſthenes pro Phormione: ἐν μὲν οὖν τοῖς πεντήκοντα ταλάντοις τούτοις ἀπὸ τῶν παρακαταθηκῶν τῆς τραπέζης ἕνδεκα τάλαντα ἐνεργὰ ἦν. Et verum eſt omnino quod notat ad Terentii Adelphos Donatus, eo ævo *in foro ac de menſæ ſcriptura magis, quam ex arca, domoque, numerari pecuniam.* Verba Terentii ſunt: *Ego ad forum ibo, ut hunc abſolvam.* Quia omnes illo in tempore pecuniam ſuam ad menſas habebant depoſitã vel ἄτοκον, vel τοκοφοροῦσαν. Quod utrumque *deponere* etiam Latini dixerunt. Unde Acro apud Horatium ad illa, *quærit calendis*

pone-

ponere, interpretatur deponere, cum tamen de θέσει τοκοφορούσῃ ſit accipiendum. Nec in Græcia, ut dixi, alius mos fuit circa deponendas ad menſam trapezitæ, vel cum fœnore vel ſine fœnore, pecunias. Nam inde θέμα vocarunt omnem pecuniam, quia ſoleret ad menſam poni, & inde ſolvi. Cebes in Tabula: Διὰ τοῦτο οὖν τὸ Δαιμόνιον κελεύει μὴ θαυμάζειν ὅ,τι ἂν πράττῃ αὐτὴ, μηδὲ γίγνεσθαι ὁμοίους τοῖς κακοῖς τραπεζίταις. καὶ γὰρ ἐκεῖνοι, ὅταν μὲν λάβωσι τὸ ἀργύριον παρὰ τῶν ἀνθρώπων, χαίρουσι, καὶ ἴδιον νομίζουσιν εἶναι, ὅταν δὲ ἀπαιτῶνται, ἀγανακτοῦσι, καὶ δεινὰ οἴονται πεπονθέναι, οὐ μνημονεύοντες ὅτι ἐπὶ τούτῳ ἔλαβον τὰ θέματα. Ubi vocantur θέματα depoſita ad menſam, vel uſuraria, vel citra uſuram. Hinc θέμα pro pecunia, & θεματῖται vel θεματικοὶ agones ex eo appellati quibus præmium in argento ſignato propoſitum eſſet, & diſtinguebantur ἀπὸ τῶν στεφανιτῶν, qui & φυλλίναι. At θεματικοὶ etiam appellabantur ἀργυρεῖται. Quæ vox viris eruditis hactenus intellecta non fuit, neque in libris neque in veteribus inſcriptionibus, quę θεματικῶν agonum meminerant. Demoſthenes θέσιν appellat ſortem pecuniæ quæ poſita eſt ad menſam, in Oratione contra Apaturium: μόλις εἰσέπραξα τὸ ἀργύριον, πραθείσης τῆς νεὼς τετταράκοντα

 μνῶν

μνῶν ὅσουπερ ἡ θέσις ἦν. *Quanti erat ſumma credita, & ad menſam fœnore poſita.* Quod θέσθαι veteres Græci in eo ſignificatu dixere, pro eo idiotæ καὶ ἀνάττικοι, βάλλειν poſuerunt. Unde apud Matthæum XXV, ἔδει οὖν σε βαλεῖν τὸ ἀργύριόν μου τοῖς τραπεζίταις. *Oportuit te poſuiſſe pecuniam meam menſariis.* Male vertunt tam veteres quam recentiores interpretes, *committere trapezitis.* Atticus auctor dixiſſet θέσθαι. Eodem ſenſu & idiotiſmo βάλλειν χαλκὸν εἰς γαζοφυλάκιον dixit Marcus. Id eſt, *ponere æs in gazophylacio.* Quod vetus interpres *mittere in gazophylacium.* Latinitas enim recens imitata eſt illum idioticum Græciſmum. Vel quod verius eſt, à Latino vulgari Græci illius ævi id acceperunt. Hinc *miſſus* pro ferculis qui in mēſa ponuntur, & *miſſoria*, diſci vel patinę, in quibus cibi in menſa apponuntur. Ita & βάλλειν ἐσθῆτα iidem iſti Græci idiotici uſurparunt pro veſtem induere, quod vulgo dicimus *mittere veſtem.* Antiquioribus Græcis id erat θέσθαι. Unde θέσθαι ὅπλα Thucidydi, *induere arma.* Verum de his alibi. Vt βάλλειν eſt ponere æs ac pecuniam vel ad menſam, vel in arca, ita contrarium ἐκβάλλειν, promere. Vnde ἐκβάλλειν ἐκ τοῦ θησαυροῦ, depromere

ex

ex theſauro. Quod non intellectum eſt, quare ſic diceretur, Exercitatori Sacro. Atque hæc obiter. Vt redeamus in viam, duplicis fuere generis tam apud Græcos quam apud Latinos fœneratores, publici & privati. Plauti ævo iſti ſub Veteribus in foro conſiſtebant, publici pone templũ Caſtoris ſuas tabernas habebant in eodem foro. Lampridius in vita Alexandri Mammeæ de utriſq; intellexit, cum dixit, principem illum *contraxiſſe uſuras fœneratorum ad trientes penſiones, ut pauperibus conſuleret*. Soli enim fere fœneratores publici ſub pignoribus etiam pauperibus fœnerabantur. Nam privati qui hoc unum ſibi ſtudio habebant, ut bene collocarent ſuas pecunias, & quæſtũ ex his facerẽt, nonniſi idoneis credebant eas, ut bene crederent. Certe in utriſque hæc negotiatio uſuraria pecuniæ tum legitima ac iuſta habita eſt. Quod non placet præſtantiſſimo Theologo, qui ne publicos quidem fœneratores, hoc eſt, trapezitas & Argentarios, pro legitimis negotiatoribus habendos cenſet. Quid ita? *Quia turpe*, inquit, *& illiberale etiam de iure humano lucri aucupium exercent.* Non magis turpem atque illiberalem eſſe hunc quæſtum quam quorumlibet mercatorum, iam ſupra docuimus. *Vel hoc ſolo*

nomine, quod facultates ſuas non impendant, neque ſe adplicent ad iuſtam negotiationem. Non ita viſum Iuſtiniano, qui eos *negotiari* dixit leg. unica Cod. *Negotiatores ne militent.* Ubi cæteros negotiatores ab omni militia arceri ſanxit, *exceptis argenti diſtractoribus, qui in hac alma urbe negotiantur*. Illi argenti diſtractores, ſive ἀργυροπρᾶται, illius temporis ſunt trapezitæ, quos legitimos negotiatores agnoſcit, dum negotiari ait, & plura maioraque his privilegia indulget quam reliquis negotiatoribus. Græci quoque veteres *δανειστικὴν ἐργασίαν*, etiam quam privati fœneratores exercerent, legitimam eſſe negotionē putaverunt, ut ex Ariſtotele ac Theophraſto oſtendimus. Addit Theologus: *neque officinas aperiunt mercium.* Atqui officinas aperiunt pecuniarum, quæ & ipſæ pro mercibus, dum & venduntur ut reliquæ merces, ac locantur ut reliquæ res. Sed & *officinæ* propriæ artificum, & opificum, non mercatorū. Horum enim tabernæ. At Tabernas etiam habuere Trapezitæ. Vnde illæ *tabernæ Argentariorum* circa forum, qui argentarii trapezitæ, ſive menſarii, apud Romanos. *Neque*, inquit, *ſunt ergaſteriarchæ ſeu opifices*. Non ſunt ſane opifices, quia ſunt tantum negotiatores. Sed nec ergaſteriarchæ, quoniam

niam ipſi ergaſteriarchas habent, quos præficiunt ſuis tabernis & ergaſteriis, more aliorum negotiatorum quibus ſui erant inſtitores ſive ergaſteriarchæ, qui eorum tabernis præerant. Vt *ergaſteriarchæ* ſint opifices, nunquam in ulla officina Latinitatis factum aut fabricatum reperiet Theologus, qui ſubiungit, *qui tabernis aut ergaſteriis præſunt, quales honeſte ſtipulari poſſunt beſſem, vel ſimplex fœnus nauticum.* Quid hic audio, ô Theologe? Non eſſe tales trapezitas qui honeſte ſtipulari poſſint beſſem? Nō legiſti igitur tuū Iuſtinianum, quem ſolum putas audiendum in modis uſurarum ſanciendis, qui tot Novellis & Edictis conſtituit, beſſes eos ſtipulari poſſe, immo vel paciſci citra ſtipulationem, quod nulli alii negotiatori vel mercatori licuit. Quod addis, *vel ſimplex fœnus nauticum*, ne hic quidem quid velis per fœnus ſimplex nauticum ſatis percipio. Quaſi fœnore nautico pecunias ſuas dare tum nequierint trapezitæ, quod omnibus omnino licebat. Sed quale eſt illud fœnus nauticū ſimplex? An aliquod fuit duplex? Neſcire etiam videtur optimus Theologus, nauticū illud fœnus, cuius licentiam non putat dandam trapezitis, longe infamius ab antiquis habitum quam trapeziti-

cum. Menippum eo nomine maxime infamat Laërtius, Catonem & Demoſthenem Plutarchus. Sed maxime infames Theologo trapezitæ, *quod uſuram ſolam lucratoriam ex profeſſo exercent.* At ego etiam tales mercatores habeo, qui mercaturam ſolam lucri gratia exercent. Quod negat, negotiatores eſſe legitimos, etiam eos qui publice fœnus exercent & publica auctoritate: ego contendo, vel privatos, qui ex profeſſo hoc agunt, legitimam & iuſtam negotiationem exercere, & totam antiquitatem Græcam Romanamque pro me teſtificaturam, meamque adſtipulatricem poſſim citare. Qui ex privatis fœnus exercebant, eam ſummam quam more Argentariorum, id eſt, publicorum trapezitarum, fœnori deſtinabant, & quaſi fundum & ἐνθήκην ſive ἀφορμὴν ſibi fœnoris eſſe volebant, *Argentariam* nominabant. Et ſic vox ἀργυροπρατεία intelligenda apud Palladium in Lauſiaca Hiſtoria, in vita Pambus, his verbis: ὅτι προσήνεγκα αὐτῷ ἀργυροπρατείαν τριακοσίων λιτρῶν ἀργύρου, παρακαλέσασα αὐτὸν ἐκ τῶν πρατῶν μου μετασχεῖν. *Quod ipſi intuli argentariam trecentarum argenti librarum.* Quæ hoc dicit, Melane fuit matrona Romana ditiſſima, quæ illi Anachoretæ eam ſummam obtulit

tre-

trecentarum argenti librarum, quam diſpenſaret & diſtribueret egentibus per Libyam & inſulas monaſteriis. Non enim armarium eſt, ut vir doctus cenſuit, nec miniſterium abaci, ſive delphicæ, vaſis argenteis eius ponderis inſtructæ, ut aliquis eſſe putaret, ſed id quod dixi. Ita igitur eo ævo trapezitæ ſive fœneratores publici eam negotiationem exercebant, ut privatis non eſſet illicitum nec vetitum fœnus exercere. Sed quod menſam habere ſemper inſtructã nummis deberent, tam ad vendendum quam ad locandum, id eſt, fœnerandum, ideo & ampliores uſuras accipiebant privatis fœneratoribus. Eos quidem exæquavit lege ſua Alexander Severus. Sed & apud Athenienſes pares uſuras poterant accipere, quamvis non tantas vulgo exigerent. Nam qui & ſpecies in agro ſuo natas ſolent vendere, non tam magno eas vendunt quam qui illas ab iis mercantur ut porro aliis vendant. Iuſtinianus porro ita rẽ temperavit, ut beſſes publicis fœneratoribus & reliquis mercatoribus inſtitoribuſque permitteret accipere, privatis vero tantum ſemiſſes. Quod lege ſua conſtituit, ſponte ſua ex conſuetudine omnibus ſeculis obſervatum conſtat fuiſſe, ut graviores uſuras accipe-

rent publici quam privati fœneratores. De publicis hoc vero liquet, non potuiſſe ideo menſam erigere huic negotiationi publice exercendæ, niſi auctoritate magiſtratus, quia non ſolũ fœnus exercebant, ſed argenti ſignati nundinationem ac probationem, hoc eſt, ἀργυροπρατικὴν & ἀργυρογνωμονικὴν. Hęc duo miniſterii ac muneris publici fuere officia, quæ nemini licet, neque licuit unquã, uſurpare, niſi qui talis officii exercẽdi poteſtatẽ à magiſtratu ſummo vel principe acceperit. Tertiũ his munus acceſſit publicæ quoque fœnerationis, ex occaſione, ut dixi, pecuniæ perpetis ac iugis, qua menſam indeficiẽter dotatã ad ἀλλαγῆς munus ſive collybi habere debebant’. Qua tamen non effectum eſt ut nemini præter eos olim licuerit fœnus exercere privato. Et cuivis hodie quoque fœneratio permitteretur, niſi decretis Paparum, & Canoniſtarum Pontificiorum ſententiæ nunc ſtaret tota fere Chriſtianitas. Per illos ergo fœnus hodierno die illicitum habetur Laicis fidelibus. Utramque itaque vetitam ab illis cenſendum, tam trapeziticam quam privatam, cum fœnus in trapezitis antiquis acceſſio eſſet menſæ quam exercebant, & non differret à privato fœnore, niſi quod

ex

ex perenni pecuniæ quaſi copia, qua menſa eorum abundabat, omnibus omni tempore patebat. Menſam nemo unquam privatus ad fœnus erexit. Menſa enim apud fœneratorem teſtatur, eum eſſe publicum, & nomine publico eam exerceri, ut inſigne hederæ appenſum tabernis vinariorum indicat, toto anno vinum ibi eſſe vænale. Sic Romani, cum vellent publice & ex publico æs alienum pauperum diſſolvere, Mẽſarios inſtituerunt cũ menſa, in foro poſita, & æs habente cum libra expoſitum. Privatus ita fœnus exercebat olim, ut ſui tantum lucri gratia eum quæſtum occiperet. Ubi pecuniam ex fœnore redegerat, iterũ eam occupare feſtinabat, nihilque aliud curabat, quam ne unquam ſibi nummus ullus vacaret. Quærebant undique, quibus pecuniã ſuam uſuris graviſſimis expenſam ferrent. Non omni tamen tempore paratam habebant, nec omnibus erant parati ipſi eam dare. Qui publicam menſam agebat, toto anno eam patentem, in publico omnibus propoſitam habebat, divitibus pauperibuſque. Unde & δεῖξις ἀργυρικὴ vocabatur, ut ſupra notavimus, menſa trapezitæ, *argenti ſignati oſtenſio*. Nos vulgo *monſtram pecuniæ*, id eſt, monſtrationem vel δεῖξιν, cum

ſum-

ſummam aliquam pecuniæ in menſa ponimus ad ſolutionem. Privati non alias, niſi quando ſibi commodum eſſet, & cum pecunia ſupereſſet otioſa, indigẽtibus fœnerabant. Nullum itaque tunc temporis, id eſt, ſub omni Græcorum & Romanorum imperio, diſcrimen inter privatum fuit & publicũ, ſive trapeziticum, fœnus, quam inter publicum fontem perpetuaſq; aquas eiaculantem in publico, & privatum puteum, non ſemper aqua exundantem, nec omnibus patentem. Quod iam ſupra tetigimus. Parum aut nihil diſcriminis inter utrumque fœnus fuiſſe, vel illud oſtendit, quod nullum trapeziticum fœnus veteribus fuerit notũ. Non enim Græci *τραπεζιτικοῦ τόκου* uſpiam meminere, quaſi à communi diſtinguendi, cum tamen nulla urbs trapezitis careret. At *ναυτικοὺς τόκους* paſſim diſcernunt *ἀπὸ τῶν ἐγγείων*, id eſt, nauticas uſuras à communibus. Cur eodem modo *τραπεζιτικοὺς ἀπὸ τῶν ἰδιωτικῶν* non ſepararunt? Certe quia nec diverſæ fuerunt. Noſtri vero Theologi tantam inter eas ponunt differentiam, ac tam latam, ut trapeziticas cenſeant eſſe illicitas, communem ſolam licitam. Quod nulla neque ratione neque auctoritate poſſunt tueri, non ex iure Civili, neque ex anti-

qui-

quitate litteraria, neque ex ſcriptura ſacra. Prohibito itaque fœnore Laicis per Eccleſiæ Romanæ Epiſcopos, utrumque ex æquo prohibitum interpretari debemus. Si ius illud Canonicum Pontificium nihili faciamus, in utroque fœnore par erit ratio, ad utrumque admittendum. At illi trapezitarum munus, pro ea parte qua fœnus publice exercebant, ut omnibus ad eorum menſam parata eſſet pecunia mutuari inde ſub uſura volentibus, ſuſtulerunt, quia fœnus vetitum volebant: pro ea autē parte qua nummos permutabant, id eſt, vendebant, permiſerunt. Quæ cauſa illis dividendi muneris, quod olim unum ſemper fuit, & ab eodem exercebatur, ut alterum abolerent, alterum ſinerent? An utilitas huius maior quam alterius hoc effecit, id eſt, contemplatio cambii tanquam magis neceſſarii quam fœnoris publici? Immo vel huius longe maior neceſſitas, quatenus cambium ſolis iis qui pecunias habent prodeſt, fœnus autem etiam illis qui nummis carent. Quo maior horum multitudo eſt qui non habent, quam illorum qui habent, eo neceſſaria magis videri debet fœneratio publica. Tollendo publicum fœnus quid egerunt? An uſuram trapeziticam

hoc

hoc pacto exterminarunt? Nihil minus. Nam illi ipſi trapezitæ, qui menſam ad cambium agunt publicam ac licitam, tam immodeſte fœnus agitant ſub illo prætextu argenti negotiationis, ſive ἀργυροπρατικῆς, ut modū in uſuris Iuſtinianeum, immo & Conſtantinianum, tranſcendant. Quippe iſte centeſimas ſanxit legitimas, menſarii vero illi quales hodie Lugduni eum quæſtum exercent, octodecim in centum accipiunt. Pro uſura enim ſingulorum internundiniorum, quæ trimeſtria ſunt, quattuor cum ſemiſſe vulgo exigunt, quæ ſeſquicenteſima eſt, vel uſura Græcorum ἐπὶ ἐννέα ὀβολοῖς. Et tamen in hac uſura exercenda ſine omni periculo ſunt, & cavent ſibi pignoribus, ut tuti ſint tam de ſorte quam de uſuris. Cum hæ menſæ iudicantur utiles, immo neceſſariæ mercatoribus, id eſt, ditioribus, cur nulla eſt hodie menſa, ut olim fuit, quæ etiam pauperibus proſit? Quaſi vero iure divino auxilium ab inopibus prohibeatur huiuſmodi, quod divitibus non negatur! At iſti ad lucrum illam opem expetunt, qua pauperiores indigent ad neceſſitatem. Ergo hoc magis neceſſarium, quod deſideratur ab indigente, quam quod ut ſuperflua acqui-
ran-

rantur, poſci ſolet. Et proportione iſta fiunt. Si grandiore ſumma iuvatur dives & mercator, minore non minus ſublevabitur pauper & egenus. Quod qui negant, idem faciunt, ac ſi puerum veſte indui nollent, quia amplior veſtis ei non convenit, aut ſi pauperem ad nuditatem condemnarent, quia ſerica illum non decent. Sed de his adhuc infra. Hæc tantum in tranſitu placuit hic attingere, ut conſtet, quam nulla ratione nixi trapeziticam Pontifices damnarint, quæ omnibus indifferenter opitulatur, & eam reliquerint quę mercatoribus ad lucrũ obvia eſt. Atqui utriuſque eadem plane ratio, &, ſi non eſt, magis illa videtur neceſſaria quam ſuſtulerunt. Certe unius hominis munus olim utraque menſa fuit, ideoque non duplex, ſed una. Ubi diviſa eſt, ea, quæ tanquã licita relicta eſt, ſemper iuris habita eſt publici, nec ulli unquam licuit eius exercitium uſurpare, niſi à Magiſtratu ſummo, vel principe, vel rege, poteſtatem eius exercendæ acciperet. Quod hodieque obſervatur in Gallia in illis trapezitis, ſive ut vocant, *Bancariis*, qui mercaturam argenti exercent, id eſt, ἀργυροπραπεζίτην, & collybum. Ergo nec ſecus eſſe debet de altera parte, qualis ho-

hodie exercetur à trapezitis qui in omnibus civitatibus Belgii fœderati ſunt conſtituti. Ab ultima antiquitate Græca Romanaque mos hic ac ius manſit, ut nulla Menſa eſſet niſi publica, & publice conſtituenda ab eo qui principatum in republica haberet. Ubi Italia ſciſſa fuit in varios principatus, ſingularum urbium principes hoc etiam ius ſibi vindicarunt, ut trapezitas ipſi inſtituerent, ac nemini liceret menſam erigere, niſi ex ipſorum præſcripto ac iuſſu. Et profecto ita oportuit in re quæ omnibus generaliter prodeſſe debet, ut nemini eam liceret uſurpare niſi qui facultatem licentiamque acciperet à magiſtratu vel principe, ne ſcilicet neceſſitate egentium abuti poſſent qui illud munus abſque permiſſione ſuperiorum poteſtatum ſibi ſumerent, & eo ad libitum ſuum fungerentur. Hinc Reges Hiſpaniæ in Edicto anni cIɔ Iɔ c declarant, propter neceſſitatem & populi indigentiam debuiſſe ſe permittere Lombardos, idque & maiores ſuos alioſque ſupremos principes feciſſe affirmant & facere, ut refert Zypæus in iuris Pontificii novi Analytica enarratione, lib. v, Tit. de Uſuris. Notatque ibidem ex Navarro, idem ſtatuiſſe Pontificem quod ad terras

ſuas

ſuas ex Bulla Gregorii XIII. Quaſi nimirũ hæc facultas ad Regaliorum ius, & ſupremam poteſtatem ſpectet! Subiicit ibidem, ſe inveniſſe in concordatis Ducis Brabantiæ & Dominorum de Grimbergen anni CIↃ CC XCVII, hos ſtipulatos eſſe, ut in ditione ſua eis ius foret habendi Lombardi, quod nimirum mero iure & citra pactum eis habere non licuiſſet. Vide & alia eodem pertinentia apud eumdem Zypæum libro & titulo quibus ſupra. Cum igitur illuſtres Ordines ſucceſſerint in locum principis, eorum eſt & hoc privilegium concedere ſingulis urbibus provinciarum fœderatarum. Et profecto dediſſe etiam conſtat, ut conſtat, ex decreto Ordinum Hollandiæ & Zelandiæ, cuius nos verba iam in ſuperioribus attulimus, non hic repetenda. Huc reſpexit & Magiſtratus civitatis Roterodamenſis, ut conſtat ex diplomate eidem civitati ab illuſtribus Ordinibus Hollandiæ & Weſtfriſiæ conceſſo XXVIII Aprilis, CIↃ IↃC XXXV. cuius præfatio ſic fere habet: *Ordo Equeſtris, nobilitas, & Hollandiæ Weſtfriſiæque urbes, in quibus eiuſdem terræ Ordines conſiſtunt, omnibus præſentes inſpecturis audituriſve ſalutem: Notum facimus, expoſitum nobis eſſe à magiſtratu & rectoribus*

civitatis Rotterodamenſis , quod à longo tempore privilegium ipſi habuerunt , ibidem exercendæ per alios menſæ fænebris , quæ ſecundum uſitatum in ea ordinem , tenentibus vulgo Lombardis locata , & per eoſdem adminiſtrata fuit hactenus. N~~umq; id~~ omne hæc omnia clare clamant, nos potuiſſe ſine calumniæ aut imposturæ crimine ſcribere, in ſingulis urbibus Hollandiæ conſtitutos eſſe publica auctoritate Lombardos? Quid vero apertius, quam privilegium hoc urbium eſſe ſingularũ, ut Lombardos habeant, & Menſam illã ad urbes ipſas pertinere, quarum conductor tantum Lombardus habeatur? Hæc cum ita ſint, haud ſcio cur libuerit ſummis ac ſanctiſſimis viris Theologis, qui decreto ſuo communione ſacra Lombardis interdixere, hanc cauſam interdictionis adferre, quod in duriciem cordis à magiſtratu ipſis permittatur menſæ talis exercitio. Si puniendi itaque hoc nomine Lombardi, quod menſas huiuſmodi exerceant, tam communionis privatione, quam nota infamiæ, quid fiet magiſtratui qui locat menſas iſtas, cum conductores quibus locatur tam inclementer plectantur? Huic pœnæ potius ſubiugetur Magiſtratus. Nam ille eſt qui peccat, qui Lombardos vocat, qui eas menſas locat, qui

qui penſionem annuam ab eo pro locatione accipit, qui cum eo contrahit, qui eum conſtituit, & huic muneri præficit. Non video certe, ſi Lombardis conductoribus tanta pœna imponitur infamię & excommunicationis, cur debeat id eſſe impune magiſtratui locatori. Inter omnes conſtat, omnem iudicem debere eſſe ἀπροσωπόληπτον. Quã o magis eum qui conſcientiis prę-ſidet & gregem Chriſti curat, animaſque fidelium regit ac dirigit, Eccleſiæ paſtorẽ talem eſſe oportet? Qui recte de omnibus iudicare debet ut Chriſtum hac in re imitetur, τὸν ἀρχιποίμενα, qui τὴν ὁδὸν τοῦ θεοῦ ἐν ἀληθείᾳ ἐδίδασκε, ᾧ οὐκ ἔμελε περὶ οὐδενός, οὐ γὰρ εἰς πρόσωπον ἀνθρώπων ἔβλεπε. An hæc ἀπροσωποληψία eſt, eum, qui operam in ſacco tenendo præſtitit, furti condemnare, furemque qui ſurrepticiis illú rebus implevit, abſolvere? Si magiſtratus abſolvendus, quia menſam tantum locat, non exercet, hac eadem ratione & qui conducit, intra ſpẽ veniæ tutus eſſe debet, quia non ipſe, ſed famuli quos menſæ præfecit, eam adminiſtrant. Quod etiam moris fuit antiquis Græcis Romaniſque Trapezitis, ut non ipſi menſæ ſuæ adſiderent, ad eam exercendam, ſed ſervi eorum. Hi proprie ἐπικαθήμενοι τῇ τραπέζῃ dicuntur Demoſthe-

ni, vel ἐπὶ τῇ τραπέζῃ καθήμενοι Iſocrati in Trapezitico: καὶ πείσαντες τὸν ἐπὶ τῇ τραπέζῃ καθήμενον. Loquitur de ſervo Citto nomine, quem ſuæ menſæ prefecerat Paſio Trapezita. Idem fuit mos & Argentariis ſive trapezitis Romanis, quorum menſæ præfectos, *Nummularios* proprie vocari alibi docuimus. Iuſtinianus in Edicto προεστηκότας τῆς τραπέζης vocat. Quo loco & Samaritanos fuiſſe qui hanc operam trapezitis navarent, indicat, & vulgo σαμαρείτας appellatos docet. Iſti igitur famuli, quorum opera hodierni trapezitæ menſam, quam à publico conductam habent, exercent, ſoli erunt eius culpæ affines, quæ & infamiam auctoribus conciliat, & ne ſint Eccleſiæ paci conciliati præſtat. Quod eſſet plane ridiculum. Sed hoc agamus potius, ut omnes extra culpam pœnamque ponamus, tam Lombardos & eorum miniſtros, quam magiſtratus. Quo id rectius procedat, videndum, cui bono menſa illa fœnebris in urbibus conſtituta ſit, & in quorum maxime lucrum & compendium cedat, & quæ utilitas aut in quos potiſſimum ex illa redundet. Edictum Ordinum id obſervari præcipit, & fœneratores conſtitui, *prout ad maximam commodidatem & minimam læſionem civium,*

vium, cum decore & emolumento eorumdem civitatum pertinebit. Ergo ad decus & emolumentum civitatum inſtitutæ in his menſæ, & earum conſtituti exercitores. In pleriſque, ut accepi, urbium cum Lombardis contractibus, præferunt litteræ, ad ſublevandos pauperes id agi quod geritur, ut menſa trapezitæ erigatur, & exerceatur publica auctoritate. Et diſerte in litteris elocationis urbis Rotterodamenſis anni cIↄ Iↄ XCVII, Kalendis Novembris, dicitur, quod illa menſa elocatur ad uſum & utilitatem pauperum, & quod conductor eius obligatur inſtructam ſemper nummis habere menſam qui nunquam deficiant. *Pacten* vocatur quod ibi agitur, id eſt, elocatio & ἔκδοσις. Nec alia fuit veterum ſententia de his aut ſimilibus publicis fœneratoribus, quam, eos plurimum omnibus civibus prodeſſe, & precipue pauperibus. Inde eſt, quod amantiſſimus reipublicæ, & optimus princeps Alexander Mammææ, auctore Lampridio in eius vita, traditur *uſuras fœneratorum contraxiſſe ad triennes penſiones, etiam pauperibus conſulens.* Quibus ex verbis liquet, fœneratores, hoc eſt, trapezitas, nam de his intelligendum, ad levamen maxime pauperum inſtitutos, præſertim ſi

modicas accipiant uſuras. Retulimus ſupra ex Edicto Iuſtiniani & Novella eiuſdem conſtitutione, ideo multis privilegiis fœneratores publicos ab eo imperatore donatos, quod omnibus utiles & commodi eſſent. In leg. VIII. D. Depoſiti, argentariorum neceſſarius uſus eſſe dicitur, his verbis quæ iam ſupra retulimus: *idque propter neceſſarium uſum argentariorum ex utilitate publica receptum eſt.* Argentarios eos conſtat fuiſſe, qui non ſolum nummulis permutandis menſas tenebant, ſed etiam ad mutuã omnibus dandam pecuniã, quicunque opus haberent. Quę ſuperius attulimus, non ſinunt de eo dubitari. Sed quoniam duris capitonibus retundendis nihil ſatis idoneum eſt, in eorum gratiam adhuc unum locum adferamus ex Plauto, qui ubique modo *Argentarios* Romana voce, modo *trapezitas* Græca nominat. Is in Truculento ita loquitur de lenonibus ac ſcortis:

Quos quidem quam ad rem dicam in argentariis
Referre, here, niſi pro tabulis, neſcio,
Vbi æra perſcribantur uſuraria.

Ubi *Argentariæ*, ſunt tabernæ vel menſæ trapezitæ in quibus æra perſcribi ſolebant uſuraria. De eorum utilitate etiam inſignis

inſignis extat locus apud Iuſtinianum Edicto IX de Argentariorum contractibus cap. II. ubi eos dicit propugnacula eſſe communis utilitatis, τῆς κοινῆς λυσιτελείας προβεβλῆσθαι. Privilegia quę in eo Edicto memorantur, ſe eis tribuere ideo dicit: διὰ τὸ τὸν πάντα βίον αὐτῶν ἐκ τούτου συνίστασθαι καὶ τόκους αὐτοὺς τελεῖν, ἢ στεγονόμια διδόναι, καὶ τῆς κοινῆς λυσιτελείας προβεβλῆσθαι, οὐχ ἵνα ζημιοῖντο, οὐδὲ ἵνα παντοίως ἀτροφοιμένοιεν, ἀλλ' ἵνα ταύτην ἔχοιεν τῶν οἰκείων πόνων παραμυθίαν. *Propterea quod omnis illis ex eo vivendi facultas pendeat, quod mercedem pro habitatione dent, & velut propugnacula cõmunis utilitatis ſint: ut ne damnum ſentiant, atque alimonia deſtituantur, ſed hoc habeant laborum ſuorum ſolatium.* Ecce homines qui non alium vivendi quæſtum habeant niſi trapeziticum, quod tamen Theologo noſtro non probatur. Quibus nihilominus hac ipſa contemplatione ac reſpectu, quia aliud artificium non promittant quo ſe tueantur, & multa in hanc rationem artis impendant, qua non ſibi tantum, ſed omnibus utiles ſunt, tot illis privilegia concedit ſupradictus Princeps. Cur non eum hic audiunt & ſequuntur ſanctiſſimi Theologi, qui tamen alterũ non melius de tota uſuraria ratione, & eius modo, ſanxiſſe volunt? Ubi lubet,

recte eum conſtituiſſe autumant, in aliis, quæ ipſis diſplicent, digitum illi porrigunt medium. Cæterum ut antiqua omittamus, quod magiſtratus hodiernus præ ſe fert, menſas illas ſe locare fœneratoribus exercendas hoc tantum fini, ut pauperibus proſpiciatur, & eorum utilitati conſulatur, non poteſt id perſuaderi Theologis, qui ecõtra quotidie clamãt in ſuis concionibus & ſcriptis, pauperes impenſiſſime iis gravati, opprimi & enecari. Si ita eſt ut Theologi volunt, mirum certe, quomodo hactenus boni publici tam parum intelligentes qui urbibus regundis præſunt, vixerint, ut quid civitatibus ſuis conduceret, quid earum civibus & pauperibus utile aut noxium eſſet, non potuerint comprehendere. Nam pro fine habent quod maxime illi fini quem ſibi propoſuerunt, contrarium videtur. Non repugno, quin Theologi doceant magiſtratum, quid expediat facere in talibus pro bono reipublicæ cui prępoſiti ſunt, & ſi ille nolit videre monitus quod rectum eſt, quin etiam cenſuris eccleſiaſticis coerceatur. Sed interim videndum, an melius perſpicere queant optimi viri, qui pauperes non ſunt, & menſæ trapeziticæ auxilio non indigent,

gent, quomodo pauperibus proſpiciendũ ſit, quid iis conducat, quã pauperes ipſi de ſe quid ſibi utile ſit. Profecto exiſtimarim, magis illis eſſe accredendum, quorum res agitur, & qui optime ſentiunt gravamen ſuum & levamen quibus in rebus conſiſtat, quam his qui aliena tantum ſecuri commoda & incommoda contemplantur. Bene & eleganter calceatum hominem ſæpe videmus, cum tamen non ſentiamus, qua parte ipſum urat calceus, ſed & an omnino urat neſciamus. At ille qui eum geſtat optime id novit. Enimvero ſi pauperes quotidie opem magiſtratus implorarent, orarentque, ut de medio ſui tollerentur trapezitæ, id genus ſibi maxime exitiale eſſe, bonis ſe ſuis miſere ac crudeliter per eos everti, & ad extremam redigi egeſtatem: tum ego confiterer, iniquiſſime facere eos qui urbium regimen habẽt ſi egenorum in tali caſu querelas ac preces contemnerent. Nemo certe eſt, quin, ſi iſta fierent, iudicaret, omnimodo exterminandos, & in ſolas terras relegandos omnes eſſe trapezitas. At contrarium videmus uſu evenire. Si ex aliqua urbe Lombardus, ubi conſuetus eſt, eiiceretur, omnes ſtatim pauperes inclamarent ſibi fieri iniuriam, & eum reſtitui poſtu-

 larent.

larent. Quinimo certum etiam illud eſt, ſi quando, ut fit, fœnerator iſte pecuniam in numerato non habeat quam expendat, qui ab illo opem petũt inopes, pipulo illũ paratos eſſe poſcere, & oſtium eius occentare. Ideo per pactum conventumq; quod ipſi cũ urbe contrahitur, tenetur menſam nũmis non deficientibus inſtructam ſemper habere, ne quis ſit pauperum qui fruſtra aliquando eius adiutorium ſibi expetat. Credamus igitur potius pauperibus de utilitate quam ex fœneratore publico percipiunt, quam iis, quibus ad eum recurrere præ bona copia quam domi habent, nunquam neceſſe eſt. Iudicemus etiam, magiſtratus & principes, qui utiles eos reipublicæ cenſuerunt, & ea gratia admittendos ſanxerunt, non male iudicare, ac finem quem ſibi propoſuerunt pauperum per eos ſublevandorum, ſic facile aſſequi poſſe. Præſertim cum & talis quoque exiſtimatio & iudicium ipſorum ſit pauperum quibus hoc datur. Non ad alium finem inſtitutos liquet montes pietatis in Italia, & aliis locis, quam ut pauperes pecunia inde mutua ſub uſuris ſumpta, ab inopia ſua temporaria, & ad inopinatos caſus, qui multi ex tranſverſo incurrunt, ſubleventur. Idque fit probante

bante etiam ſummo Pontifice, & pleriſque Canoniſtarum non renuentibus, quin recte atque ordine talis inſtitutio fundata ſit, & pro bono atque utilitate pauperum cedat. Philippus Pulcher diplomate ſuo quibuſdam mercatoribus fœnebrium menſarum exercitium non tantum permiſit, ſed & præmiis ac privilegiis eos invitavit, ut narrat Zypæus, conſentientibus aliquot doctoribus, fieri poſſe, ut & non ſolum liceat, ſed etiam ex præcepto incumbat magiſtratibus, citra offenſam Canonum, immo & quandoque ex debito, ſicut medicus tenetur omittere curam morbi levioris, quando ex ea periculum eſt maioris. Nunc examinandum, quid maxime in trapezitis improbent ac damnent theologi. An nomen? Non puto. Quod enim *Lombardi* vocantur, nihil ad rem facit, ut probanda videatur, aut improbanda. Præterea ex antiquo id nominis habent, etiam qui ex Lombardia non ſunt, quia primi per quos menſę huiuſmodi exercitæ ſunt, fuere Lombardi. Quid igitur in his damnatur? An uſura? Non ſimpliciter, ut exiſtimo. Eam enim iure naturali licitam concedunt, nec cum divino pugnare. Ergo uſura trapezitica ab his repudiatur. Quo titulo? An quia trape-

trapezitæ eam exercent? Ne id quidem putem. Nam trapezita propter uſuram damnandus, non uſura propter trapezitam improbanda. Quid ſi alius quam trapezita æque magnam uſuram acciperet ac trapezitæ ſolent, an non æque condemnandus eſſet? Ita ſane. Et certum eſt, hodieque, ubi trapezitæ non ſunt conſtituti auctoritate publica, multos exiſtere privatos qui longe improbius fœnus clanculo exercent quam eſt Trapeziticũ, etiam maximum. Quid ſi trapezita reperiretur qui non ampliores exigeret quam quilibet privatus, & ſemiſſibus in centena ſortis uſuris contentus eſſet, an talis fœnerator eſſet explodendus? Perſuaſum habeo vel ſummo omnium theologorum conſenſu, huic trapezitæ tam modico, tamque modeſto, locum in urbe futurum. Ac ſi darent ei in civitate locum, forſitan nec à communione ſacra eumdem arcerent, nec infamia notandum ducerent. Non igitur propter trapezitam damnanda venit uſura, ſed propter uſuram trapezita. Uſuræ itaque modus eſt, qui non probatur, nimis enormis & improbus. Si de modo tantum quæſtio eſt, & ob eius exceſſum trapezitæ infamantur, videndum, ad quem pertineat modum uſuris imponere,

nere, utrum ad theologos, an ad magiſtratum. Neminē puto tam rerum imperitum poſſe reperiri, qui non cenſeat, ad Theologum tantummodo ſpectare, utrum licita ſit uſura iure divino & in foro conſcientiæ. Ubi autem ab hac parte conſcientiam noſtram in tuto poſuerit, pronunciando, uſuras iure divino eſſe licitas, tum de modificandis uſuris nihil habebit quod decidat aut iudicet, ſed totum id arbitrio principis aut magiſtratus relinquere debebit. Ubi de hoc articulo conſtabit, tum facile diſſolvetur ille nodus, an trapezitas admittere poſſint magiſtratus urbium, & an magiſtratus permiſſio uſuram trapeziticam licitam poſſit efficere in foro conſcientiæ. Cum enim trapezitica uſura certus uſuræ ſit modus, quem pro ſua poteſtate aut maiorem aut minorem ſtatuere magiſtratui liberum eſt, quemcumq; impoſuerit magiſtratus, eum licitum ac legitimum omnibus civibus haberi tam laicis quam Eccleſiaſticis debere, certum eſt. Nulli igitur theologo iniuſta videri debet uſura quam magiſtratus iuſtā pronuntiaverit, id eſt, uſuræ modus. Et qui eum modum uſuræ accipit, iuſtum pronunciatū à magiſtratu, non poteſt is nec debet iure eccleſiaſticas pœnas incurrere

currere, nec à communione ſacra removeri. Si removeatur, id fit per abuſum, & contra legitimam poteſtatem hoc facto calces iactantur, cum civilis iuriſdictionis uſurpatione. Immo magiſtratus ipſe in perſona trapezitæ prohibetur à communione. Nam quod infamiam attinet, iam ante docuimus, non poſſe irrogari cuiquam delicto, niſi per magiſtratum civilem. At contra omnem rationem eſt, ut infamis aliquis habeatur propter illum uſuræ modum, quem ſumma poteſtas iuſſerit, ac licitum eſſe voluerit. Non igitur poſſunt videri nec haberi infames trapezitæ qui licitũ ac legitimum fœnus exercent. Quod ad enormitatẽ & exceſſum uſuræ attinet, non inficior, ſi nimius & exorbitans cuicunq; theologo eſſe videatur, poſſe ab eo moneri ex officio magiſtratũ, ut ad civiliorem eam modũ deducat, & ſic magis pauperibus conſulatur. Hoc idẽ facere deberent, ſi princeps vel magiſtratus, qui poteſt, populũ ſuum aut cives magnitudine tributorum premeret. Sed quis melius poteſt intelligere vires civitatis, & quis modus uſuris tam trapeziticis quam communibus poni debeat, quã qui noverit quę pecuniarię rei ratio ſit in civitate quam gubernat? Utrum inopia

nummo-

nummorum an copia laboret? Quanti in ea pauperes, aut quales? & alia ad hunc modum? Nam ſola ratio nummariæ rei, ubique locorum, & ſemper, alios atque alios uſurarum modos peperit, omnes legitimos, quamvis diverſos, & pro locis temporibuſque maiores aut minores. Quorum omnium magiſtratus pleniſſimam ac liberrimam habere poteſtatem, pro certo teneri debet. Quod cum ſit, quod in his ille decreverit, ac conſtituerit, iuſtum rectumque videri decet, præcipue in illis quæ iure naturali ac divino licita eſſe conſtet. Quod de uſuris ſic ſe habere convenit inter pleroſque ſaniores theologos. Magiſtratus igitur hac in re ſanctionibus ac decretis contravenire, iuriſdictionem eſt uſurpare, & altare contra altare erigere, id eſt, diſciplinam eccleſiaſticam opponere iuſticiæ civili. Hac maxime ratione motos arbitror veteres Theologos ac Canoniſtas, nihil pœnarum Eccleſiaſticarum, ne minimarum quidem, decernere voluiſſe contra fœnerantes, etiam in modi legitimi exceſſu peccãtes, quia civilibus legibus ea profeſſio non ſolum permitteretur, ſed etiam commendaretur. Noluerunt itaque condemnare quod conſtitutionibus imperatorum quam-

quamvis non Chriſtianorum probaretur, licet plerique ex his, immo fere omnes, uſuras divino iuri eſſe contrarias, & lege Moſis vetitas, crederent. Tanto igitur minus eas damnaſſent ubi ſanctionibus Chriſtianorum principum eædem confirmatæ fuerunt, aut ſi putaſſent, quod noſtri theologi agnoſcunt, iure divino eſſe licitas. Hinc Gregorius Nyſſenus, quem ſæpe vocamus ad partes, in Epiſtola Canonica ad Latoium, uſuram non πάθος, id eſt, vitium ac delictum, in Eccleſia habitum fuiſſe ſuo tempore ſignificat, idque ita ab antiquis ſucceſſiva patrum traditione per manus acceptum. Μόνην δὲ, inquit, τὴν κλοπὴν καὶ τὴν τυμβωρυχίαν καὶ τὴν ἱεροσυλίαν πάθος νομίζομεν, διὰ τὸ οὕτως ἐκ τῆς τῶν πατέρων τὴν παράδοσιν ἡμῖν περὶ τούτων γίνεσθαι, καίτοι παρὰ τῆς γραφῆς ὁ πλεονασμὸς καὶ ὁ τόκος τῶν ἀπειρημένων ἐστί. *Solum autem furtum, & ſepulcrorum effeſſionem, & ſacrilegium, vitia exiſtimamus, quod ſit à patribus per continuam ſucceſſionem nobis ſic traditum, quamvis penes divinam ſcripturam omnis acceſſio & uſura in vetitis habeantur.* Quanto itaque minori cum ratione, qui uſuras lege divina non eſſe vetitas aſſerunt, πάθος definiunt τὸν τόκον, cum antiqui patres in maxime auſtera Eccleſiæ diſciplina tria

hæc

hæc ſola hoc nomine donaverint ac damnaverint, furtum nempe, ſepulcrorum violationem, & ſacrilegium? Ut rigorem ipſe in vitiis caſtigandis non damno, ita in æqualibus æqualem delictis adhiberi velim. Quod ubi non fit, nihil eſſe illa inæqualitate iniuſtius, palam eſt. Nec diſputandum hic cum illis reor, qui uſuras trapeziticas hodiernas, & in his locis uſitatas, nolunt concedere legibus publicis & auctoritate magiſtratus conſtitutas eſſe atque adprobatas. Falſiſſimam hanc eſſe hypotheſin adfirmant, nec enim conſtituiſſe magiſtratum nec adprobaſſe. *Cedo*, inquiunt, *edicta aut reſcripta.* Sciant ipſi, ut ea non repetam quæ ſuperius attulimus, eo iure quo hodie univerſa utitur Europa, non poſſe haberi in ulla urbe trapezitam niſi à magiſtratu conſtitutus ſit. Nec vero poſſe à magiſtratu conſtitui cuius non ſit ſuprema poteſtas, niſi à principe aut Ordinibus qui locum principem obtinent, hæc illi conſtituendi trapezitæ venia conceſſa ſit, & pro privilegio indulta. Ad Regalia enim hoc ius pertinet. Nec aliud omnino iuris in antiquis trapezitis, ſive Argẽtariis, fuiſſe liquet. Cum enim perſonæ publicæ haberentur, auctoritate publica munere hoc

 funge-

fungebantur, ut alio loco docuimus. Falſiſſima igitur ipſorum eſt hypotheſis, qua volunt, ſola tolerantia & conniventia magiſtratus trapeziticas menſas permitti, cum ipſiſſima eius auctoritate erectæ ſint, nec aliter poſſint. Idcirco hæc clauſula in omnibus litteris trapeziticorũ συναλλαγμάτων, à magiſtratu adiicitur, nõ ſe obligatũ fore ad cõditiones adſcriptas & trapezitæ præſtandas, ſi contigerit revocari uno eodemq; tempore omnibus urbibus conceſſum privilegiũ. Tolli ab ullo non poteſt & abrogari hoc privilegium habendæ menſæ trapeziticæ niſi ab eo qui dedit, id eſt, à principe aut ab Ordinibus regni aut reipublicæ generalibus. In iiſdem etiam contractibus magiſtratus ſibi poteſtatem reſervat, interpretandi conditiones pacti conventi trapezitici, prout ipſi melius & æquius videbitur ad omnes fraudes excludendas. Falſæ itaque hypotheſi ſuperſtructa condemnatio fœnoris trapezitici, quaſi à magiſtratu conſtitutum non ſit, plane ruat oportet, ut minime ſtabili fundamento inædificata. Quid ſi ſcirent, aut credere poſſent, à magiſtratu & publica auctoritate poſitos trapezitas, an non ſententiam mutarent, & concederẽt, admittendos ad communionem, & infamiæ

miæ nota liberandos? Profecto deberent, ſi unica illa ratione niterentur ad condemnationem trapezitarum peragendam. Sed alia ſunt etiam fortaſſe, propter quæ hanc profeſſionem ab uſu & commercio atque hominum ſocietate exterminatam vellent, ut indignam cuiuſquam boni & honeſti viri functione, ſed & pauperibus exitioſam. Expendendæ igitur ſunt eorum rationes. Primum hoc ipſum ab his damnatur, ſi quis hanc artem ſolam, & nullam præter illam, profiteatur. Quam inepta hæc ſit ratio, iam ſupra demonſtravimus. Si res ſit omnino deteſtanda uſura, & omni modo illicita, ut eſſe placet Canoniſtis & quibuſdam noſtrorum, tum certe profeſſio uſuraria & trapezitica non ſolum erit abominãda Chriſtiano, ſed etiam vel quælibet uſurpatio eius. Ita mœchatio clancularia intra privatos parietes non minus in illicitis habenda quam ſtupri profeſſio publica ſub lenone & in lupanari. Immo vel magis, more & iure gentilium, quorum leges adulterium puniebãt, & meretriciam profeſſionem permittebant. Legibus vero Iudaicis æque meretricius quæſtus in Iſraelita & Iſraelitide vetitus quam mœchia. Sin autem licitas quis eſſe dederit uſuras, ut noſter dat

Theologus, qui earum artem profitebitur, non magis peccabit, quam qui quoties occaſio inciderit, aut voluntas eius tulerit, aut utilitas poſtulaverit, fœnerabit. Sic mercatura, hoc eſt, mercandi profeſſio, non minus licita quam venditio rei ſuę alicui privato, aut emptio alienæ. Hoc ergo concluſum habere volumus, in re per ſe illicita vel unicam eius actionem eſſe vitioſam ac vetitam: in ea vero quæ per ſe licita eſt, ne profeſſionem quidem eius vetitam debere videri. Idque exemplo poteſt confirmari Iudæorum ipſorum. Quia enim ſibi vetitum fœnus cum fratribus lege Moſis ſciebant, hoc diligenter etiam nunc cavent, ne cuiquàm Iudæo, id eſt, fratri, mutuum ſub uſuris dent. Quandoquidem autem cum gentibus exercere fœnus eadem lex Moſaica eis permiſit, omnibus ſæculis & omnibus in locis ubicumque fuere olim & nunc ſunt, paſſim trapeziticam fecere ac faciunt, id eſt, fœneratoriam profeſſionem. Adeo ut Chriſtianis olim Argentariis id eſt, trapezitis, hanc operam navarent, ut præficerentur eorum menſis, eaſque adminiſtrarent. Quod miniſterium etiam præſtitere Iuſtiniani ævo Samaritani illius temporis trapezitis. Qui Samaritani non aliam legem habuere

habuere quam Iudæi. Duo præterea ſunt, quorũ gratia præcipue in odium adducere & infamare apud omnes trapezitici fœnoris actores conantur Theologi. Quod pauperibus fœnori dant, & quod pignora ab his accipiant. Super his duobus cardinibus tota trapezitarum exſecratio vertitur apud optimos & doctiſſimos theologos. Facilis eſt ad primum reſponſio. Quod pauperibus etiam fœnori dant, non illis hoc imputandum, ſed magiſtratui, qui ad hoc ipſum eos conſtituit, ut fœnerentur pauperibus. Non alia præter hanc cauſa, cur urbes quæ trapezitas habent, eorum habendorum facultatem expoſcant ſibi dari, quam ut pauperiores cives in temporaria ſua inopia eorum opera & opibus poſſint ſublevari. Quid replicare ad hæc poſſint doctiſſimi ac piiſſimi homines, ſane neſcio. Pauperes ſe ab his iuvari, teſtantur, magiſtratus credit, res ipſa id confirmat. Quid amplius? Quo argumento id improbabunt? *Quia promiſcue*, inquiunt, *exiguntur hæ uſuræ, ab omnibus fratribus, & civibus æque ac peregrinis, tenuibus, incendio, inundatione, peſtis bellive flagello, exilio, & captivitate, aliave calamitate oppreſſis.* Poterant compendii facere, dicendo, *exigunt ab omnibus uſuras qui pecunia mutuatica*

indigent. Atqui hoc ipſorum munus, hoc officium. A magiſtratu hoc illis iniungitur, hoc præſcribitur, non alio fini conſtituti ſunt, nec aliud habent quod agant, niſi ut omnibus cuiuſcunque ſortis & conditionis hominibus eorum ope indigentibus, mutuum ſub uſuris quas ipſe magiſtratus taxaverit, dent, & neminem repellant ac refutent. Non ſic tamen eos defendi placet, quod auctoritate magiſtratus & præſcripto pauperibus mutuum dent & uſuras ab his exigant. Certior eorum futura eſt defenſio, ſi dicamus, non aliis magis quam pauperibus mutuum debere dari, ac quidem ſub uſuris. Quis enim mutuaticia indiget pecunia niſi pauper? Si dives aliquis mutuum expetat, aut ad luxum quærit, ut nepotes: aut ad lucrum, ut mercatores. Hoc ſuperfluum, illud etiam vitioſum. At qui quærit ad neceſſitatem ſuam atque ut inopiæ qua laborat, medeatur, ut egenus & inops eā ſibi opem petit. Propter tales maxime neceſſarius olim viſus eſt uſus Argentariorū ſive trapezitarū, qui publice omnibus & præcipue egētibus ac pauperibus ex officio & munere ſibi impoſito mutuū dare tenebātur. Nec aliter nunc iudicat magiſtratus in his terris, nec ad aliū finē & σκοπὸν menſas in ſuis

in ſuis urbibus erexere trapeziticas. Quid aliud voluit Moſes, cum præcipit, dandum eſſe mutuum pauperi & egeno? Deuteron. xv. *Si fuerit apud te egenus quiſpiam è fratribus tuis in terra tua quam Dominus Deus tuus dedit tibi, non indurabis cor tuum, neque claudes manum tuam, & ſub pignore mutuando mutuabis ei ad ſufficientiam uſque id quod indiguerit.* At de uſuris, inquiet, nihil dicit, ſed mutuum eſſe gratuitum dandum præcipitur. Sane quia Iudæo hoc præceptum datur, cui & uſuris interdixit, ideo gratis ab eo mutuum dari vult pauperi & egeno. Si egenus ille gẽtilis eſſet, non dubium, quin mutuum ſub uſura illi dare Iudæus poſſet, ex lege eadem Moſis, quæ ſic habuit, *Fratri tuo non fœnerabis, extraneo autem fœnerabis.* Ergo ex illius legis mente ita tenetur mutuum dare frater fratri egeno, ut uſuras ab eo non accipiat, gentili autem & egeno ita poteſt commodare ut uſuras exigatur. Iam illud conſtat ex illa lege Moſis, pauperi eſſe mutuum dandum. Et quidem ſub uſuris, quia fatetur Theologus noſter, immo cenſet, eaſdem permitti Chriſtiano in Chriſtianũ quæ lege Moſis populo Dei in gentes erant licitæ. Nec hac tantum de cauſa mutuum pauperi dandum eſt cum uſura, ſed quia hodie aliter

mutuum nemo pauper inveniret. Atque ideo magiſtratus in his locis inſtituit trapeziticam , quæ omnibus pauperibus pateat in mutuo dando, cum uſuris, & ſub pignoribus. Mutuum pauperi dandum eſſe præcipit Moſes in Deuteronomio. At in Exodo per expreſſam mentionem fratris pauperis prohibitionem fœnoris limitavit, quæ tamen militat contra uſuras quaſcumque, & à quibuſcumque perſonis quæ Iudææ eſſent originis, percipiendas, etſi aliud videatur Theologo ; quia eo tempore in Iudæa ſoli pauperes mutuum petebant, eoq; indigebant, ut infra dicam. Ergo à paupere extraneo non prohibebatur exigere uſuras Iudæus , quas vetabatur à ſolo fratre , id eſt, Iudæo , accipere, ex illa lege Moſis expreſſiſſima , *Fratri tuo non fœnerabis , extraneo autem fœneraberis.* Quid ergo mali faciunt hodierni trapezitæ ſi preſcriptum magiſtratus, cui & inſerviunt in menſa publica quam conduxerunt exercenda , uſuras ſibi ab eo iniunctas à pauperibus exigunt, cum ad hoc inſtituti ſint ut exigant ? Quid dicent noſtri de mercatoribus ? An non & iſti promiſcue omnibus merces ſuas vendunt, civibus , peregrinis , divitibus , pauperibus , exulibus , captivis , inundatione

aut

aut incendio afflictis? An ſolent hi diſtinguere inter pauperem & divitem, ut huic carius, illi vilius ſua vendant? Immo & divitibus, quoniam plura ab illis emunt, & præſenti pecunia quod emunt præſtinant, ſoliti ſunt ſæpius leviori pretio ſuas merces præbere quam tenuioribus. Ita ditiores emptores ſibi obſtrictos habent ne ad alios eant, dum vilius pretium ab his exigunt. Præterea, quo opulentiores, eo interdum avariores homines, & quærunt eos mercatores qui minus care indicent. Ideo & ditiores, quos hoc velle ſciunt, minore impendio mergit mercator, ut ſæpius ad ſe redeat, nec ad alios ſe conferat. Tenues & inopes, quia ſæpius pecuniam in numerato non habent, nec præſentem mercatori poſſunt ſolvere, ſi quæ in diem differtur ſolutio, ea pretio impenſiore ſolita eſt compenſari. Et ſic uſuras ille mercator qui expectat à paupere emptore exigit interdum haud leviores quam quas trapezitis accipere magiſtratus permittit. Si mutuum ſub fœnore dare non deberet pauperi daniſta, quia plerumque eam ſummam poſcit qua ad egeſtatem redigitur, cur mercator eidem vendit pauperi eas merces quarum pretium interdum perſolvere non poteſt,

 & ſic

& ſic ad egeſtatis terminos deducitur? Qui ultra vires ſuas ſe veſtiunt, epulantur, ædificant, & ſumptibus ita ſeſe exhauriunt, cur inveniunt homines qui non dubitant hæc illis omnia vendere quibus citius pereant, & frequenter in diem dilata pretii ſolutione, quo magis ad emendum alliciantur? Cur prodigus & nepos omnes gulæ ac ventris copias ac cuppedias, quibus bona ſua dilapidat, ab omnibus earum rerum propolis accipit, & nemo eſt ex his qui ementem reiiciat, modo nummos afferat? Quis caupo unquam dixit pauperi vinoſo apud ſe pergræcari volenti, tu te is perditum, ex me non habebis vinum quo te ingurgites, dum liberi tui & uxor domi ſiti & eſurie miſere pereunt? Quis mercator tali unquam oratione uſus eſt ad ambitioſum pauperem & ſerica à ſe empturientem, ſericus iſte pannus, non tui eſt marſuppii nec tuæ fortunæ, laneus ille magis tibi conveniet? Qui muræenam aut mulum trilibrē à piſcatore parat præſtinare, cui gobio tantum in loculis eſt, an ullus eſt piſcator, qui cum hoc dicto eum repellat, quod debeat potius minutos accipere obolo in cœnam piſciculos? Tāto iniquius eſt hoc à daniſta exigere, quod à nullo merca-

mercatore exigitur, ut portitorum more curioſe exploret eorum rationes qui ad ſe empturi aliquid veniunt, utrum ſint divites an pauperes, & an ſupra conditionem ſuam & facultates illud ſit quod emere deſtinant. Iniquitas huius ſententiæ ex iis quæ iam dicam facile apparebit, ut conſtet, ſi non hoc requiritur in mercatore, multo minus in trapezita deſiderari debere. Qui ſericam veſtem à ſericario negotiatore vult emere, niſi illam ab eo accipiat, nullum tamen à frigore illi periculum aut nuditate imminet, cum tot alia ſint genera pannorum quibus corpus ſuum poſſit tegere. Qui non habet unde lautitias, quę caro emuntur, compararet, poteſt cibis vilioribus vitam ſuſtentare. Qui ſiligineum panē non poterit emere, cibario poterit eſſe contētus. Cui ad manum pecunia non eſt qua Rhenanum aut aliud generoſioris notæ vinum ſibi paret, non ſiti exareſcet, cum & villo aliquo poſſit eam reſtinguere, aut cerviſia, aut etiam rivo ſaliente? Nam ut ait Euripides:

Τί δεῖ βροτοῖσι πλὴν δυοῖν τούτοιν μόνον,
Δήμητρος ἀκτῆς, νάματος δ' ὑδρηχόου;

Nonne etiam Paulus Apoſtolus dicit, *victum ac veſtitum habentes debere eſſe contentos?* Ipſi gentium philoſophi, & quidem ex

maxime

maxime voluptariis, & hanc ipſam ἡδονικὴν profeſſionem habentibus, ſapientem ſuum beatum futurum prædicant cui erit præſto *μάζα καὶ ὕδωρ, panis hordeacius, & aqua.* Sed qui non habebit nummos, quibus vel iſta viliſſima, & parvo parabilia, ad victum tamen neceſſaria, emat, quid faciet, ſi ad daniſtam acceſſerit, qui eum tali ſermone dimittat? Tu nimium petis; dicis, tibi eſſe neceſſarios viginti nummos: at non fert tua crumena ut plures quam denos accipias. Niſi nummos igitur auferat à fœneratore quos poſcit & quibus opus habet, quid illi reſtat niſi inopia confici? Non enim hic loquimur de mendicis, ſed de honeſtis vel ambitioſis pauperibus, quibus ipſa mendicitas pro morte eſt. Quid igitur rationis eſt, imponere neceſſitatem daniſtis inquirendi in facultates & mores mutuum accepturi, & nihil tale mercatoribus præſcribere, cum ex emptione rerum quæ ſuperant cenſum ementium haud minus periculum egeſtatis iis incumbat, quam ex pecunia mutuaticia quæ maior ſit quam pro facultatibus accipientis? Hæc tamen conditio eſt ex pluribus ſecunda quas obſervandas præcipiunt, ſine quibus nullam uſuram licitam eſſe volunt. Nimirum, *ſi modicæ ſit quan-*

ſit quantitatis quæ mutuantem non exhauriat. Sed unde ſciet fœnerator eam quę à ſe petitur quantitatem eſſe modicam, & non excedere opes cenſumque eius qui mutuum petit? Si petentē interroget, non aliter reſponſurus eſt, quam eſſe modicam, & non ſe petere plus quam quod poſſit & cū uſuris quidē quę exiguntur reddere. Iurabit potius ita eſſe, ac pejerabit etiam, quā non impetret id cuius rei neceſſitas eum tenet. Neceſſitati enim nulla iuſiurandi religio eſt, nec lege ulla tenetur. At malim ego vel mēdicus eſſe quam perjurus. Quis non igitur & malle debeat, aliquē ſua opera exiſtere pauperem quam periurum? Atqui periurii ſępe cauſſa eſſet egeno, qui cogeret eum iurare, non maius eſſe ſuo cēſu & fortuna quod mutuo petit. At egeſtatis quam ex eo incurret mutuatarius nullo modo auctor videri debet is qui dederit mutuum, etiamſi eo exhaurietur, quia ille qui petiit hoc ſibi debet imputare, quod nimium petierit. Ridiculum igitur, hoc oneris imponī mutuum danti, ut ſollicite exquirat opes ac facultates petentis. Hoc enim illi oneris ſemel impoſito non petentem tantum percontari debebit, ſed civitatem circumire, & omnes notos amicoſque eius qui mutuum à ſe petit interro-

terrogare num eius facultates hoc patiantur. Amici illius & noti, ſine dubio ut gratum faciant illi ſuo amico, dummodo ſpondere pro eo non cogantur aut rogentur, audacter reſpondebunt fœneratori, modicum eſſe quod ab illo poſcitur, nec exhauriri poſſe tãtula ſumma. Si amicis ac notis non creditur, numquid ibitur ad ignotos eius & malevolos? Multo minus his credi deceat. Ignoti nihil comperti habebunt de eius facultatibus ac moribus. Malevoli mentientur, ac daniſtæ perſuadebunt, nihil illi homini eſſe dandum, quo poſſit iuvari, quia immodicum ſit quod ab eo petitur: ſalva conſcientia ſua id non poſſe dare, quia ea ſumma exhauſtura eſt accipientem. Quid igitur fiet, aut quomodo ad verum perveniet fœnerator in faciendo ſcrutinio bonorum mutuatarii? Quid ſi peregrinus ſit qui mutuo indiget, & qui nullos amicos aut notos habeat in ea civitate ubi eum oppreſſit pecuniæ penuria? Habet pretioſam ſupellectilem, ſed argento caret. Si eam vendere velit, vix dimidiam partem pretii ex ea recipiet. Forſitã nec inveniet quidem cui vænalem poſſit extrudere niſi nummo addixerit. Trapezitam ergo adibit illius urbis, ut ſub pignore ſuæ ſupellectilis

lis pecuniam ſibi neceſſariam ad iter peragendum accipiat. Quid ſi ille trapezita, conditionibus à theologo pręſcriptis obſequi cupiens, vereatur illi peregrino eam ſummam credere, quia ſuſpicatur nimis ingentem eſſe, non tamen ad verum poſſit reſciſcere an ita ſit, & in illo dubio, ut ſuæ conſcientiæ conſulat, & theologo pareat, eum peregrinum ſine mutuo dimittat, quid illo peregrino miſerius futurum eſt? Nam ſi apud publicum fœneratorem mutuum non inveniet, multo minus apud privatum, ac ne ſe quidem excipi, facile patientur Theologi. Prima conditio quam obſervari aiunt debere, ut legitimæ ſint uſuræ, non eſt æquior nec melior. Poſtulant, *ut mutuans, non ſit pauper, inops, aut tenuis conditionis, hoc eſt, nihil aut parum habens ad familiam ſuſtentandam, ſed ditior.* Non puto neceſſum eſſe hanc conditionem apponi. Non eſt enim verendum ne quis mutuum det niſi ditiori. De paupere quod addunt, ſi nihil aut parum habeat, tanto minor eſſe debet metus ne quis fœnori det ei qui nihil prorſus habet, aut cui minus nihilo eſt. Stipem huic eſſe dandam, non mutuum, hinc liquet. Si parum habeat, id eſt, tantillum ut quod acceperit non queat reddere,

& hic

& hic ad mendicos relegandus, quibus non datur mutuum. Nec ſequor Theologos, qui inter mutui genera, præter *gratuitum, compenſatorium,* & *uſurarium,* aliquod etiam recenſent *eleemoſynarium.* Ego nullum novi eleemoſynarium mutuum. Duo enim contraria eſſent in eodem ſubiecto. Si mutuum eſt, non eſt eleemoſyna: ſi eleemoſyna, aliud à mutuo. Quod datur ut reddatur, mutuum eſt. Quod datur ut non reddatur, vel donum eſt, vel eleemoſyna. Nam eleemoſyna donum eſt, quod mendico non reddituro quod accepit, datur. Hoc loco definienda venit pauperis proprietas, ne ſub eius ambiguo pergant homines cavillari, quod eſt à me toties dictum, à pauperibus uſuras exigi legitime poſſe. Nam quidam Iuriſconſultus magni nominis qui nunc eſt μακαρίτης, hoc ipſum arguebat, quod non definiſſem, de quo paupere accipiendum exiſtimarem à quo uſuræ licite poſſent exigi. Facillimum eſt ex vera definitione mutui decernere, de quali paupere intelligi debeat, cum dixi ac docui, ius ac iuſtum eſſe, etiam à paupere uſuras accipere. Cũ enim mutuum ſit quod datur ut reddatur, nihil ad eos pertinere eam mutui definitionem certum eſt qui non poſſunt

reddere

reddere quod acceperint. Nec ergo mutuum his dari convenit, qui non poſſunt facere ut mutuũ ſit quod illis datur. Multo etiam minus à talibus pro mutuo uſura exigenda ſit qui ſortem ipſam non poſſunt reddere. Pro definito autem haberi debet, quicunque mutuum quod accepit reddere poteſt, uſuram quoque pro eo mutuo poſſe ab illo exigi. Exempli gratia, ut à trapezitico fœnore de quo hic agimus non recedamus quod hebdomadarium eſt, ſi quis pauper octo florenos poſt ſeptimanam eos redditurus à trapezita acceperit, non difficulter poterit uſuram octo florenorum ſimul reddere, hoc eſt, aſſem unum, cum in florenum octava pars aſſis hebdomadatim exigatur uſuræ nomine. Atque hæc graviſſima eſt uſura trapezitica. Nam multis in locis in triginta ſtufferos una tantum ſtufferi octava hebdomadatim uſuræ nomine ſolvitur. Si florenum adhuc pauperior acceperit, ad hebdomadem unam debitum illud ſervaturus, facillime cum ſorte unius floreni, octavam aſſis, id eſt, *deutam*, ut hic vocant, pro uſura perſolvet. Atque ita in cæteris maioribus aut minoribus ſummis, prout pauperiores aut minus pauperes erunt, qui iis opus habebunt, pro proportione facultatũ

aut inopiæ ratione. Quo quiſque enim pauperior eſt, eo minoribus indiget. Quod non eſt paradoxon, aut ſi eſt, certe veriſſimum eſt. Mille florenos non petet à trapezita mutuos, cui cenſus erit tantum quingentorum; nec quingentos requiret, qui poſſidebit in univerſa ſua ſubſtantia centenos duntaxat florenos. Sed nec indigebit pluribus qui ſciet ſe non plures in cenſu habere. Unuſquiſque enim, ut plurimum, ſe metitur ad eum modulum quo ſcit poſſe comprehendi facultatum ſuarum modum. Quo quiſque ergo plura poſſidet, eo etiam pluribus eget. Dives qui domum extruere parabit, longe ad eam maiores ſumptus deſtinabit quam tenuior cui idem erit propoſitum. Finge, utrumque non habere præſentem pecuniam quam ad ædificandum inſumat, & cogi eam mutuo ſub uſuris ſumere. Dives amplam domum ædificaturus maiorem ſummam ſumet, minus dives minorem, quia non tam magnificas ædes moliri parat. Quod ſi iſte pauperior pares ditiori ſumptus vellet in ædibus conſtruendis facere, & eam ſummam mutuari, ſuccumberet, quia id acciperet cui reddendo par non eſſet. Ergo unuſquiſque computat quid in cenſu habeat, & ſecundum illam

lam menſuram actiones ſuas dirigit, & neceſſitatem æſtimat. Perinde ut poteſt, ædificat, epulatur, ſe veſtit, famulitium habet, & ita omnia. Si non facit, ſibi ipſi imputet ſi cadat, dum extra nidum adhuc implumis, aut non ſatis firmis præditus pennis, evolare geſtit. Non ille ſane auctor eius ruinæ erit habendus, qui ei quantum poſtulaverit, petenti mutuum dederit. Certe, ut iam diximus, pluribus & maioribus opus habet qui maiores habet opes, & minoribus qui minores. Sed quid fiet, ſi aliquis, quod ſæpe uſu venit, quantū poſſit & habeat in bonis æſtimare neſciat aut nolit dum mutuum petit? Sic profecto nimis vaga & incerta futura eſt definitio pauperis à quo uſuræ iuſte exigi poſſint, ſi eum accipiamus qui poteſt reddere quod mutuo accepit. Ecce tibi pauperculum qui ſupellectilem habet viginti florenorum. Poteſt eam ſummā accipere mutuo, & ex diurnis operis tantum intra hebdomadem unam corradere, ut ſortem cum uſura ſolvat. Si autem duplum ſumeret, ſine dubio non eſſet ſolvendo quod accepit, atque ita quantum ad hanc ſummam, ex eo genere pauperum eſt qui mutuum non poſſunt reddere. Nemo porro eſt tantis divitiis affluens, de

quo non idem dici queat, & in quem non id competat. Quinetiam plures quotidie videmus divites fieri pauperes, dum plus petunt à fœneratore mutuo quam reddere poſſunt, rariuſque id pauperibus accidere ut inde pauperrimi evadant. Pauper enim ſuæ paupertatis bene conſcius maiores nido pinnas vix extendit. At divites de ſuis fortunis plus fere ſemper præſumunt quam in re eſt. Non tamen hæc impediunt quin recta illa ſit regula quam propoſuimus de uſuris ab eo accipiendis qui poteſt eas ſolvere. Nec pauperem eſſe ad hoc, ut ei ſine uſuris credi debeat, quicunque potis eſt pro modulo ſuarum facultatum & ſumma mutui quo opus habet, reddere illud etiam cum uſura. Hæc regula ex alia deſcendit, quæ non minus vera eſt. Debere nimirum unumquemque fortunas ſuas expendere dum mutuum petit, ne plus ſcilicet petat quã poſſit reddere. Quod ſi faciat, nihil eſt quod eius conſcientiam onerari putemus qui ei mutuum dedit, ſi ex eo in paupertatẽ delabatur. Nec alia definitio pauperis eſt quærẽda præter hanc. Quæ pauperis appellatio ita accepta, relativa plane eſt. Pauper quippe ſenator dicitur non ſimpliciter, ſed ad cenſum ſenatorium quem non habet.

bet. Comparatus autem cum equite, dives eſt, quia plus habet quam cui cenſus equeſtris eſt, & non tantum quam cenſus ſenatorius poſtulat. Sic *pauper eques* Ovidio vocatur, atque ita ſemetipſum vocat, quia ei deeſſet cenſus qui in equitem deſiderabatur. Tibullus cum divitiis ampliſſimis excidiſſet, & ad paupertatem ſe redactum quereretur, eas nihilominus opes habebat quas quilibet honeſtus ambiret. Quinimo ipſe nihil amplius in ea fortuna petit, quam ut vitæ inerti traductus per ſuam paupertatem, aſſidue lucentem ſuum focum videat. Pauper erat in comparatione eius Tibulli qui olim fuerat, ſed dives, collatus cum aliis multis pauperioribus. Et miror, hoc non vidiſſe, qui tanta cum contentione, ne dicam ambitione, requirunt, ut uſuræ ſint legitimæ, ne pauperi detur pecunia ſub fœnore. Quid timent? An ne pauper adhuc pauperior fiat, & ad terminos mendicitatis redigatur? Atqui non tam durum eſt ac miſerũ, ut de pauperculo mendicus exiſtat, quam ut ditiſſimus repente pauper evadat. Id autem æque per uſuram fieri poteſt. Quo longius diſtat ditiſſimus à pauperrimo, quam pauperrimus à mendico, eo magis miſerandus caſus, qui de opulen-

tiſſimo pauperrimum facit, quam qui de inope mendicum. Ut gravius læduntur, qui ex alto cadunt, quam qui in plano ceſpitant. Helluonem & ebrioſum pauperem ad mendicitatem non proclivius deducere poteſt popina, & ad popinam ei pecuniam ſubminiſtrans menſa fœneratoris, quam ditiſſimum luxuria & prodigalitas, ſumptuſque ad eam ſuppeditans profuſiſſime ex menſa ſua idē fœnerator. Qui igitur monent, ditioribus tantum eſſe fœnerandum, niſi præcautionibus & conditionibus hoc fœnus quoque muniant, vereor ne periculoſius utrique evadat, danti & accipienti, quã quod pauperibus datur. Quia nimirum & in eo conſcientiam maxime offendet fœnerator, ſi diviti ad perniciem ſuam, quantum petet, expendat, & dives ab illo fœnore in egentis fatum devolvatur. Quid ergo? An anxie hic etiam explorabit qui ditiori pecuniam ſub uſura expenſam feret, ad quam rem illam deſideret, utrum ad profuſiones, & luxum, & voluptates, an ad aliud quod illi utile & honeſtum futurũ ſit, aut lucroſum? Et quis erit finis aut modus? Si non licita eſt uſura niſi ſub his conditionibus, ne ſit licita potius. Quis enim illas velit, aut valeat implere? Longe præ-

ſtaret

ſtaret ſimpliciter omnem uſuram tolli, quam introductæ eas conditiones adponere quæ eam tollunt. Eo modo quod altera manu porrigunt , altera auferunt. Tertia conditio mihi impenſe probatur, ne nimis rigide & importune exigantur uſuræ, ſi abſque culpa ſua debitor ſtatuto tempore eas exſolvere non poſſit. In his tamen idem obſervari debere ſtatuo quod in rei emptæ precio ſolvendo fit, cum ſolutioni eius tempus conceſſit & præſtituit venditor emptori. Aut etiam,quod propius eſt,in ædium locatione dum penſionē à conductore locator ſtatuto tempore exigit. Aeque enim poteſt quis importune exigendo quodcunque & pro quacunque cauſa ſibi debitum, quam uſurarium, debitorem ſuum perdere,aut ei multum incommodare. Quarta conditio qualis fuerit neſcio, nam in theſibus non comparet. Pro quinta ponitur , *ſi finis huius pacti ſit charitas,& κοινωνία, & εὐποιΐα reſpectu dantis, dum vult alteri benefacere & proximum iuvare, utilitas vero reſpectu accipientis.* Hæc conditio quæ ultima affertur, uſuræ etiam iugulum præcidit, & ſine ſpe ſalutis eam relinquit. Si alius fœnerantibus non debet eſſe ſcopus & finis, quam voluntas benefaciendi & proximum iuvandi , nulla

eſt cauſa cur uſuras beneficiũ daturus accipere debeat. Qui uſurã pro beneficio accipit, eo ipſo oſtendit, non utilitatis tantum proximi rationem habuiſſe, ſed etiam propriæ. Atqui ſi tollas hunc utilitatis reſpectum à parte dantis, omnem ſtatim ſuſtuleris uſuram. Quis enim reperietur tam comis & commodus, qui pecuniam ſuam gratis alicui, ignoto ſi forte aut peregrino, nam & hos iuvandos eſſe nemo negaverit, expenſam ferre paratus ſit? Si autem uſuras ſtipuletur, tum non charitas & benefaciendi voluntas ſola à parte fœnerantis conſiderabitur, ſed etiam lucri cupiditas. Negant vero, lucratorias uſuras eſſe admittendas, qui ſolas probant compenſatorias. Ponamus & ſolas compenſatorias. In his tamen non ſola proponitur εὐποιΐα & charitas pro fine fœneratori, quatenus compenſari ſibi expetit quod ſua intereſt non carere pecunia ſua. Vult igitur indemnis reddi. Quanta vis in eo ſit charitatis, qui prodeſſe proximo non ſuſtinet, niſi compenſatio fiat eius quo eum iuverit, non video. Non ea certe eſt charitas quam Dominus noſter exigit ab his qui perfecti eſſe volunt, hoc præcepto, *mutuum date nihil inde ſperantes.* Perfectioribus adhuc illud datur: *Vende bona*

bona tua & da pauperibus, ac me ſequere. Multos eſſe gradus charitatis, iam in præcedentibus docuimus. Duo præcipue ſunt. Una eſt perfectiſſima, quæ etiam cum ſuo incommodo proximi commodum quærit, quæque læſa non lædit. Altera eſt minus perfecta, quæ ita proximi utilitatis rationem habet, ut ſuum commodum etiam reſpiciat. Qua in ſpecie charitatis plures etiam dantur gradus. Nam alii plus, alii minus ad rem ſuam attenti ſunt, omnes tamen intra iuſtum. Sed & hoc quod æquum eſt & à legibus permittitur, alii ſtrictius exigunt, alii de iure ſuo aliquid remittunt, nec nimis ſunt ἀκριβοδίκαιοι. Patres Græci in ſuis Aſceticis tit. XXI, ὅτι ἀνοίκειον μοναχῷ τὸ θυμοῦσθαι, ſcribunt, τὸ ἀδικούμενον ἑκουσίως, καὶ συγχωροῦντα τῷ ἀδικοῦντι, κατὰ φύσιν εἶναι τοῦ Ἰησοῦ. τὸ δὲ μήτε ἀδικοῦντα, μήτε ἀδικούμενον, κατὰ φύσιν τοῦ ἀδάμ. Hæc charitas eorum qui nec iniuriam faciunt nec accipiunt, in obſervandis præceptis moralibus tantum verſatur. At illa quæ ἀδικουμένη non ἀντιδικεῖ, ſed concedit iniuriam facienti, ut magis Chriſtiana eſt, ita magis perfectam eſſe, fatendum. Nam præcepta quæ Chriſtus perfectis dedit, cuſtodire conatur. Illum Iudæi צדיק, id eſt, *iuſtum*, propriè vocabant, qui quod rectum eſt faceret, &

mandata legis obſervaret. At חסיד *chaſid*, id eſt, *pium*, appellarunt, qui maiore ſtudio & opera incumbebat ad ea, quæ recta eſſent, patranda, ac multo etiam diligentius ea faciebat quam iuris regula exigeret. Iniquum tamen eſt, ab omnibus Chriſtianis parem Chriſtianæ virtutis perfectionem exigere in una aliqua re, cum in aliis pleriſq; ſimilibus eam non deſideres, ac ne poſſis quidem ex imperio talem in omnibus, quæ eiuſdem generis ſunt, & indifferenter omnibus, eam præſcribere. Si ille qui pecuniam habet otioſam, hunc finem habere tantum debet in mutua ea danda, ut proximũ iuvet, eique benefaciat, cur alius finis eſſe debebit multas ędes poſſidenti & multos fundos? Non igitur eos vel eas locabit, ſed commodabit, ac gratis illas habitandas dabit, & iſtos colendos? Debere hoc fieri, non abnuo, ſed quis faciat aut facere poſſit, quæro. Nec porro convenit, pactum conventum uſurarium, in quo utriuſque utilitas verſatur, eo nomine è ſocietate humana tolli, & tot alios contractus relinqui, qui ſine dubio etiam abolerentur, ſi ab una parte benefaciendi voluntas tantum exigeretur, ab altera utilitas ſola accipientis reſpiceretur. Sola donatio nunc locum haberet in rebus humanis,

manis, ſi hanc regulam charitatis perfectę, rite ac ſtricte ſibi omnes obſervandam indicerent. Utinam eſſent qui obſervare vellent. Nec impediuntur huic ſe voto obſtringere, quod aliis aliud placet, & quod leges permittunt minus auſteram orbitam inſiſtere. Enimvero ſcire velim, charitatem illam quam *μονομερῆ* volunt eſſe in mutuo fœnebri, an in aliqua arte quæſtuaria reperiatur? Qui enim ex arte & profeſſione ſua ſemper lucrari adſuevit, haud ſcio an huic poſſit perſuaderi ita cum quoquã contrahere, ut à ſua parte charitas tantum & *εὐποιία* ſpectetur, à parte proximi utilitas. Si quæſtuarias artes omnes admittunt, cur in hoc cenſu non patiuntur numerari fœnerationem? Nam & in illis eſt quæ lucrum ex utroque latere contrahentium pro fine contractus habent. Iuvo te ſorte meæ pecuniæ, tu me iuvas uſuris pro mercede tanquam locatorum tibi nummorum. Mercatura præcipue omnis ad Indos hinc abiret, ſed non reditura, ſi in pactis ſuis vendendi emendique ſola charitas ſpectaretur ex parte dantis, id eſt, vendentis, & utilitas ex parte ementis, id eſt, accipientis. Sed vendere, dices, non eſt idem quod dare vel donare. Non ſum hoc docendus. Certe nec mu-

mutuum dare idem quod perdere eſt, ſed quando ſub uſura datur, pecuniam locare eſt. Si uſuram tollis; mutuum ipſum è natura rerum aboles. Si uſuram permittis, ut mutuum conſerves, non illas conditiones ei pręſcribere debes quæ idē operantur ac præſtant ac ſi ipſas abſolute ac ſimpliciter abolendas cenſeres. Quarum & illa eſt, evertendis uſuris, & mutuationi cum ipſis omni peſſundandæ, maxime efficax, non eſſe uſuras exigendas niſi ab eo quem ſcias lucrum ex tua pecunia facere poſſe. Optima ſane ratio qua pauperes & indigentes ab omni ſpe, ope, & auxilio, quo ab inopia temporaria releventur, excluſiſſimos facias. Hac confirmata ſemel ſanctione, non eſſe dandum fœnori, niſi divitibus, aut illis qui lucrum ex re tua facere queant, ſi aliquo infortunio dives alioquin cœperit laborare, non reperiet, à quo ſolatium ſubſidiumque in egeſtate petat. Quicunque enim poterit ſuam pecuniam elocare mercede, id eſt, dare in fœnus, fruſtra ab eo contendas ut cuiquam ſine precio & gratis eā commodet. Dabis mercatori pecuniam lucrum tibi relaturam, & ipſi lucroſam cum fraudibus & mendaciis futuram, miſero autem denegabis, ut onus indigentiæ, quo gra-

gravatur, amoliri queat. Non, inquiunt, ſed huic etiam ſubveniendum aio, dum gratuito id fiat mutuo, non fœnebri. Bona verba. Incipiamus ergo hoc ipſi præſtare, &, ne ſoli faciamus, aliis etiam, ut idem præſtent, perſuadendo, ſi poſſumus, efficiamus. Quid ſi ille miſer nolit ita accipere, ſed ultro uſuras offerat, & alia conditione neget ſe accepturum, quia generoſus eſt, quia etiam meminit quid ſui officii ſit in charitate erga proximũ referenda? Nam ſi charitas poſtulat, ut mutuum gratis dem proximo, eadem charitas quæ mutuum fieri in omnibus requirit, ut proximus ſe gratum teſtetur ſolvendis uſuris, prorſum poſtulat. Et certum quidem eſt, honeſtis ac generoſis gratiorem eſſe mutuationem pro qua uſuras dependant, quam gratuitam. Inepta etiam ratio & oratio illorum eſt, qui aiunt, non eſſe licitas uſuras, niſi quæ ab eo exigantur qui lucrum ex mutua pecunia facere cogitet, citra neceſſitatem. Quaſi vero non maius ſit, ex aliqua neceſſitate emergere, quam lucrari? Quod lucrum huic rei comparandum eſt, qua, flagrantiſſima inopia, fœnoris ope, aliquis liberatur? Si mercator ex mutuo fœneraticio, quod accepit, centena pro centum lucratus eſt, an amplius inde

ad

ad eum compendii & utilitatis redibit, quã ſi opera illius mutui talẽ neceſſitatem effugiat, qua foro cedere cogebatur? Quod bonorum ceſſionem vitat huius mutui gratia, præter quam quod generali bonorum excidio vindicatur, via etiam ei munitur in poſterum ad lucra ampliſſima. Atque ita mille caſus fingi poſſunt, & quotidie in vita occurrunt, in quibus lucro omni quæſtuoſius eſt, damnum evitare, per quod interdum etiam alicuius fortunæ labantes in ſolido locantur. Quis porro eſt qui non pluris æſtimet ab impendentis necis periculo erui quæ ab inimico intentatur, quam apud amicum læte ac laute epulari? Ita damni maximi vitatio plerumque dulcior eſt vel maximo lucro. Sed ad pauperes redeamus, à quibus uſuras accipi non probant noſtri Theologi, ut definiamus, de quibus maxime pauperibus id intelligendum ſit. Pauperis, ut ante dixi, ſignificatio cum relationem habeat ac σχέσιν ad divitem, & dives ſimiliter σχετικῶς ad pauperem referatur, certa quærenda eſt pauperis definitio quæ huc quadret. Dives eſt, qui centum habet millia florenorum, ſed reſpectu eius qui centum poſſidet auri tonnas, ut vocant, pauper eſt. Sic pauper habetur, qui vitam arte tuetur,

ſed

ſed dives dicendus, ſi cum mendico conferatur. Hic nihil habet, ille aliquid. In diem vivit mendicus, & ab aliena pendet quadra, operarius & artifex de ſuo vivunt quod manuum labore quæſierint, & interim aliquid etiam recondunt, quo ad caſus inopinatos uti queant. Sed pauper etiam eſt omnis qui mutuum petit, reſpectu illius à quo petit, & in illo præcipue tempore quo petit. Nemo enim mutuatur aliquid niſi qui eo indigeat. Etſi ad lucrum id poſtulat, eo & ipſo tamen indigentior eſt ac pauperior illo unde poſtulat. Nam hic habet qui dat, ille non habet qui petit. Non muto igitur quod dixeram in diſceptatione cum magno Iuriſconſulto in familiari colloquio habita, neminem mutuum ſumere niſi ob paupertatem, ſaltem temporariam. Si haberet, non ab alio quæreret. Hoc ipſum, non habere, eſt, pauperem eſſe eius rei quam ab alio deſiderat. Et hac in re ille ditior eſt à quo ea res poſcitur, quique eam poſcenti poteſt dare. Si igitur in aliquam neceſſitatem aut calamitatem dives inciderit, eo ipſo pauperi ſimilis evadit. Atque ut ille pluribus opus habet ut relevetur ex caſu, ita iſte paucioribus. Parvo momento ſublevatur pauper & erigitur, at diviti,

ut

ut reſurgat ſi ceciderit, maiori mole opus eſt. Et proportione iſta fiunt. Non loquor autem de univerſorum bonorum everſione quæ pauperi vel diviti accidit, ſed de iis tantum accidentibus in quibus uterque, pro modo facultatum ſuarum, præſenti eget pecunia, quæ mutua alicunde expiſcanda ſit ſub uſuris, ad hoc, ut ex inſtanti aliqua mala fortuna poſſit eripi, & res ſuas attritas in meliorem ſtatum reponere. Diviti enim omnibus ſuis bonis evoluto, & pauperi qui omne quod habuit perdiderit, nemo eſt qui velit reparare fortunas everſas data pecunia mutuo quantum ſatis ſit utrique ad priſtinum ſtatum recuperandum. Et quo quiſque quidem pauperior eſt, eo facilius, quo paucioribus indiget quibus redintegretur, ex infortunio ſuo poſſit alienis opibus extrahi. Ceterum niſi quis in ea calamitate quæ præter ſpem ipſi contigit, partem bonorum aliquam retinuerit, fruſtra de his quæ amiſit reſtaurandis per mutuum aut fœnus cogitat. Aliquis ecce in bonis habuit centum millia florenorum, tam in fundis quam in mobilibus. Si incendio ædes amiſſæ ſunt, aut prædia ab hoſte occupata, aut ſi diluvio agri vexati & abſorpti, aut ſi ipſe captus ſit à piratis cum

enthe-

entheca mercium multarum in quibus magna pars fortunarum eius conſiſtebat, ſi aliquo ex his caſibus aut ſimilibus periere ipſi viginti aut triginta millia, poterit opera eorum quæ ſuperſunt bonorum pecuniam mutuam invenire, qua medicetur lapſis rebus easque utcunque reparet, aut ſe ex captivitate redimat, aut alias merces coëmat. Si prædia ei relicta ſunt, ea creditoribus opponet: ſi pretioſa ſupellex remanſit, pignori eam dabit. Et ſi homines noverint, plura perditis adhuc penes eum reſtare, facile pro eo ſpondebunt. Pone, tota centum millia, & quidquid in cenſu habuit, eum amiſiſſe, quis huic omnibus fortunis exuto & ad mendicitatem redacto aliquid dabit mutuo quo reſtituat amiſſa aut partem illorum? Relictus hic erit hominum miſericordiæ, & nihil amplius ad mutuum pertinebit. Ad hos reſtituendos optimus olim mos Athenis & in reliqua Græcia viguit, per ἐρανισμὸν pecuniæ quæ ab amicis ac propinquis ſolebat conferri. Tale quid & noſtræ Hiſtoriæ referunt, factum circa quemdam Theſaurarium, qui cum ex magnis opibus repente ad nullas redactus eſſet, centum amicos habuit, qui ſinguli collatis in illum mille aureis ac donatis,

Rr pri

priſtinas ei repararunt divitias, & quidem aliquanto quam quas habuerat maiores, centum millibus aureorum conſtantes. Quę maxima illo tempore habita opulentia. Sed loquimur hic de mutuo fœnebri, non de ἐρανισμῷ amicorum. Nihil itaque diſtabit dives hic, univerſarũ fortunarum excidio multatus, à paupere, qui ſimiliter id parum quod habebat, aliquo fortunæ caſu totum amiſerit. Quamdiu vel hic vel ille aliquid reſiduum habebit, quãti erunt illæ reliquiæ, pro tanto pecuniam neceſſariam reperiet, ſi ſecuritatem creditoribus ex eo fecerit. Nulla igitur hic differentia, quod ad mutuum & uſuras, inter divitem & pauperem facienda. Ita enim per gradus aſcendi ac deſcendi poteſt in paupertate ac divitiis quorumcunque definiendis, ut omnes & pauperes ſint ac divites uſque ad mendicitatẽ, cui mutuum non convenit, nec uſura, ſed eleemoſyna. Miſerabilior etiam, ut dixi, pauper ex divite, quam pauperrimus ex paupere. Et perinde ut ratio eſt cuiuſque facultatum, ita pluribus aut paucioribus indiget, ſed indigentia paucorũ æque pauperiorem mordet, ac ditiorem plurium urit penuria. Pretioſam ſupellectilem, & argenti facti magnam vim aut

auri

auri gemmaſve, ad trapezitam pro pignoribus deferet dives, quia ingentem ſummam ſumpturus eſt fœnori ad expediendum difficultatem qua laborat. At pauper cui pauculis tantum numero nummis opus eſt, ut ex anguſtia qua angitur, elabatur, reſculas reſpondentes pro ſummula quæ ipſi neceſſaria eſt, ad daniſtam portabit. Quam gratum eſt diviti, nodum rei familiaris diſſolviſſe, aut diſſecuiſſe, pecunia mutuo ſumpta ſub pignoribus, tam volupe eſt & pauperi, pariter cuneum reperiſſe apud trapezitam quo ſimilem nodum findat. Omnia analoga ſunt. Sua difficultas pauperem cruciat ut divitem. Suam dives expugnare nõ poteſt niſi multis, ſuam pauper paucis amolietur. Cum nemo reperiatur qui velit gratis illos extricare, an non neceſſe eſt eſſe homines, & publica quidem auctoritate conſtitutos, atque huic officio ac muneri præfectos, qui eos expediant impeditos? *Sed pauperi*, inquiunt, *gratuita dari debet pecunia, qua ſublevetur, & nullæ ab eo exigendæ uſuræ.* Nemo eſt qui hoc mallet quam ego, aut qui fieri ita poſſe magis optaret, nec tamen eſt alius qui id effici non poſſe melius videat. Oſtendam quidem viam qua id obtineri poſſet, præter quam nulla alia eſt

quæ nos eo quo volumus deducat, ſed vereor ne pauci ſint qui eam velint calcare. Vis uſuras tolli, ſaltem à pauperibus non exigi? Hoc ut fiat, ſanciamus etiam legem quæ omnes teneat, ut liceat nemini nummos habenti, mutuos eos poſcenti pauperi negare. Si id impetramus quod una mecum Theologi imperaverint, tum concedam, non eſſe uſuras à pauperibus exigendas, atque etiam ſi quis velit, prorſus exterminandas. At ridiculum eſt, priuſquam iſtud evincas, remedium, quod inopiæ conſtat eſſe præſentaneum, pauperibus adimere, ſpe maioris ac melioris opis, quam eis fruſtra promittes, quia dare non poſſis. Mutuum uſurarium inopi levando eſt. Quod nemo negare queat. At magis levabitur gratuito. Stultus ſit qui inficietur. Sed ſtultior eſt, qui, cum id quod melius eſſe contendit, pauperibus iuvandis non poſſit ſuggerere ac ſubminiſtrare, interim eos illo uti non ſinat quo manifeſte iuvantur. In caritate annonæ aut in urbe obſeſſa & ad penuriam omniũ redacta, ſi pauper iuſto precio unde vivat extundere nõ poſſit, an fame potius eũ perire iubebis, quam ut care, ſed neceſſarie, comparato cibo vitam tueatur? Non potes perficere ut gratuitum pauper habeat

beat mutuum, cum egebit, quod ipſi commodius eſt: cur uſurarium ei eripis, quod eſſe ipſe ſibi commodum ſentit ac fatetur, & quo libenter utitur? Aut hoc fer, aut illud ei ne auferas. Ponamus, Chriſti mandato vetitas eſſe uſuras, quod tamen verum non eſt, ſed tamen ponamus. Ut hoc ſine pernicie pauperum teneatur, qui ſæpe iuvãtur aliena pecunia uſuram pro ea dantes, obſervemus omnes illud Chriſti præceptum, παντὶ αἰτοῦντί σε δίδου, καὶ τὸν θέλοντα ἀπό σου δανείσασθαι μὴ ἀποστραφῇς. *Omni à te petenti da, & volentem à te mutuari ne averſeris.* Fruſtra illud de uſuris vetandis, & præcipue trapezititis, quæ omnibus proſunt, locum habere in Chriſtianitate aliquis poſtulet, niſi hoc de mutuo gratuito nemini negando omnimodo obſervari curet. Hoc idem ſequutus eſt Moſes, cum fœnus inter Iudæos vetuit. Etiam iuſſit quod neceſſarium fuit, ut egentem ac petentem mutuum fratrem nemo repelleret fratrũ, ut infra pluribus confirmabimus. Sermo autem nobis eſt, ne quis hic erret, de his pauperibus qui poſſunt ſolvere, & quidem cum uſuris quod acceperint, & qui in contumeliam ſuam acciperent ſi quis eis ſtipem largiri vellet. De his loquimur qui aliquando plus habent quam

 ne-

neceſſe eſt unde vivant, aliquando minus. Quo tempore minus habent, & nihil in numerato præſto eſt unde ad victū neceſſaria ſibi cōparent, immiſericordia eſt eos prohibere ne ad trapezitam eant, & depoſitis pignoribus ad unam aut alteram ſeptimanam nummos ab eo ſumant quibus utantur, donec compendia quæ expectant, eis maiora obvenerint, quibus & debitū exſolvere queant, & eo quod reliquum erit, vitam ſuſtentare. Ut exempli gratia, pauperi artifici aut operario debentur triginta floreni pro opificio aut opera, quos niſi poſt ſeptimanam non eſt ab eo qui eos debet accepturus. Vivendum eſt interim, & pecunia ad manum non eſt quo in præſentiarum emat quod neceſſe eſt. Ibit ad daniſtā, & unius aſſis fœnore quindecim florenos ab illo mutuabitur; quod ſufficiet ad vitam tolerandam per duas ſeptimanas. Poſt ſeptimanam acceptis quæ ſibi debentur tricenis florenis, pignus ſuum redimet, & adhuc habebit unde vitam toleret per aliquot hebdomadas, donec lucrum quotidianum quod facit ex arte, ſufficere impenſis queat. Idem caſus & ſimiles in aliis quibuſvis pauperibus divitibuſque dari poſſunt & fingi. Hic locum habet hiſtoria ſartoris Middelburgenſis,

genſis, quam in libro primo de Uſuris retulimus, qui præ ſe ferebat, unico argenteo poculo octo aut decem florenorum precii, ſubinde cum urgeret neceſſitas ad trapezitam deferendo, ſe ſæpius fuiſſe liberatum ab impendentis ultimæ egeſtatis & eſuriginis malis. Quia quidam illorum qui alios ex ingenio ſuo æſtimant fabulam hanc à me confictam eſſe affirmarunt, optimum, doctiſſimum, ac reverendum virum, Danielem de Dieu, nominare hic auctorem meum debeo, qui id mihi narravit cum apud me eſſet, coram altero honeſtiſſimo viro communi utriuſque noſtrum amico. Poſtea didici, cum de eo inquirerem, pauperes omnes artifices eodem modo per totum annum opera trapezitæ & hic & in aliis urbibus maxime adiuvari, immo vel facile vivere. Quod difficulter admodū facerent, ſi hoc eis eriperetur ſubſidium. Multæ ſunt operæ quæ lanas carminant, nent, atque etiam texunt pro negotiatoribus pannorum, qui eas mercenarias ad hoc habent, & penſum eis imperant hebdomadarium. Recipiunt tantum in fine cuiuſque ſeptimanæ mercedem ſuam à negotiantibus, die nempe Sabbathi. Interim tota ſeptimana in labore tranſigenda eſt. Ut ſibi victus operan-

tibus ſuppetat, die lunæ deferunt ad trapezitam veſtes illas quas induere ſolent die feriato ac Dominico. Ea pecunia quam à trapezita ſub veſtium illarum pignore mutuam acceperunt, per totam hebdomadem vitam tolerant. Die Sabbati mercede accepta redimunt ſua veſtimenta, & cum his prodeunt in concionem die ſequenti Dominico, uſura aliquot obolorum perſoluta. Die lunæ ſequentis ſeptimanæ iterum eadem pallia portant ad Lombardum, & ex ea iterum pecunia tota hebdomade ſe tuentur. Hoc in orbem fit ab his per totum annũ: & cum plurimos ſuper ea re percontarer, mihi omnes confeſſi ſunt, magno opere ſibi menſam hanc utilem eſſe, immo vel neceſſariam. Divites etiam multos ea uti, certum eſt, & cum maxima ſua utilitate. In ſimili egeſtate qua pauper & dives affligtatur, & unuſquiſque pro portione & modulo cenſus ac ſenſus ſui, cur diſſimilia remedia introducuntur, ut dives uti poſſit trapezitica menſa, pauper non poſſit? ut trapezita diviti menſam expoſitam & paratam habeat, non habeat pauperi? Atqui huic potius patere deberet. Nam dives, cui abunde eſt rerum mobilium immobiliumve quas pignori hypothecæve dare poſſit, facilius

cilius invenerit apud privatos eã qua indiget pecuniã. At quis paupertinas reſculas pauperis requirat, aut iis ſervandis conclave aliquod in ædibus ſuis occupare ſuſtineat, ex politis iſtis ac nitidis, quibus ſemper nummi ſuperfluunt quos fœnori dent? Exceptis mendicis nemo eſt pauperum quin fateatur ſe plurimũ iuvari poſſe trapezitæ fœnebri menſa. Eſſe quoque mendicos quibus deneganda non ſit, quia & utilis illis futura eſt, infra dicam. Etiam quibus ars ſua & opera non poteſt ſatis præbere quod in victum impendant, & quibus de publico aliquid largiendum ut vitam tueantur, hi tamen etiam poſt publicam largitionem, etiam poſt privatorum charitatem, ſæpe neceſſe habent ad trapezitam recurrere, aut ſi trapezita ibi non ſit ubi ſunt, ſarcinularum partem divendere, ut caſui improviſo occurrant. Sæpe enim incidunt ipſis talia tempora, quibus exhauſta publica liberalitate & privatorum, ſiquam ſolent percipere, & quæſtu etiam deficiente quem ex labore & opere manuum faciunt, niſi in proximo ſit fœnerator qui pauperibus etiam commodet, extrema egeſtatis mala perpeti poſſint. Nam de huiuſmodi pauperibus ſermo eſt qui aperte mendicare erubeſcunt,

 ſcunt,

ſcunt, & oſtiatim panem ut profeſſa mendicabula quærere nolint. An trapezita his gratuitam pecuniam dare debebit utendam? Non prohibeo ne faciat. Et poſſit etiam donare. Sed cum ad id publice poſitus ſit ut omnibus fœnori det, poterit in aliis & alio tempore charitatis officia exercere, ſed petenti mutuum ſub uſura, etiam pauperrimis, dare tenetur. Tantum abeſt, ut hoc ei licitum non ſit. Cum mendico ſtipem dederis aliquot nummulos, ſi ad piſtorem eos ferat ut panem accipiat, an piſtor non recte faciet ſi panem illi eodem precio quo omnibus vendat? Non ideo taxatum eſt precium publica auctoritate panibus quos coquit, uti ſolis eos divitibus vendat, pauperibus autem vel mendicis gratuito præbeat, ſed ut ab omnibus idem pro his precium exigat. Ita caupo vinum ſuum omnibus, etiam mendicis, æquali precio vendit. Cur ergo non & trapezita ab omnibus idem fœnus exigat quod accipere ei permiſſum eſt magiſtratus auctoritate? Nam & pauperibus præcipue inſervit hæc menſa. Ad hoc ſaltem erecta publice eſt, ut inde in neceſſitatibus ſuis levamen pauperes, immo etiam pauperrimi, ſentiant. Ideo etiam & divitibus patet, quia ſi qui ex his pro tem-

tempore pauperes evadant, temporariæ ſuæ inopiæ ſubſidium ex eadem menſa petere poſſint. Cæterum ut gradus divitum ſunt, ita & pauperum. Idcirco difficile eſt definire quantis opibus opus ſit ut aliquis dives habeatur. Craſſus negabat quemquam divitem dici debere niſi qui exercitum ſumptibus ſuis alere poſſet, hoc eſt, viginti ad minus millia hominum. Ergo pauperes illi fuere omnes qui infra cenſum illum habebant. Inde cognomentum ei *Divitis* adhæſit. Sed quod ditiſſimus eſſet Romanorum, hoc & ipſo etiā alios tum divites Romæ fuiſſe conſtat, quos omnes divitiis ſuperaret. Non ergo ſolus dives fuit, quamvis ditiſſimus. An facilior ſit pauperis definitio, videamus. Ex definitione certe pauperis, quis proprie dives dicendus ſit, colligetur. Pauper is eſt, quem Græci πένητα vocant, ἀπὸ τοῦ πένεσθαι, id eſt, laborare, quia cum πόνῳ vitam tolerat, nec vivere poteſt, niſi laborem capiat. Quo in cenſu omnes reponendi artifices & operarii. Niſi aliquid agant, vivere non poſſunt, & ad victum neceſſaria habere. Ergo qui ſine ulla arte, ſine labore poſſunt vitam ſuam tueri, id eſt, ἄπονον βίον degere, quia πένητες merito dici nonqueunt,

queunt, divites & πλούσιοι dicendi. Tales ſunt quibus ex reditibus ſuis, qualeſcunque illi ſint, ſatis ſuppetit unde vivant. Horũ πενήτων, ſive pauperum, ut dixi, multi gradus. Nam prout eſt ars quæ exercetur, aut prout eſt artifex, qui eam exercet, ita facilius & minore cum labore, plerique vitam agunt. Sunt artes aliis aliæ lucroſiores. Sunt etiam artifices eiuſdem artis alii aliis ad quæſtum faciendum magis facti. Qui plurimum inter artifices laborant, & quæſitis maxime parcunt, illis non ſolum inde expeditior vivendi ratio fit, ſed etiam occaſio pronior ad divitias comparandas, ut in poſterum etiam arte relicta ſine labore vivant, & ex albo πενήτων eradantur. Sunt itaque ex his pauperibus quidam prope confinia divitum conſtituti, alii mendicorum adfines. Hinc πενίαν πτωχείας ἀδελφὴν eſſe, paupertatem mendicitatis eſſe germanam, dicit apud Comicum Græcum ille Chremylus in Comœdia Pluto:

> Οὐκοῦν δήπου τῆς πτωχείας πενίαν φαμὲν
> εἶναι ἀδελφήν.

Summa illa diſtinctio eſt qua pauper à mendico dividitur. Atque ita πένητος & πτωχοῦ victum vitamque ibidem diſtinguit idem ille comicus:

Πτω-

: Πτωχοῦ μὲν βίος ὃν σὺ λέγεις, ζῆν ἐστὶ μηδὲν ἔχοντα,
Τοῦ δὲ πένητος, ζῆν φειδόμενον, καὶ τοῖς ἔργοις προσέχοντα,
Περιγίνεσθαι δ' αὐτῷ μηδὲν, μὴ μέντοι μηδ' ἐπιλείπειν.

Mendici hæc vita eſt, quam dicis, nihil prorſus habentem vivere, ſed pauperis eſt vivere parce, & operi faciundo operam dare, ut cum nihil ſuperſit, nihil tamen illi deſit. Hinc ~~alibi~~ ibidem τὸν χειροτέχνην ~~πενίαν appellat~~, quia πενία proprie χειροτεχνῶν eſt. Plautus ſimiliter pauperẽ à mendico alium facit, in Menæchmis: à paupertate ſuſc[...] ri ad opus dicit

Pauper, mendicus, rex, paraſitus, ariolus.

Ut in variis gradibus divitum definiebat Craſſus quis proprie dives eſſet cẽſendus, ita cum nõ unus ſit ordo pauperũ, perinde ut propius ad divitum cenſum accedunt aut ad miſeram mendicorum declinant, Romani iuriſconſulti definierunt quis proprie eſſet ducendus pauper, ſive πένης. Ex facultatibus, non ſolum ex fide, æſtimabatur apud eos quis teſtis eſſet idoneus, id eſt, quis teſtimonii dicendi ius haberet. Pauperes id non habebant. Πένητες οὐ μαρτυροῦσιν. Sed in tot pauperum quaſi claſſibus, certa claſſis ſtatuenda fuit ex cenſu quæ ad teſtimonium dicendum parum idonea videretur. Qui in bonis non ha-

haberent quinquaginta aureos , & pro pauperibus habiti, & nõ viſi teſtes idonei. Quia nimirum pauperes infra illum cenſum facillime pecunia corrumpi ſoleant. Harmenopulus: Πένης δέ ἐςιν, μὴ ἔχων πεντήκοντα νομισμάτων περιουσίαν. Ergo ſupra illum cenſum, & qui illum habent , omnes ab appellatione πενήτων, id eſt, pauperum, excludendi. Apud Athenienſes, omnes qui nihil in publicum inferrent , & immunes eſſent omnium onerum civiliũ, nec etiam ad magiſtratum admitterentur, θητῶν nomine appellati, & πένητες habebantur. Infimus ordo divitum apud eos fuit, qui decem minas publico dependebant, & colligebant ducentos medimnos ex bonis. Ζευγῖται dicebantur. Hi tamen inter ζευγίτας ditiſſimi, qui & decem minas conferebant reipublicæ, & ducentos medimnos colligebant. Nam dicit Pollux, ἀπὸ τῶν διακοσίων μεδίμνων καταλέγεσθαι. Ergo hic ſummus erat modus cenſus zeugitarum. At minimus fuit eorum qui minam inferebant. Ergo hi potuerunt percipere ex bonis circiter quinquaginta medimnos. Omnes infra eam menſuram θητῶν nomine comprehendebantur , & πένητες vocabantur. Quales iſti θῆτες Atticis, tales Romanis fuere *prole-*

tarii

tarii cives, & *capite cenſi*, in pauperũ numero habiti, & ſic vocati. De quibus paulo poſt. Quibuſdam placuit, πένητα, id eſt, pauperem, ita definire: Πένης ἐστὶν, οὐχ ὁ μηδὲν κεκτημένος, ἀλλ᾽ ὁ πολλῶν ἐφιέμενος. *Pauper eſt, non qui nihil habet, ſed qui multa deſiderat.* Inde & אביון *Ebion* pauper Hebræis, id eſt, cupiens vel concupiſcens, quia πολλῶν ἐφίεται. Huic opponitur *divitis* finitio: Πλούσιος, οὐχ ὁ πολλὰ περιβεβλημένος, ἀλλ᾽ ὁ μὴ πολλῶν δεόμενος. *Dives eſt, non qui multa poſſidet, ſed qui non multis indiget.* Sed videntur φιλοσοφικώτεροι iſtæ definitiones, nec ſcopo noſtro conveniunt, ut ſciamus quis ille ſit pauper cui ſub uſura mutuum non ſit dandum. Πενίαν quidã ita definierunt, eſſe μεμετρημένην ἔνδειαν, *egeſtatẽ modicam*, ut opponatur πτωχείᾳ, ideſt, mendicitati, cui nihil prorſus eſt, aut minus nihilo: quæ non paucis eget, ſed omnibus, extrema nempe egeſtas. Sed πενίας illius μεμετρημένης etiã, ut dixi, plures ſunt gradus, & qui petiit ſibi definiri, intra quem pecuniarum habitum habendus ſit pauper cui dari poſſit uſurarium mutuum, aut non debeat dari, valde ipſe laboraſſet, ſi quis in eam neceſſitatem illum compuliſſet. An ſtabimus illi paupertatis definitioni quæ ſub imperatoribus obtinuit, ut pauper habeatur,

beatur, qui minus quam quinquaginta aureos haberet, id eſt, quinque millia ſeſtertium nummum, non ut Cuiacio placuit, quinquaginta millia ſeſtertium? Quæ ſeſtertium ſumma quingentos, non quinquaginta aureos efficit eius monetæ ex auro quæ in uſu fuit Hermogeniani tempore, cuius illa lex x. d. de accuſationibus. Ea lege accuſare prohibebãtur *propter paupertatem qui minus quam quinquaginta aureos haberent*, id eſt, ut dixi, quinque millia ſeſtertium, vel, quod idem eſt, viginti millia æris in aſſibus qui tunc promiſcui. Ratio fugit Cuiacium, qui illos quinquaginta aureos de quinquaginta millibus ſeſtertiũ interpretatur, quæ ſumma non ultimæ claſſis locupletium cenſus olim Romæ fuit, ſed primæ. Fefellit eum, quod Iuſtinianus in Papia lege, quæ *centenarium* libertum à centenis ſeſtertiis vocavit, vel, quod idem eſt, à centenis ſeſtertium millibus, ipſe à centum aureis denominari voluit, & pro centenis ſeſtertiis ſive centum ſeſtertium millibus centenos aureos computavit. Sic enim ſe interpretatum eſſe dicit lib. III Inſt. cap. VIII Papiæ legis ſummam de ſucceſſione libertorum, ut pro mille ſeſtertiis unus aureus computaretur. Quod computum falſiſſimum

fuit.

fuit, ſi ad veram æſtimationem id reducas. Quia mille ſeſtertii, cum Papia lex lata eſt, decem aureis, non uno, valebant. Atqui illo tempore aurei etiam longe maioris ponderis quam ævo Iuſtiniani fuere. Nam quadraginta octo in libram auri cudebantur, cum Iuſtiniano imperante mos eſſet, ſeptuaginta duo in libram feriri. Quæ igitur ratio eſt, ut mille ſeſtertii veterum, uno aureo Iuſtiniani æſtimarentur, qui decem aureis antiquis permutari ſolebant, quos triente graviores fuiſſe conſtat aureis Iuſtinianeis? Seni enim ex his in unciam auri incurrebant, quum quaterni tantum, quales in uſu Papiæ legis tempore, unciam abſolverent. Sic Papia lex *centenarium* libertum vocabat qui in bonis haberet centum ſeſtertia, id eſt, centū millia ſeſtertium nummum. Sic *centenariæ cœnæ* Tertulliano à centū huiuſmodi ſeſtertiis, ſive centenis ſeſtertium nummum millibus. At cum huiuſmodi ſeſtertia ac ſeſtertii nummi non eſſent amplius in uſu, ac ne nominarentur quidem, Iuſtiniani ætate, ille, quem Papia lex *centenarium libertum* dixerat à centenis ſeſtertiis, à centenis eum aureis appellavit. Hoc eſt, voluit ut in liberto qui centum aureos haberet idem ius eſſet, quod Papia

 lex

lex eſſe decreverat in eo, qui centum millia ſeſtertium, vel centena ſeſtertia haberet. Summa tamen longe diſcrepat. Nam centenarius Papiæ legis libertus, non centum aureos in cenſu habebat, ſed mille. Quæ divitiæ non pœnitendæ illo ævo fuere, ſed tales, ut primæ claſſi civium hic cenſus deputaretur, ac ne de minimis quidem eſſet. Nam uſque ad quingentos aureos cenſus eorum qui in prima claſſe cenſebãtur, deſcendebat, Centum millia quippe æris in cenſum deferre ad minimum debebant, qui illa claſſe digni viderentur. Centum illa millia æris Dionyſius centum minas Græce reddidit, vel quod idem eſt, decem millia drachmarum monetæ Atticæ. Ad aureos ſimiliter Atticos is numerus drachmarum reductus quingentorum aureorum ſummam reddit, ad Romanum denarium, quadringentos. Viginti quinque quippe denariis unus aureus Romanus æſtimabatur, viginti drachmis Atticis unus aureus Atticus. Totum populum Romanum, ut nemini ignotum eſt, in quinque claſſes diſtribuerat Servius Tullius pro cenſus ratione. In prima claſſe poſiti ditiſſimi fuere, in quam nemo cooptatus eſt qui minus haberet in cenſu centum minis Atticis,

ticis, ſive aureis quadringentis Romanis. Infra hunc cenſum qui cenſebantur, ſecundæ claſſi erant attributi, atque ita deinceps deſcendendo uſque ad quintam & ultimam. Quæ claſſis cenſebatur, teſte Livio, undecim millibus æris. Id eſt, ſeſtertiis illius ævi nūmis, quattuor & quadraginta millibus, ſive quadraginta quattuor aureis. Atq; hic Tito Livio minimus illius claſſis infimæ cenſus fuit. Dionyſius autem in hac claſſe cenſum fuiſſe ait, à viginti quinque millibus æris, id eſt, vinginti quinque minis Atticis, uſque ad duodecim minas cum dimidia, vel quod idem eſt, mille ducentas quinquaginta dtachmas. Quæ ſumma ad aureos computata facit iuſte quinquaginta aureos. Atque hanc omnino rationem ſequutum liquet Hermogenianum, cum prohibitum accuſare dicit propter paupertatem qui minus quam quinquaginta aureos in cenſu haberet, hoc eſt, ex inſtitutione Tullii, minus quam duodecim millia æris & quingentos, ſive quinque millia ſeſtertium nummum. Qui minore ſumma æris cenſebantur, in nulla claſſe erant, atque inter pauperes relegabantur, taleſque adeo *proletarii*, & *capite cenſi* vocabantur. Et *proletarii* quidem,

quod prolem ſufficerent reipublicæ: at *capite cenſi* quod cum in ære nihil haberent quod in cenſum poſſent dedicare, capite tantum cenſebantur. Ex quibus intelligi datur, eam paupertatis æſtimationem ac definitionem Romæ à Tullio rege inſtitutam duraſſe ad ultimũ fere uſque imperium. Hinc etiam licet cognoſcere, quot gradus divitum fuerint à Craſſo aliquo qui exercitum alere poterat ſuis reditibus uſque ad cenſum quinquaginta aureorum. Hi enim omnes incluſive pro aſſiduis & locupletibus habiti, & in claſſes redacti. *Aſſidui* enim vocabantur, id eſt, εὔποροι & ἀξιόχρεοι, ac locupletes. Cæteri omnes ἄποροι & πένητες, pauperes & inopes. Quæ maxima Romæ fuit civium multitudo, proletariorum, & capite cenſorum. Unde in legibus duodecim Tabularum ita ſcriptum fuit. *Aſſiduo vindex aſſiduus eſto: proletario civi, qui ſolvet, vindex eſto.* Ita enim legendum, non ut vulgo ſcribunt & explicant, *proletario cuicui volet vindex eſto.* Quaſi vero cuilibet liceret pro inope & proletario vindex & ſponſor eſſe. An ſi proletarii proletarius vindex eſſe voluiſſet, acceptus eſſet? Non eſt veriſimile. Aſſiduus, id eſt, locuples, aſſiduo, id eſt, locupleti, poterat eſſe vindex, etiamſi

non

non ſolveret, quia idoneus habebatur tam ille qui intercedebat quam pro quo intercedebatur. At qui proletario vindex eſſe voluiſſet, debebat ſtatim ſolvere, ut eum vindicaret in iure. De quo nos alio loco. Quidam etiam diſcrimen fecere inter proletarios & capite cenſos, quaſi illi etiam paulo ditiores eſſent, quam capite cenſi. Neutri tamen fuere in aliqua claſſe, nec pro aſſiduis habiti, ſed in numero pauperum poſiti, quibus propter paupertatem non liceret teſtimonium dicere, nec quemquam accuſare. Proletarii non amplius quam mille quingentum æris, ut ait Agellius, deferebant. Quæ ſumma colligit in auro illius ævi, tres aureos cum tribus aurei quartis. Et falſum eſt, quod ille apud Agellium ſcribit, tantulam ſummam in cenſum delatam fuiſſe. Nemo enim qui minus quã quinquaginta aureos in bonis haberet, aliquid in cenſum deferre ſolebat, quia nec in ulla claſſe erat. Minimus quippe cenſus ultimæ & quintæ claſſis fuit eorum qui duodecim millibus æris & quingentis cenſebantur. Infra hũc cenſum poſiti omnes extra claſſes fuere, & capite, non ære, cenſebantur. Inter quos fateor & quoſdam gradus fuiſſe, ut inter divites. Nam ex illa ino-

pum & capite cenſorum multitudine alii aliis aliquando plus in ſubſtantia habuere. *Proletarii* tamen omnes & *capite cenſi* iidem dicti ſunt, non, ut ille vult apud Agellium, hoc diſcrimine ſeparati proletarii & capite cenſi, quaſi iſti pauperiores eſſent, illi minus. Sic enim apud illum legitur: *Qui vero*, inquit, *nullo aut perquam parvo ære cenſebantur, capite cenſi vocabantur. Extremus autem cenſus capite cenſorum, æris fuit trecenti ſeptuaginta quinque.* Ridiculum. Si capite cenſi dicebantur, nullo ære cenſos conſtat. Quid autem miſerius illis hominibus in quorum tota ſubſtantia nihil amplius eſſet quam trecenti & ſeptuaginta quinque aſſes, id eſt, triginta ſeptem drachmæ cum dimidia, aureus unus cum vix dimidio? Sed de his plura ad Arnobium, ubi locũ eius vulgo corruptiſſimum de his proletariis ac capite cenſis in noſtra Editione emendavimus. Omnis autem illa inops & inteſtabilis turba proletariorum & capite cenſorum quæ minus quam quinquaginta aureos in cenſu habebat, ſimilis fuit Atticorum θητῶν. Ab omnibus reipublicę oneribus & tributionibus erant immunes, & à militia etiam vacationẽ habebant. Dionyſius eos ἀπόρους appellat, qui Æolibus cum ſuo digammate, βάπορ-

ροι

ροι dicebantur, unde Latinis *poper*, & poſtea *pauper*. Theophilus Inſt. lib. I. cap. VI. ἄπορον ita definit, ut in libris veteribus offendi: ἄπορός ἐστιν, ᾧ μηδὲν ὑπολιμπάνεται μετὰ τὴν τῶν χρεῶν ἐξαίρεσιν. ἢ οὕτως, ἄπορός ἐστιν, ὁ πλείονα ἐποφείλων ὧν κέκτηται. *Inops eſt, cui nihil reliqui ſit poſt æris alieni deductionem. Vel ſic: Inops eſt, qui plura debet quam quæ habet.* Et ſane difficile non eſt ſi vel tantillum debeat, ut minus habeat quam quod debet, ſi quis unum aut alterum aureum in bonis habeat, ut cenſum capite cenſorum & proletariorum fuiſſe dicit Iulius Paulus apud Agellium. Hi ſunt quos *animam ſolam in confiſcato habere* dicit Tertullianus. Cum enim nullam arcam, nullum vas, niſi ſolum corpus poſſideant, animam ſolam in eo conditam ac repoſitam habent, nihilque præterea. Qui autem plus deberent, quam haberent, dicebant eos *animam debere*. Ut ille apud Comicum, *quid ſi animam debet*? Et ſane cum in ære ut plurimum nihil haberent, de corpore ſuo luebant. Nam in plebe Romana tenuiſſimi iſti pauperimique homines, cives tamen, nec mendici, ab aſſiduis & locupletibus ac claſſicis pecuniam mutuam ſumebant, etiam ſub unciario fœnore leviſſimo, & cum ſolvendo non eſ-

ſent, addicebantur creditoribus ſuis, nexumque inibant, aut ipſimet ſeſe iis auctorabant & vendebant, ſerviebantq; donec æs alienum diſſolviſſent. Tales erant mercenarii omnes & in diem viventes, & ex quotidiana captura ſibi victum parantes. Dedimus pauperis definitionem, qualem à me requiſivit doctiſſimus Iuriſconſultus, quam refutare ac reiicere non poſſit, ex regis Romani inſtituto profectam, & à iuriſprudentibus confirmatam, totque ſæculorum conſenſu in imperio Romano corroboratam. Sed quid illa faciemus, aut quid boni ex ea trahemus, ad hãc quęſtionẽ, an liceat pauperi fœnerari? Nimirũ inde concludemus, ei qui pauper ſit, debere mutuum gratuitum commodari, illi vero qui locuples habeatur, in fœnus poſſe cum bona conſcientia pecuniam dari! Habemus pauperem ex ea definitione quem volebamus, ut ei gratis mutuo demus. & divitem quem quærebamus, ut licite illi fœneremur. At profecto tenui admodum limite inopiam à bona copia diſcretam, paupertatemque à divitiis diſtinctam illa pauperis ac divitis finitio à Iuriſconſultis probata nobis tradit. Locuples habebatur qui quinquaginta aureos in bonis habebat, qui ultimus

timus atque infimus cenſus locupletum, in confinio paupertatis poſitus. At anguſta plane ac ſubtili linea talis locuples à paupere diſterminatur. Nam cui quinquaginta aurei uno minus in cenſu fuerint, inter pauperes nominabitur ac numerabitur. Ergo quinquaginta aureos habenti in cenſu, legitime potero fœnori dare, non licebit mihi idem in illum qui quadraginta & novem aureorum ſumma cenſebitur. An unus aureus hanc differentiam inducet? Duo ſumus qui pecuniam habemus dandam ad uſuram, quia cogimur hoc quæſtu nos tueri. Venit ad me meam petiturus qui quinquaginta aureos poſſidebit, ſecurus illi dabo eam ſub fœnore, quia licet. Ad ſocium meum ſi accedet cui non ſuppetit ille integer cenſus, ſed uno tantum aureo deficitur, conſcientia ſua illum prohibebit huic utendam pecuniam communicare niſi gratuitam, quia iſte ſcilicet in pauperum numero ac cenſu eſt, nec claſſi divitum poteſt accenſeri propter unum aureum qui illi deeſt ad ſummam. Nonne hæc ridicula ſunt? Et tamen eo nos adegit definitio requiſita quæ pauperem à divite diſtingueret. Adhuc unum aureum detrahamus, item alterum, & ſenſim, ut ille

qui pilos equinæ caudæ vellebat, ad eum veniamus cuius facultates omnes viginti quinque tantum aureorum ſumma cenſeantur. Hic ſine dubio pauper erit, & altero quidem tanto pauperior quam ille locuples quinquaginta aureos in cenſum deferens. Multo ergo minus licitum erit, huic pauperi fœnerari quam illi locupleti quem dimidio ampliores opes claſſicum faciunt & idoneum. Sed quid ſi iſte viginti quinque aureorum poſſeſſor quinque tantum aureis opus habeat mutuis, nec aliter eos reperiat niſi pacta uſura? An hoc illi remedium egeſtatis qua illo temporis articulo urgetur depellendæ denegabimus, ſi æque bene hanc ſummam vel cum uſuris reddere poſſit, atq; ille locuples quinquaginta aureorum dominus, ſi velit mutuari ſub uſura decem aureos? Ad inferiores etiam cenſus ita procedendo perduci poterimus, atque etiam infimos, qualis ille proletariorum & capite cenſorũ Agellii, qui tres aureos aut unum alterumque in cenſu habebant. Nec aliter de his dicendum quam de illo qui quinquaginta cenſetur aureis, ſi unuſquiſque illorum pro viribus ac modulo ſui cenſus mutuum petere cogitet. Alioquin ægroto cibum dandum eſſe aliquis nega-
ret

ret, quia largior & ſolidior non illi convenit, ſed levis & exiguus. Ita ergo inopes qui magna ſumma gravarentur, etiam citra uſuras ſi eam ſumerent mutuo, parva iuvabuntur etiam cum uſuris, ſi copiæ ſuæ ac cēſui congruā velint accipere. Sic igitur ſtatuendum, quicunque fraudandi animum non habet, debere mutuum petere quod reddere poſſit. Si mutuum petit pro ſuis facultatibus, certe & uſura inde non maior exibit quam pro mutui quantitate. At talem æque facile pauper poterit cum ſorte ſolvere, atque alius locuples qui ſimiliter ſibi convenientem ſummam cum reſpondentibus ſibi uſuris mutuam requiret, ſi quando ea egebit. Mutuum ergo petens pauper ſe metiatur, & ex modulo ſuo id petens, etiam ex tali mutuo pro proportione exſurgentes uſuras ſolvere non erit impos. Qui fraudare vult, tam pauper quam locuples, ad eam labem ſe ſponte ſua redigunt, ut ne mutuo quidē reddendo ſine uſura pares eſſe poſſint, dū undique quærunt quod abſumant, & maiores ſuis copiis ſummas, pluresve, quam poſſint reddere, accipiunt. Hoc igitur totum partim ex voluntate mutuum quærentium pendet, partim etiam ex rei poſſibilitate. Qui mutuum petit, cur illi

illi ſtipem dabis? Qui ſtipem rogat, cur mutuum ei velles dare? Qui vero mutuum quærit, ſi non inveniat niſi uſuram promittat, an potius voles eum egeſtate extrema confici, quam eo modo quo poteſt ſi velit levari, fœnori nempe accipiendo, ſub hoc prætextu, quod lex vetat & Chriſtiana charitas uſuram à paupere exigere? Non dehortor ab illa charitate, nec nego, eam omnibus egenis ab eo qui vere Chriſtianus eſſe velit, atque eo nomine dignus videri, exhibendam, ſed agimus hic de eo quod vulgo fit, ac non fit. Pauper non reperit mutuum apud ullos niſi uſuram licitam præſtare ſit paratus: tu, Theologe, mori illum malles & contabeſcere fame, ut theſin tuam tuearis, quam ut id quo indiget à quoquam accipiat pacto fœnore? Quia non vis nimirum eſſe qui tali det ſub uſura, quod alius alii negabit aliter ſe facturum, tu qui charitatem prædicas ipſe eam præſta, & egenum iſtũ fruſtra aliorum oſtia circumeuntem ut mutuum gratuitum extundat, fores tuas fruſtra pulſare ne ſinito. Sic optime illud tuũ defendes, non eſſe pauperi fœnerandum. Ne mendicum quidem à mutuo fœnebri excluſerim, ſi alio modo non poſſit temporariam qua premitur

mitur

mitur eſuriginem à ſe propulſare, & ſi habeat aliquid quo ſecurum queat reddere trapezitam à quo ſummulã petet unde ſibi prandium aut cœnam paret. Nec eſt quod quis mihi Theologus hic occurrat, trapezitas eo maxime nomine cenſens damnandos, quod etiam à mendicis & oſtiatim panem quærentibus non dubitent uſuram exigere. Certe ad hoc conſtituti ſunt, ut omnibus pauperibus & egentibus eo modo quem probavit magiſtratus opitulentur. Non poſſunt diſtinguere à paupere vel pauperrimo mendicũ, cum interdum tam parva ſit inter utrumque differentia ut nulla videatur. Quicumque ad eos pignus adfert idoneũ pro ſummula quam poſcit, id etiam quod petit ex illorum menſa aufert. Non inquirunt, nec certe debent, utrum, qui ad eos venit, pauper, an dives ſit, an mendicus. Pignora tantum inſpiciunt, & pro eorum æſtimio, ut ſors ſibi ſua ſecura ſit, cum uſuris pecuniam expendunt petentibus. Ad mendicos quod attinet, aut validi ſunt, aut invalidi. Qui invalidi ſunt, in bene moratis civitatibus debent ali ex publico. Si qui validi ſint, cogi debent ad opus faciendum quale poterunt, & ex eo ſibi victum quærere. Qui non patientur ſe ad hoc

hoc cogi, ex urbe expellendi ſunt. Quicumque autem manibus ſuis operari valebunt, & elaborare quæ ad victum ſibi erunt neceſſaria, non difficulter etiam eam ſibi parabunt ſupellectilem, qua poſſint aliquando, ſi in egeſtatem incidant, pignori oppoſita apud trapezitam temporariam egeſtatem à ſe averruncare, ſi modo aliter ſeſe expedire non queant, ut ſæpe accidere illis neceſſe eſt. Cæterum quia in Gallia ne validi quidem mendici prohibentur publice hunc profiteri quæſtum, & multi ex mendicitate etiam ad divitias non contemnendas ſolent pervenire, quis huiuſmodi mendicabula à trapezitę menſa excluderet, ſi quando eis ita egere contigerit, ut ſtipe quotidiana non queant victum ſibi comparare? Ut quæſtus eorum valde eſt incertus, ut pote ex aliena miſericordia dependens, & dies plerumque ſequens non ſimilis eſt præcedenti ad hoc aucupium, poteſt ſæpe uſu venire, ut, quod pridie emendicarunt, non ſufficiat illis ad poſteri diei quadram aut ſcutellam implendam. Quid in tali caſu faciant, ſi nihil eo die reperient quod edant? Si in urbe illa ſit trapezita, & reſculas habeat ille mendicus quas oppignerare queat, & ſufficientem ſummam ad illius diei cibum

excul-

exculpere, an potius ſe eſurie macerari & interfici ſuſtinebit, quam ut ad menſam eat, & neceſſarios inde nummos petat pignore otioſæ & inutilis ſibi ſarcinulæ? Nemo eſt certe mendicantium, qui non hoc malit, quam habere in caſula non neceſſarios pannos, & neceſſitatem tam extremam perpeti. Die forſitan ſequenti felicior erit in mendicando, & ſatis corradet unde luere ſibi pignus poſſit, & peram ſuam implere. Sed intercedet Theologus, & non feret Trapezitam pignus à tali mendicimonio accipere, & nummos quos poſcit ſub pignore ei dare. Quid igitur? An ſtipem dare coget invitum? Quo iure id faciet? Cur potius trapezitam ad hoc compellet, quam quemlibet aliorum civium quos fruſtra circumivit illo die mendicus ille ut eleemoſynam inveniret? Cur denique à trapezita magis illam ſtipem exigi vellet, quam à ſemetipſo nollet largiri? Inter has difficultates dũ diſputat dandam eſſe theologus ſtipem iſti mendico, nec ipſe dare vult, nec dandam alicunde poteſt procurare, nec ſub pignore unde comedat à trapezita nummos ei præbendos cenſet, eſuribit acriter, fortaſſe & aliud peius, atque illud extremum

mum patietur. An pauperculo vel mendico æs habenti non dabit panem piſtor niſi gratuito, nec vinum caupo, nec carnem lanius? At cur ſtipem accipit mendicus in ære, niſi ut inde ſibi neceſſaria comparet, panem à piſtore, vinum ab œnopola, & carnem à lanio? Si, cum habebit nummos, eos ſibi tamen ſervare mallet, nec panem edere decreverit niſi mendicatum, nec tamen eum reperiat, an cum nummis ſuis nihil profuturis fami potius ſe conſumendum dabit, quam ut eos in panem inſumat? Numquid & piſtor crimine ſe grandi obſtringet, ſi æs ad ſe ferenti mendico panem dabit, & pretium ab eo exiget? Debet quidem, ſi nummis deficiatur mendicus, & fame conflictetur, panem ei gratis præbere, ut & alius quilibet, vel æs, vel quod poterit. Quid ergo, ſi & non neceſſariæ reſculæ ſint penes mendicum, quibus oppoſitis ad menſam trapezitæ æs ſibi invenire queat ad emenda neceſſaria? An ſuperfluas potius ſarcinas in caſula ſervabit, quam ut eas pro victu oppigneret, præcipue ſi aliter non poſſit, nec aliunde nummulos corradere? Hic fateor, aliam eſſe conditionem & cauſam privati quam trapezitæ, id eſt, publici fœneratoris. Privatus enim debet ſubvenire ino-

re inopi ac mendicanti in quantum poteſt hoc facere. Debet & hoc idem præſtare Trapezita, quatenus Chriſtianus, ac de propria crumena mendicantes qui nihil habent, & ab ipſo ſtipem petunt, ſublevare. Quod & multos facere, compertum eſt. Sed quod de menſa quæ publica eſt ſumitur, quæque omnibus promiſcue patere debet, & ad hoc inſtituta eſt ut omnia hominum genera quicunque egent pecunia, eius auxilio iuventur, non aliter dari debet & expendi mendico quam pauperi, & pauperi quam diviti. Panem privatus non vendet mendicanti etiam ſi æs in manu habeat quo emere poſſit. Sed recte & ſine reprehenſione poterit piſtor vendere cuicunque pretium afferenti panem quem habet vænalem, ſive mendicus ſit, ſive non mendicet. Idem & de mutuo dici debet ſub pignore. Mendico privatus pignore accepto non bene fortaſſe mutuum daret, ſed trapezita non male, quia ad hoc poſitus eſt ut omnibus det qui idonee cavere de reddendo poterunt quod de menſa acceperint. Nec enim famuli qui eam exercent eius nomine, poſſunt de alieno liberales eſſe, & quandoquidem ſciunt menſam conſtitutam eſſe publice, ut omnibus mutuum

petentibus & pignora pro ſecuritate offerentibus pateat, nullo diſcrimine habere debent quicunque eam accedunt. In quo hæc regula tenenda eſt, quicunq; poteſt mutuum ſolvere cum uſuris, non eſſe illum prohibendum à mutuo uſurario. Non ergo ab officio boni Chriſtiani deflectet qui huic muneri publice eſt prępoſitus ut omnibus indifferenter ſub uſura commodet, ſi acceptis pignoribus ſuo munere ita fungatur ut illi præſcriptum eſt. Quiſquis autem pignora poteſt adferre, mutuum quod quærit poſſe etiam cum uſuris ſolvere intelligitur. Nam pignus pro ipſo ſpondet tam in ſortem quam in uſuras. Quod ſi id etiam luere queat poſt aliquod tempus, argumento eſt fuiſſe ſolvendo & mutuum ultra vires ſuas non expetiſſe. Sin vero diſtrahi patiatur, vel per hoc oſtendit, ſibi rem ſuperfluam hanc fuiſſe, ac proinde illa carere potuiſſe. At ſi non potuit luere cum vellet, minus ex eius diſtractione apud Trapezitam facta damni incurrit, quam ſi coactus eſſet eam vendere cocionibus, quod ſæpe fit. Tam vili enim perſępe coguntur ſupellectilem ſuam vendere qui pecunia indigent, ut ſciam, multos qui ita emerint, plus ex eadem poſtea oppigne-

pigne-

pignerata accepiſſe de menſa trapezitæ quam quanto ſibi conſtiterat. Quinimmo etiam teneo, nonnullos pauperes quibus ad manum pecuniola eſt, hunc quæſtum vulgo facere, & rebus minimo emptis de pauperioribus quos neceſſitas cogit vendere, ad trapezitam mox delatis & pignore poſitis ampliorem accipere ſolitos ſummam, quam quantam pro ea dederunt, & ſic eam quaſi bene venditam trapezitæ relinquere. Præterea hoc etiam πλεονέκτημα habent pauperculi & mendici qui veſtimenta ſua trapezitæ oppoſita & non liberata diſtrahi ſinunt, ut poſt annum cum auctio eorum fit publica auctoritate, ſi pluris vendantur quam quanti illud eſt quod pro dato pignore acceperunt, hyperocham recipiant. Quod beneficium non habẽt, ſi quando aliis privatis, aut veſtiũ cocionibus res ſuas vendant, neceſſitate, ut ſæpe fit, coacti. Mutuũ poſſe dari, immo & debere, etiam mendico, pignore accepto, lex Moſis ſtatuit. Deuteron. XV. VII. *Si fuerit apud te mendicus quiſpiam è fratribus tuis in una è portis tuis, in terra tua quam Dominus Deus tuus dat tibi, non indurabis cor tuum neque claudes manum tuam à fratre tuo mendico, ſed aperiendo aperies illi manum tuam, & accepto pignore*

 mutuan-

mutuando mutuabis ei ad ſufficientiam ſuam uſque id quo indiguerit. Hoc mandato præcipit Moſes mutuum mendico etiam ſub pignore dari. Id enim ſignificare verbum Hebraicum, in ſequentibus docebimus. Uſura quidem ab eodem vetita eſt inter fratres. Sed cum permiſerit eam Iudæo cum gentibus, Iudæum ex eo certũ eſt potuiſſe extraneo vel mendico fœnerari ſub pignore. Quiſquis enim pignus poteſt dare, poteſt & illud mutuum quod accipit, ad æquivalentiam dati pignoris, reſolvere. Et ſic quantum ad hanc ſummam quam ſumit mutuam tali pignore poſito, idoneus & locuples cenſetur atque adeo ſolvendo eſſe, quamlibet alias egenus ſit ac mendicus. In Hebreo אביון dicitur, πτωχὸν Septuaginta reddiderunt. Aliquando ſolent & πένητα vertere. Ut exiguum ſæpe eſt diſcrimen inter πένητα & πτωχόν. Hinc Ἐβιωναῖοι hæretici, quos πτωχοὺς interpretantur veteres omnes patres. Exercitator ſacer ad caput v. Matthæi notat, *nihil eſſe frequentius Helleniſtis, quam ut egenum aut opibus collapſum, πτωχὸν aut πτωχεύοντα μειώσει uſitata dicant.* Helleniſtæ iſti illum plane infatuarunt; qui tamen nuſquam fuerunt, neque ſunt. Quaſi vero πτωχὸς etiam Græcis non ſignificet

opibus

opibus collapſum & egenum! Quænam igitur illa μείωσις de qua dicit Criticus? Πτωχείαν Græci definiunt, παντελῆ ἔκπτωσιν τῆς κτήσεως, & πτωχὸν, τὸν ἐκπεπτωκότα τῶν ὑπαρχόντων, qui bonis ſuis omnibus excidit. Quid plura? Πτωχὸν Græci vocant qui & ἐπαίτης & προσαίτης ipſis, Latinis vero *mendicus*, παρὰ τὸ πτώσσειν πάντας, quod omnibus ſe proſternat, & ad genua accidat, & humilem ſe faciat in victu mendicando. Antiquum enim Græcum eſt πτώω pro cado, inde πτώσσω. Quod & fugere, & ſe ſubducere, timere, & in latebras præ metu ſe condere, & humilem ſe dare, atque obnoxium, deſignat. Inde & pro mendicare apud Homerũ, πτώσσειν κατὰ δῆμον, pro πτωχεύειν. Qui vidit aliquando leporẽ εὐναῖον in cubili ſuo auribus demiſſis, ſolo adpreſsũ, facile intelliget, cur πτῶκα λαγωὸν poeta appellarit. Inde & πτωκὰς κύπειρος, Simmiæ, humile cyperũ, & χθαλαμόν. Πτάσσειν proprie eſt quod dicimus in noſtro idiomate, *ſe tapir*. Inde ergo & πτωχὸς pro eo qui ſtipem rogat. Unde in proverbio, Δὸς ἄρτον πτωχῷ, δὸς κόνδυλον ὄψον ἐπ' αὐτῷ. Dandum panem mendico monet, & inſuper vice pulpamenti pugnum illi eſſe impingendum. Charitas quidem iubet petenti panem dari, ſed ſi-

mul colapho admoneri debet huiuſmodi mendicus, ut aliquid agat, quo victum quærat, nec tali inertiæ ſe dedat, quo ſuam ſibi γαστέρα ἀργὴν impleat. Ergo mendici Græcis πτωχοὶ ab humilitate, quia πτωχὸς proprie eſt ταπεινός. E contra vocẽ eam quę Hebræis mendicũ & egenũ ſignat, à deſiderãdo & concupiſcẽdo quod non habet, hoc eſt, *Ebion*, Septuaginta interdũ ταπεινὸν vertunt, ut apud Eſaiam cap. XXXII. Quinetiam עני apud eundem Eſaiam cap. LXVI, quod interim pauperẽ ſæpe ſignificat, iidẽ interpretes ταπεινὸν reddiderunt. De his ſive ταπεινοῖς ſive πτωχοῖς, explicandi illi de quibus ait Dominus v. Matthæi, μακάριοι οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι, ὅτι αὐτῶν ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. Ad quem locum volupe eſt videre monſtruoſam nuperi Exercitatoris expoſitionem. Putat, hunc μακαρισμὸν oppoſitum eſſe à Domino noſtro pervulgatæ eo tempore Iudæorum opinioni, qua eo arrogantiæ devenerant, ut perſuaſum ſuis vellent, *non afflari prophetia niſi divitem.* Ergo Dominus pronunciaverit beatos pauperes, quia ſpiritum propheticum haberent. Ita ſane interpretandum ſit, ſi illa expoſitio locum habet. Igitur *pauperes ſpiritu* dixit Chriſtus de pauperibus qui ſpiritum habent prophetiæ,

phetiæ, quod contra Iudæorum eam ſententiam facit, qua negabant afflari prophetia niſi divitem. Sic pauper ſpiritu, πτωχὸς τῷ πνεύματι, ille πτωχὸς eſt ἐν ᾧ τὸ πνεῦμα προφητικόν. Neminem puto niſi τῷ νῷ πτωχίσαντι cui venire in mentem talis interpretatio poſſit. Verba etiam Eſaiæ citat, quaſi contraria illi Iudæorum opinioni, negãtium, pauperes ſpiritu prophetico inſpirari, ex cap. LXVI. verſ. II. *Ad quem autem reſpiciam niſi ad pauperem ſpiritu, & contritum?* Quaſi ſcilicet ad alium pauperem non reſpiciat Deus niſi quem ſpiritu prophetiæ donaverit! Et quaſi neceſſe ſit omnem pauperem, ut à Deo reſpiciatur atq; ut μακαρισμὸς ille Chriſti ei conveniat, etiam prophetam eſſe. Verba etiam Eſaiæ aliter & alio ordine allegavit quam leguntur in vulgata Editione, quæ *pauperis ſpiritu* non meminit. Sic enim habet: *Ad quem autem reſpiciam niſi ad pauperculũ, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?* Miratur tamen Exercitator, *de hoc loco non cogitaſſe interpretem*, id eſt, Bezam, *qui alios adduxit*. Ego vero miror, potuiſſe cogitare, locum illum Eſaiæ facere multum ad interpretationem iſtius Matthæi, ubi Dominus beatos prędicat *pauperes ſpiritu*. Quod enim Criticus *pauperem*

ſpiritu in illo Eſaiæ loco poſuit quem nullus habet textus , neque Hebraicus, neque Græcus , neque Latinus , ferrem me pro ſycophanta & impoſtore ab illo traduci , ſi tale quid commiſiſſem. In Latino eſt vetere ut poſuimus: *pauperculum, & contritum ſpiritu*, non *pauperem ſpiritu*. De vere pauperculo intellexit, qui & ſpiritu contritus eſt. Quam multi enim ſunt pauperes arrogantes , inſolentes , ſuperbi , contumaces ? Huc veniat qui tales multos videre volet. In Græco Septuaginta legitur : καὶ ἐπὶ τίνα ἐπιβλέψω, ἀλλ' ἢ ἐπὶ τὸν ταπεινὸν, καὶ ἡσύχιον , καὶ τρέμοντα τοὺς λόγους μου. Pro *pauperculo* ταπεινὸν dixere: & ἡσύχιον *ſpiritu contritum*. Numquid & hic in his Græcis Eſaiæ ταπεινὸς & ἡσύχιος exponi debet de eo qui prophetiæ habet ſpiritum ? Ita vellet Criticus. Hebræa habent : עני ונכה רוח. Id eſt, *adflictum, & contritum ſpiritu*, ut vertit ad verbum Arias. An contritus ſpiritu de eo explicandus cui ineſt propheticus ſpiritus ? Non hic defendam Iudæorum ſententiam, quam impugnat Criticus , & cui his verbis de paupere ſpiritu beato cum cura Chriſtum ſe opponere , tam ſtulte quam falſo putavit, ſed certe ea multa ratione nixa videtur, & experientia præterea comprobatur.

Quem

Quem enim legimus ex prophetis fuiſſe pauperculum & mendicum? Quidam in his & reges fuere & ἀρχιερεῖς, ex familiis in aula præcipuis & principem locum obtinentibus. Ratio etiam ferme poſtulat, mendicos & pauperes vix poſſe ſpiritu prophetico impleri. Per ſomnum illis & viſa nocturna prophetandi facultas inſpirabatur. Unde & *videntes* vocabantur, id eſt, ſomniantes. Animæ autem pauperculi de lodice paranda ſollicitæ, & nihil aliud niſi τὰ ἄλφιτα ὀνειροπολοῦσιν, vix ac raro ſeſe inſinuat ille ſpiritus qui prophetas facit. Præterea nec idoneus mendicus qui propheticum iſtum ſpiritum poſſideat. Ad quid enim prophetabitur cui nemo ſit crediturus? Tenui atque inopi etiamdum narrat quę geſta ſe vidiſſe dicat, rarus eſt qui fidem habeat. An ventura prædicenti ac divinare ſe profitenti aliquis auſcultaret? Legibus Romanis is cui minus eſſet quinquaginta aureis in cenſu, id eſt, marca auri cum dimidia, non habebat teſtimonii dictionem, nec quemquam poterat accuſare. Prophetanti & vaticinanti pauperi parvam illi habuiſſent fidem quem pro teſtimonio aliquid dicere volentem non audiebant. Ut hoc perpetuum non ſit de paupere prophetiæ vix

capace, certum tamen eſt, Chriſtum nihil minus cogitaſſe hoc loco quam de illa Iudæorum ſententia oppugnanda, cum dixit, *beatos eſſe pauperes ſpiritu.* Quomodo id adſtruat Criticus, pauperes eſſe ſpiritu qui προφητείας χάρισμα haberet, operæ pretium eſt audire. *Sed verum*, inquit, *quod initio dixi. Ab Helleniſtis ac Hebræis interpretatio petenda. Si horum autem qui afflicti & mites ex paupertate aut alia calamitate ſunt, regnum Dei eſt, ergo & Dei ſpiritus, & eius dona, contra quam Iudæi ſentiebant, de quibus dixi.* Nempe non afflari prophetia niſi divitem. Qui argutiarum merum artificem & argumentationum mirum fabrũ negabit Exercitatorem ſacrum, me iudice errabit. Pauperum, ex verbo Chriſti, aut alia calamitate oppreſſorum, regnum Dei eſt. Quorum regnum Dei eſt, etiam Dei ſpiritus propheticus, & alia dona eorundem erunt. Ergo pauperes etiam prophetæ. Ergo etiam Apoſtoli, & Doctores, atque alia omnia χαρίσματα & dona poſſidebunt, quæ tamen diſcrevit Apoſtolus, quia pauperes quorum eſt regnum Dei iudice Ariſtarcho alia omnia dona Dei poſſident. Omnes etiam de quibus in ſequentibus dicit Dominus quod beati ſint, neceſſario etiam vi illa vera divi-

nandi

nandi polluiſſe oportet. quia etiam eos μακαρίζει Chriſtus, regnumque ſuum eis promittit, manſueti, lugentes, mites, miſericordes, pacifici, qui perſecutionem propter iuſticiam patiuntur, & alii qui ibi μακαρίζονται. Quo enim iure ſoli pauperes etiam prophetandi ſpiritum ſimul cum μακαρισμῷ accipient, & cæteris negabitur? Poſſum dicere, me neminem hactenus vidiſſe Criticum, qui in commentanda ſacra ſcriptura maiorem mentis mendicitatem & κενότητος oſtenderit. Talia enim omnia fere ſunt nova eius interpretamenta ad Novum Teſtamentum, quale iſtud eſt de pauperibus aut mendicis ſpiritu, qui ſpiritu prophetico donati ſunt, & ideo beati à Chriſto prædicantur. Πτωχοὶ τῷ πνεύματι dupliciter poſſunt intelligi, pro duplici notione vocis πτωχὸς quam habet apud Græcos, non apud illos imaginarios Helleniſtas, qui nulli fuere. Aut enim in originali ſignificatione hoc verbi hic ſumendum eſt, qua humilem denotat, aut in uſuali, qua mendicum. Si illo modo accipiemus, tum τὸ πνεῦμα ἀντὶ τοῦ φρονήματος & pro mente animi, ut ſæpe Græcis ſumitur, & Paulo Apoſtolo, erit capiendum. Sic πτωχοὶ τῷ πνεύματι ſunt humiles ſpiritu, οἱ ταπεινόφρονες, qui non altos ſpiritus gerunt,

gerunt, ſed quaſi contritos, fractos, deiectos ac ſubmiſſos. Nam πτωχὸς ex etymi ſui proprietate plane ταπεινὸς, & πτώσσειν eſt ταπεινοῦσθαι. Sic שפל רוח apud Eſaiam humilis ſpiritu, ὀλιγόψυχος, qui opponitur τῷ μεγαλοψύχῳ & μέγα πνέοντι, magnum & altum ſpiranti. Septuaginta in Pſalmo XXXIII ταπεινοὺς τῷ πνεύματι vocant qui in Hebræo דכאי רוח, id eſt, *contritos ſpiritu.* qui apud Eſaiã loco ſupra ſcripto נכה רוח. Sed & *contritos ſpiritu & corde*, pro eodem legere eſt in Pſalmis, & eo ipſo XXXIII, eodem verſu, נשברי לב, *contriti corde*, καρδίᾳ συντετριμμένοι. Ubi לב, id eſt, cor, & רוח, ſpiritus, non diverſam vidẽtur habere ſignificationem, ſed pro mente animi & φρονήματι ſumuntur, ut alibi dicimus. Quod ſi in ea notione capiatur qua tunc paſſim per totam Græciam uſurpari ſolebat, nimirum pro mendico & illo qui nihil omnino habet, quique omnibus rebus deficitur, eo ſenſu τὸ πνεῦμα eſſet hic accipiendũ pro ira, quomodo etiam ubique apud optimos Græciæ auctores, & apud Septuaginta interpretes capi conſuevit. Hinc πνεῦμα θυμοῦ, & πνεῦμα ὀργῆς apud iſtos ſæpe occurrit. Sed & nomen רוח Hebræũ, quod ſpiritum & πνεῦμα ſignificat, non raro pro θυμῷ & ὀργῇ apud illos ponitur.

tur. Sic & πνεῦμα ζηλώσεως, cum ζήλωσις nunquam tumore ac fermento careat. Aquila πνεῦμα quoque in ſua verſione pro θυμῷ ſive ira poſuerat in proverbiis XVIII. XIV. πνεῦμα ἀνδρὸς πραΰνει θεράπων φρόνιμος, id eſt, ὀργὴν ac θυμόν. Ita πνεῖν pro iraſci Græci uſurparunt. Heſychius: πνεύσας, ὀργισθεὶς, ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ἀνέμων. Locum auctoris qui in eo ſenſu eo verbo uſus eſt, citat etiam Suidas: ὁ δὲ νέος ὢν καὶ φιλόνεικος, πολὺς ἔπνει. Ergo πτωχὸς τῷ πνεύματι hac ſignificatione is eſt, qui πνεῦμα non habet, qui iracundus non eſt, qui iræ prorſus expers eſt. Ut πτωχὸς φρεσὶ, qui mente caret, apud Timonem, πτωχὸς μὲ φρένας εἰμὶ, ita πτωχὸς τῷ πνεύματι iræ vacuus. Sic & Latini loquuntur, ut Plautus in Truculento, *non iſtoc pauper es.* οὐ τούτῳ πτωχὸς εἶ. Non eſt ditioris aut eruditioris mentis, quod & πτωχοὺς hic πραεῖς eſſe vellet, quia illi Helleniſtæ aliquando idem verbum quod Hebræis πτωχὸν ſignificat & ταπεινὸν, etiam πραεῖν ſoleant reddere. *Quod non minus*, inquit, *paupertatem includit, quia eadem utrumque notat.* Quod eſt ineptiſſimum. Ea ratione motus πραεῖς, de quibus habetur in ſequente μακαρισμῷ, non eſſe opponendos feris cenſet, ut Beza putabat, quia per πραεῖς intelli-

intelligendi quos calamitas ac paupertas depreſſit. Quare iſtud? Quia nimirum eadem voce quæ pauperem & afflictum notat, etiã πραῦς redditur à Septuaginta. Ergo fruſtra ſeparavit hos μακαρισμοὺς Chriſtus πτωχῶν & πραέων, cum idem ſignificent hæ voces. Qui in aliqua igitur lautiore fortuna erit poſitus, non poterit eſſe πραῦς, nec ad illum pertinebit Chriſti μακαρισμὸς τῶν πραέων. Atqui ſi πραεῖς ex argumento noſtri Critici etiam prophetæ eſſe debent & ſpiritum habere propheticum, qui prophetæ revera ſunt, etiamſi non ſint pauperes ac miſeri, debebunt quoque eſſe πραεῖς. Nonne tales etiam putamus fuiſſe Davidem, qui rex tamen erat, & in celſiſſimo faſtigio potentiæ locatus? Ego vero putarem, hunc Chriſti μακαρισμὸν manſuetis & mitibus tributum magis congruere illis qui in ſecunda fortuna modeſtiam retinent & clementiam, quam in eos, quos paupertas & calamitas depreſſerit, atque invitos vi atque ingratiis πραεῖς reddiderit. In quantulo ſpatio quot errores & quanti, quot hallucinationes, & quanta denique & quam miranda miſerandaque iudicii πτωχεία? Sed hæc ad locum plura. Magis autem mihi probatur, ut πτωχοὶ τῷ πνεύματι intelligãtur de humilibus ſpiritu,

ſpiritu, & qui humilem ſpiritú gerunt, ut ibi dicam. Non de pauperibus hunc locum aut mẽdicis qui omni re deſtituuntur illa Chriſti verba exponẽda eſſe, certú eſt, cú multos ditiores & in ſorte lauta conſtitutos reperire ſit πτωχοὺς τῷ πνεύματι, & in quos competat ille μακαρισμὸς à Chriſto proditus. E contrario pleroſque videre licet revera πτωχοὺς τῷ ἀργυρείῳ ac τῇ οὐσίᾳ, & omnium egenos, qui tamẽ non ſint πτωχοὶ τῷ πνεύματι, ſed magna ſlantes, & ὀργίλοι. Ut ad pauperes noſtros redeamus, certum eſt, eos, præcipue qui hunc quæſtum, cum alias validi ſint, habent, & multis locis tolerantur, ſi aliquid collegerint ex quæſtu ac repoſuerint, ſupellectilemque aliquam acquiſierint, poſſe illa uti & pignore poſita ſibi contra neceſſitatem urgentem proſpicere, ſi quando ipſis cõtigerit, quod ſæpe evenit, ut ex aliena quadra nihil poſſint corradere. Quæ enim ratio eſt, velle eos potius fame ultima confici, ac deficere, quam res quas habent inutiles ad trapezitam deferre, ut comedant? Nec porro meliori iure nititur, poſtulare è trapezita, ut talibus mendicis & pauperibus de menſa ſua ſtipem largiatur, cum poſſint mutuum ſumere, deque eo reddendo cum uſuris cavere pignoribus.

Quæ

Quæ enim menſæ ἀφορμὴ poſſet ſufficere, ſi omnes mendicos & pauperes mutuum petentes, eleemoſyna deberet iuvare? Præſertim, ut dixi, cum ad hoc publice conſtituti ſint, publicamque adeo exerceant menſam, ut omnibus qua egenis qua ditioribus ſed egeſtate προσκαίρῳ laborantibus, ſuccurrere poſſint. Idque tanto proclivius probandum eſt, quod diſerte lex Moſis prçcepit, dandum eſſe mutuum egeno ſive mendico, pignore accepto, & ſine fœnore quidem Iudæis, id eſt, fratribus, cum fœnore gentilibus & extraneis quibuſcunque. Pauperibus non eſſe ſub uſura credendum, unico argumento, ſed, ut putant, validiſſimo & invictiſſimo, pugnant ſanctiſſimi Theologi. Certe hanc habent præcipuam rationem cur trapezitas damnent, quia promiſcue pauperibus & divitibus fœnerantur. Quia nimirum pauperibus fœnerari expreſſe prohibitum ſit lege divina Exod. XXII. verſ. XXV. Levit. XXV. verſ. XXXV. XXXVI. XXXVII. & Deuteron. XV. XI. Ad hæc reſpondeo. Primũ, falli omnes, qui putant, quod Iudæis inter ſe obſervandum circa uſuras lege Moſaica præſcribitur, Chriſtianos hodie, quo iure utuntur, tenere. Si hoc eſſet, omnis uſura prohibita inter Chriſtianos cenſeri

cenſeri deberet iure divino etiam minima, etiam ea quæ à divitibus exigitur. Certiſſimum quippe eſt, Iudæis ea lege Moſis omnem uſuram interdictam quæ à Iudæo exigenda eſſet, tam divite quam paupere. Non igitur Moſaica lex permiſit à divite Iudæo uſuram accipere, à paupere exigere vetuit, ut multi ſibi perſuaſerunt. Deuteronomii locus hoc diſerte oſtendit XXIII, verſ. XIX. *Non fænerabis fratri tuo fænus pecuniæ, fænus cibi, fænus cuiuſcunque rei quæ fænori dari ſolet. Extraneo fænerabis, fratri tuo non fænerabis.* Quid apertius his verbis? Nonne abſolute vetant Iudæũ Iudæo fœnerari, æque diviti ac pauperi, permittuntq; eumdem fœnerari alienigenę, haud minus ~~etiã~~ diviti quam pauperi? At omni modo volebat doctiſſimus Iuriſconſultus in familiari apud me ſermone, quod hic dicitur reſtringendum eſſe ex locis Exodi & Levitici ad Iudæos pauperes. Quia, inquiebat, in hoc Deuteronomii loco indefinite dicitur. Et nihil eſſe in iure vulgatius addebat. Sane & illud in iure vulgatiſſimum, ut ſi duæ leges ſuper aliquo themate latæ fuerint inter ſe contrariæ, ut poſterior deroget priori. Non hic quidem huiuſmodi datur caſus. Nam Deuteronomii præcepta non ſunt contraria

præceptis Exodi, ſed eadem. Verum cum prior lex obſcurior eſt, poſterior autem clarior, per poſteriorem explicandam eſſe priorem, planiſſime liquet. Specialia quidē certum eſt derogare generalibus, nō contra, ſed ut hæc regula hic locū haberet, deberet cōſtare, legē Exodi quę vetat pauperibus fœnerato dari, ſpecialem eſſe, & ad pauperes reſtringendam. Deberet etiam demonſtrari, quod in Deuteronomio mandatum extat de fœnerando extraneis, & non fœnerando indigenis, non eſſe generaliter conceptum, ſed de ſolis pauperibus intelligendum. Quod nunquam monſtrabunt, nec efficient, ut tam clara verba legis eiuſdē quæ in Deuteronomio repetitur, alium ſenſum quam generalem recipiant. Id cum ita ſit, non poteſt prior lex obſcurius enuntiata derogare poſteriori adeo liquidæ lucidæque. Præſertim cum utraque eadem ſit. Quid igitur manifeſtius quam legem Exodi de fœnore exponendā eſſe ex verbis Deuteronomii, quæ generaliter cōcepta ſunt, niſi velimus contrariam ſibi eſſe ſacram ſcripturam, & quod alio loco ſpecialiter prohibetur, alio generaliter vetare? Sed cur expreſſa mentio fit pauperis fratris in Exodo, quæ nulla extat in Deuteronomio? Iam in aliis docuimus,

cuimus, ideo pauperes diſerte nominaſſe Moſem, quia maxime in pauperum gratiam uſuram vetabat inter Iudæos. Ideo enim ab omnibus fuit prohibenda, ut tanto magis à pauperibus abſtinerent eam exigere. Deinde videtur pauperum ea de cauſa etiam expreſſe meminiſſe, quia non alii ferme quam pauperes indigent pecuniæ mutuo. Eo enim ipſo pauper intelligitur qui petit quod non habet, & ditior ille unde petitur. Hoc mirabile & inauditum videbatur maximo Iuriſconſulto. Non ita viſum illi fuiſſet, ſi cogitaſſet, in iis rebus publicis in quibus mercaturæ ſtudium non viget, & ubi luxus non fervet, ſolos tantum pauperes egere mutuo. Mercator enim non egeſtate ſi forte ad mutuum compellitur, ſed illud expetit, ut lucrum maius & compendium ex eo reportet. Ubi luxus divites invadit, non iam ſuæ illis ſufficiunt divitiæ, & cum plura ſæpe profundant, quam ex ſuis reditibus redigunt, coguntur inde mutuari. Quis non & egeſtatem in illis hoc facere, ut mutuentur, dicat? Nam quibus pares non ſunt ad ſumptum facultates, eo ipſo quo impares redduntur impenſis quas facere inſtituunt, egeni cenſendi ſunt. Nec de mercatori-

 bus

bus aliud dixeris. Quamvis non opus habeant, ſi velint, ab aliis rogare mutuum, quia tamen ad lucrum quod captant, tantam ſibi pecuniæ qua carent copiã neceſſariam iudicant, egent eo quod deſiderant. Si ſubtiliora hæc ſunt quam veriora, & pauper neuter dici poteſt, aut mercator negotians, aut dives luxurioſus, illud tamen certo certius eſt, in civitatibus ubi divites frugi ſunt, & nulli ſunt mercatores, ſolos pauperes mutuo indigere. Talis fuit inter initia Romana reſpublica. Tum enim qui divites in ea erant, ſuo parcebant, & frugaliter vivebant, pauperibus & inopibus ſolis fœnerabantur. At nec mercatura tunc apud eos vigebat. Sub extrema vero reipublicæ tempora, cum luxus paſſim invaluiſſet, in maximis divitiis maxima egeſtas deprehendi cœpit, & eo ſæculo plures divites ad trapezitam ibant quam pauperes, ut mutuum inde peterent. Quæ res cauſam dedit tractatui Plutarchi, περὶ τοῦ μὴ δανείζεσθαι, de non fœnore accipiendo. Quia divites eo tempore fœnore accipiebant pæne ſoli, & ſeſe uſuris conficiebant. Longe magis id verum eſſe apparebit in Republica Hebræorum, quod diximus, pauperes ſolos tunc mutuo indiguiſſe, ſi, qualis eo tempore

pore quo data Iudæis fuit lex, eius ſtatus fuerit, conſideremus. Quod doctis Theologis non animadverſum in hunc eos errorem impulit, quo crediderunt, non erga omnes ſuos fratres, id eſt, tribules Iudæos, uſuras fuiſſe vetitas, ſed erga ſolos pauperes, quia pauperum diſertim fiat mentio in Exodo. Cogitare debebant, Moſem tunc eis legem illam dediſſe cum adhuc in itinere eſſent, necdum terram ſanctam ingreſſi. In eo exercitu Hebræorum qui terram ſanctam ſibi promiſſam petebant, nemo mendicior altero aut pauperior fuit. Omnes eodem more & modo quādiu in itinere fuerunt, vixiſſe, plane conſtat. Cum manna in deſerto eis plueret, omnes æqualiter quod ſibi uſui erat colligebant. Priuſquam autem terram illam occupaſſent, inſediſſent & inter ſe partiti eſſent, leges illis Moſes conſtituit quibus uti deberent, in ea dividenda ac poſſidenda. Quomodo igitur eam dividi voluit? An plus ex ea quibuſdam dari & aſſignari quam aliis? Sic ſane alios ditiores feciſſet, alios pauperiores. Nam quibus plus aſſignatum eſſet, poſſeſſione ampliore ditiores effecti fuiſſent, & quibus minus attributum, pauperiores. Immo ęqualiter ac tributim inter omnes dividē-

dam eam ſanxit per tribus & familias, adeo ut numeroſiores familiæ vel tribus maiorem portionem agri acciperent quam in quibus pauciora eſſent capita. Sic enim diſerte ſcripſit Moſes de diviſione & aſſignatione terræ ſanctæ inter Iſraëlitas, ubi eam occupaſſent, facienda, Num. XXXIII. *Καὶ καταχληρονομήσετε τὴν γῆν αὐτῶν κληρωτὶ κατὰ φυλὰς ὑμῶν. Τοῖς πλείοσι πληθυνεῖτε τὴν κατάσχεσιν αὐτῶν, καὶ τοῖς ἐλάττοσι ἐλαττώσετε τὴν κατάσχεσιν αὐτῶν. Et poſſeſſiones terræ eorum dividetis ſortito ſecundum familias veſtras. Et pluribus quidem multiplicabitis eorum aſſignationem, & minoribus minuetis.* Planum eſt, ſtatuere, pro numero capitum maioribus familiis ampliorem agri modum aſſignandum, minoribus minorem. Ponamus igitur, quod & contigit, univerſam illam terræ Chanaan κληρουχίαν inter Iſraëlitas ex præſcipto Dei fuiſſe æqualiter diviſam, cum alter altero plus in ea diviſione non acceperit, ſed omnes æqualem portionem ſibi aſſignatam & attributam tenuerint: inter illa initia non poteſt dici alteram familiam altera pauperiorem fuiſſe. Nam ſi quæ numero capitum auctior fuit, ampliorem etiam aſſignationem accepit. Omnes erant inter ſe tum æquales, omnes pares. Non tamen ita ſem-

ſemper manſuri fuere. In ſua portione agri excolenda non eamdem diligentiam unus quam alter adhibere potuit. Sunt ubique locorum quidam ſtrenui patresfamiliæ, ſunt & pigri. Nonnulli parci, partim prodigi. Alius ad laborem, alius ad libidinem magis proclivis. Hoc idem & ibi tum potuit evenire. Qui ad rem erant ex illis attentiores, ditiores etiam evadebant, qui remiſſiores, pauperiores. Multa etiam accidentia non præviſa potuere pleroſque etiam diligentium & impigrorum colonorum ad inopiam & paupertatem redigere. Diluvium, incendium, terræ labes & χάσμα, agris ſuis repente aliquem ſpoliare poſſunt. Grando, æſtus & alia calamitas ſpem anni totius poteſt intercipere. Infinita talia infortunia colono inſperata queant evenire, quibus de divite pauper exiſtat, aut minus dives. Status ille Iſraëlitarum terram Chanaanitin æquis inter ſe portionibus diviſam poſſidentium, comparari debet pluribus fratribus qui paternam hæreditatem creverunt & æqualiter inter ſe diviſerunt. Nemo ex his pauperior aut ditior vel uno nummo eſt, aut una agri pertica. Vix tamen fieri poteſt ut omnes portionē ſuam ita tueantur & colant, ſerventque vel au-

geant, ut ad extremum omnibus par & æqualis maneat ſicut ab initio cuique ſorte attributa eſt. Multo minus hoc potuit uſu venire in tam numeroſa gente quę terram ſanctam inſederat. Cum omnes ab initio diviſiones æquales eſſent, lapſu tamen temporis haud aliter fieri potuit quin plerique aut vitio ſuo aut fortuna aliqua facultates amitterent. His caſibus ut provideret Moſes etiam priuſquam terram illam occupaſſent ac diviſiſſent, non ſolum legem illis dedit ac formam præſcripſit qua eam inter ſe dividerent, ſed etiam cavit, ſi quis facultatibus ſuis ac poſſeſſionibus quacunque ratione excideret, quomodo à ſuis tribulibus ei ſubveniri deberet. Quod fratres eiuſdem hæreditatis conſortes, & ab eodem patre orti faciunt, ut alicui ex fratribus in paupertatem prolapſo aut inopia aliqua oppreſſo ſuccurrant, vel largiendo quo indiget, vel mutuo ſine uſuris dando, hoc idem per Moſem Deus ſtatuit, in illo ſuo populo & ab eadem ſtirpe profecto, & eiuſdem quaſi hæreditatis ac *κληρουχίας* quam illi aſſignaverat poſſeſſore, ut ſi quis egere ex illis quocunq; ex caſu vel cauſſa inciperet, & mutuo indigeret, ut ne ab eo exigeret uſuras, ſed daret tanquam ſi frater à fratre ſu-

ſumeret. Primo, ut dixi, æquales omnes fuere ab æqualibus portionibus agri tributim diviſi quas de terra promiſſa ac data acceperant. Sed quia non poterant ſemper manere tales, & veriſimile erat, multos ad inopiam deventuros, vel propria culpa, vel fortunæ caſu, ideo iis qui pauperes evaderent, tali modo voluit ſuccurri legiſlator. Hinc in Levitico cap. XXV. *Quum autem attenuatus fuerit frater tuus, & nutaverit manus eius apud te, apprehendes illũ.* Et paulo poſt: *Ne accipias ab eo uſuram & augmentum.* In Græca Septuaginta interpretum verſione legitur: ἐὰν δὲ πένηται ὁ ἀδελφός σου ὁ μετὰ σοῦ, καὶ ἀδυνατήσῃ ταῖς χερσὶ παρὰ σοί. Id eſt, *ſi quis ex illis qui eamdem hereditatem pro virili creverunt, in paupertatem prolapſus ſit.* Paulo infra pro eodem dixere: ἐὰν δὲ ταπεινωθῇ ὁ ἀδελφός σου παρὰ σοί. Nam ταπεινὸς idiomate Alexandrinorum idem quod Græcis aliis πτωχὸς, pauperrimus & mendicus, quia πτωχὸς ex veriloquio ſuo idem quod ταπεινὸς & humilis. Inde & ταπεινὸς etiam pro mendico & paupere, ut & πτωχός. Hinc ταπεινὸς τῷ πνεύματι in Pſalmo XXXIII, idem quod apud Matthæum πτωχὸς τῷ πνεύματι. De quo ſupra. Per illa igitur tempora nemo mutuo indigebat

 in

in terra Iudæa inter conſortes pro parte pari eiuſdem ditionis, niſi qui decidiſſet in paupertatem, ac decoxiſſet inertia ſua aut fortunæ malignitate. Quod itaque in Exodo dicitur, in mutuo fratri pauperi dando non illi imponendas eſſe uſuras, minime id reſtringendum ad pauperes, ita ut diviti poſſe imponi ex eo concludi debeat. Quia enim ſoli inter fratres qui facultatibus collapſi eſſent, primis illis temporibus ad mutui opem decurrere cogebantur, non aliud ibi ſancitur à Moſe quam quod in Deuteronomio generalibus verbis conſtituit, τῷ ἀλλοτρίῳ ἐκτοκιεῖς, τῷ ἀδελφῷ σου οὐκ ἐκτοκιεῖς. *Extraneo fænerabis, fratri autem tuo non fænerabis.* Hoc eſt, omni fratri tuo. Idem quippe fuit dicere illo tempore quo lex data eſt, & in illa regione, non accipies uſuras à fratre tuo, &, non accipies à fratre tuo paupere. Nemo enim tunc niſi pauper, & cuius attritæ quacunque ratione forent facultates, mutuum ſumebat. Mercaturis non inſtabant Iudæi, ut etiam diſerte teſtatur Ioſephus, ſed terræ tantum colendæ vacabant. Non eſt igitur quod quis uſuras nobis mercatorias obiiciat, quaſi nõ vetitæ fuerint illa lege Moſaica, quia de paupere fratre nominatim cavit, non ab illo
exi-

exigendas eſſe uſuras. Niſi ab omnibus pariter uſuram accipere Iudæis Iudæum natum prohibuiſſet Moſes, diſtinxiſſet inter pauperem & divitem, aut mercatorem & agricolam, quemadmodum inter extraneum & fratrem in Deuteronomio diſtinxit, dicendo, *Extraneo fœnerabis, fratri tuo non fœnerabis.* Ita ergo dixiſſet, mercatori aut diviti fratri tuo fœnerabis, non item pauperi. Nemo certe niſi qui ſcripturam ſibi contradicere cenſeat, poſſit legem Exodi ad ſolos pauperes reducere, & legem Deuteronomii de omnibus generaliter interpretari. Atqui non aliter poſſe exponi verba Deuteronomii niſi hac interpretatione, plane liquet. Ergo nec Exodi verba alium ſenſum admittunt. His adde, quod, quantum eſt magiſtrorum, ad unum omnes, uſuras cum omnibus Iudæis Iudæo vetitas conſentiunt, & cum omnibus peregrinis qua pauperibus qua divitibus licitas. Non parvi facio Rabbinorum omnium hac in parte conſenſum, ſed etiam pluris æſtimo Ioſephi auctoritatem, qui idem quoque affirmat, Antiquitatum Iudaicarum lib. IV. *δανείζειν δὲ Ἑβραίων ἐπὶ τόκοις ἐξίστω μηδενὶ, μήτε βρωτὸν, μήτε ποτόν· οὐ γὰρ δίκαιον προσοδεύεσθαι τοῦ ὁμοφύλου τὰς τύχας, ἀλλὰ βοηθήσαντα ταῖς χρείαις αὐτοῦ, κέρδος εἶναι νομί-*

νομίζειν, τήν τ' ἐκείνων εὐχαριστίαν, καὶ τὴν ἀμοιβὴν τὴν παρὰ τοῦ θεοῦ γενησομένην ἐπὶ τῇ χρηστότητι. *Fœnerari Hebræorum nemini liceat, neque cibum neque potum. Non enim iuſtum eſt in reditu habere fortunas tribulis, ſed ſubvenientem eius neceſſitatibus in lucro ponere grates quas ille pro beneficio acturus eſt, viceſque quas Deus repoſiturus eſt mutuum danti pro humanitate.* Si ὁμοφύλου τύχας non licet Hebræo προσοδεύεσθαι, licet utique τοῦ ἀλλοφύλου. Idem in libro ſecundo contra Apionem abſolute dicit, non licere mutuum danti uſuras exigere. Δικάζων, inquit, εἰ δῶρα τις λάβοι, θάνατος ἡ ζημία. περιορῶν βοηθεῖν ἐνίοις, ὑπεύθυνος. ὃ μὴ κατέθηκέ τις, οὐκ ἀναιρήσεται. Τῶν ἀλλοτρίων οὐχ ἅψεται. δανείσας τόκον οὐ λήψεται. Ταῦτα καὶ πολλὰ τούτοις ὅμοια τὴν πρὸς ἀλλήλους ἡμῶν ἔχει κοινωνίαν. *Iudex qui munera acceperit, morte multator. Ei qui ſuperſederit auxilio alterum iuvare, ne impune ſit. Quod quis non depoſuit, ne tollat. Aliena nemo contrectet. Qui mutuum dedit, uſuras ne accipiat. His & talibus præceptis ſocietas noſtrorum hominum inter ſe continetur.* Vides, eum non facere diſcrimen pauperis & divitis in uſuris inter Iudæos prohibendis, ſed ſimpliciter dicere, δανείσας τόκον οὐ λήψεται. *Dans mutuum uſuras non accipiat.* Quod in Antiquitatibus dixit, δανείζειν

Ἑβραίων

Ἑβραίων ἔξεστι μηδενί. Quo clarius ſignificavit, nemini Hebræo nato dare ſub uſuris Hebræum. Idem confirmat & Philo in libro de charitate, his verbis: ἀπαγορεύει τοίνυν ἀδελφῷ δανείζειν, ἀδελφὸν ὀνομάζων οὐ μόνον τὸν ἐκ τῶν αὐτῶν φύντα γονέων, ἀλλὰ καὶ ὃς ἂν ἀστὸς ἢ ὁμόφυλος ᾖ, ἄδικον νομίζων, τόκους ἐπὶ χρήμασιν ἐκλέγειν, ὡς ἂν ἀπὸ θρεμμάτων ἔκγονα. *Vetat igitur fratri fœnerari, fratrem appellans, non ſolum iiſdem parentibus natum, ſed etiam quemcunque civem aut tribulem, iniquum ducens, ab eo uſuras pecuniæ exigere, tanquam ſi pecorum fœturam.* Abſolute, ut cernis, de fratre, hoc eſt, de cive, uſuras capere Iudæum non vult, nec diſcernit utrum civis ille ac tribulis pauper an dives eſſet. Enimvero, ut iam alibi notavimus, cum pauperum maxime gratia inter Iudæos uſuræ vetitæ fuerint, ſi non ab omnibus eas exigi interdictum fuiſſet, ne à pauperibus quidam prohiberi potuiſſent. Nemo enim ſe pauperem facile faſſus eſſet qui pecunia eguiſſet. Et pauperem non eſſe illum qui mutuum peteret, facile paſſus eſſet fœnerator, modo ſecuritatem ex pignore vel hypotheca ab eo accipere potuiſſet. Ideo omnibus prohibendæ fuere, ut à pauperibus non exigerentur. Hæc cum ita ſint, & vero quidem veriora,

non-

nonne mirandum eſt, ea fidem non inveni-re apud doctiſſimum Theologum, qui & novæ ſententiæ auctor eſt, quam neſcio an cuiquam ſano & docto ſit probaturus. Sic ille ſcribit cap. VIII Theologicæ de uſuris inſtitutionis: *Sed & tertium eſt ſpecialis obſervationis, quod colligitur ex loco Deuteronomii* XXIII, XIX, XX: *Deum ad abundantiorem cautelam contra uſurarias iniquitates lege forenſi mandaſſe ut exemptæ eſſent ab uſuris alias ex ſe non iniuſtis poſſeſſiones Iſraëlitarum in terra Chanaan.* Ego vero neſcio unde expiſcatus hoc ſit, uſura ideo interdixiſſe Deum Iſraëlitis ut eorum poſſeſſiones ab his exemptæ eſſent. Hoc ille voluit, eo capite non minus vetitas eſſe uſuras Iudæis cum peregrinis & extraneis quam cum ipſis fratribus, *ſed inter Iſraëlitas invicem benignius ac liberalius agi voluiſſe Deum ut inter fratres & cohæredes ex cleruchia terræ Chanaan, neque permiſiſſe uſura premi aut onerari cuiuſquam fratrum ſortem aut poſſeſſionem.* Quærat Oedipum, qui hæc intelligat, nam ego hic me prorſus Davum profiteor. Ait, hoc demonſtrari collatis inter ſe ſcripturis, Deuteron. XXIII, & Levit. XXV. Videamus igitur quomodo hoc demonſtretur illis ſcripturæ locis inter ſe comparatis. *Vetat*, inquit, *Deus Levit.*

XXV,

XXV, XXXV, *etiam ab extraneo & inquilino uſuram exigere eodem iure quo illam vetat exigere à fratre paupere.* Hoc plane mihi inauditũ, nec puto minus aliis etiam, me longe doctioribus. Et locus ille Levitici non de extraneo accipiendus, ſed de fratre. Qui ſi de extraneo ſumeretur, huic κατὰ διάμετρον contrarius eſſet Deuteronomii locus, *extraneo fœnerabis, fratri autem non fœnerabis.* Sed optime, ut ſibi videtur, hæc conciliat Theologus, & ita argumentum concludit. *Non eſt ergo,* inquit, *de extraneo paupere ſermo in verbis* illis Deuteronomii XXIII, XX, *Extraneo dabis in uſuram. Oportet igitur iuxta legis διάνοιαν intelligere extraneum, cui non debetur ob paupertatem eleemoſyna aut gratuitum mutuum, ſed cum quo vel foris intercedebant commercia traiecticia, vel qui ἔμπορος veniebat in Iudæam propter commercia.* Ergo iuxta ſententiam Theologi verba illa Moſis ex Deuteron. XXIII, *Extraneo dabis in uſuram, ſed fratri non dabis,* debent accipi de extraneo divite, nõ de paupere. Scilicet quia æque uſura prohibetur accipi à paupere extraneo quam à fratre paupere per legem Dei. Quid ergo ibi diſtinxit inter fratrem & extraneum, ut huic fœnerari permittat, illi prohibeat? Si extraneus ille cui in fœnus dari permittit

mittit Moſes, de divite eſt intelligendus, cur non & frater ille cui vetatur ad uſuram dari, non pariter de eo qui dives eſt intelligi debet? Ita enim mens legis poſtulat, ut cætera pares ſint, tam cui interdictio ſit, quam cui permiſſio, cum non diſcernantur niſi ratione peregrinitatis & fraternitatis. *Extraneo fœnerabis, fratri non fœnerabis*, hoc eſt, æque pauperi ac diviti, utrique. Hoc ipſum, puto, Moſes lege ſua expreſſiſſet, ſi extraneo tantum diviti fœnerandum ſanxiſſet, non etiam pauperi, omni autem fratri tam diviti quam pauperi non eſſe fœnerandum decreviſſet. Quid enim ſtultius illa lege fuiſſet ita concepta, *extraneo fœnerabis, & fratri non fœnerabis*, quæ non declararet cui fratri aut cui extraneo non fœnerandum aut fœnerandum eſſet? Sed & cum velit idem Theologus, ſoli pauperi Iudæo fœnerari Moſem interdixiſſe, non etiam diviti, nullus video, quomodo potuerit ſenſum iſtum ex illis Deuteronomii verbis elicere, non eſſe fœnerandum fratri pauperi, & eſſe fœnerandum extraneo diviti, cum ſine ulla exceptione ac diſtinctione niſi peregrinitatis ita lex generaliter formata ſit: *Extraneo dabis in uſuram, fratri autem non dabis*. Ergo ſubintelligendũ, ut ſenſus, quem Theologus

logus exigit, conſtet, *extraneo diviti dabis, fratri autem pauperi non dabis.* Quod adeo ridiculum mihi videtur, ut nihil magis. Ita autem cap. VII eiuſdem inſtitutionis Theologicæ ſcribit, *per illam expreſſam mentionem fratris pauperis limitatam eſſe prohibitionem, ut non militet contra uſuras quaſcunque à quibuſcunque perſonis percipiendas, ſed contra illas nominatim quæ exercentur in illis quibus vel eleemoſyna vel mutuum gratuitum debetur, ut pauperibus & attenuatis.* Hæc igitur eius mens eſt ſatis clare & aperte in illo libro prodita, qua nullum diſcrimen facit inter fratrem & extraneum quantũ ad uſuras Iudæis vetitas. Sed ex æquo illa lege Moſis illicitas eſſe cum fratre & extraneo paupere, licitas cum divite extraneo pariter ac fratre. Quam ſententiam niſi plane cæcus ſit nemo non videt omnimodo pugnare cum illis Deuteronomii XXIII, *Extraneo dabis ad uſuram, fratri autem non dabis.* Fundamentum porro cui hanc immolitus eſt ridiculam ac falſam opinionẽ, ex falſa interpretatione ſubſtruxit loci Levitici cap. XXV. quem perperam de extraneo accepit, cum de fratre certum ſit exponi oportere. In verſione Septuaginta ita legitur: Ἐὰν δὲ πένηται ὁ ἀδελφός σου ὁ μετά σου, καὶ ἀδυνατήσῃ ταῖς χερσὶ

 παρὰ

παρά σοι, ἀντιλήψῃ αὐτοῦ ὡς προσηλύτου, καὶ παροίκου, καὶ ζήσεται ὁ ἀδελφός σου μετά σου. Deinde ſequitur ſtatim : οὐ λήψῃ παρ' αὐτοῦ τόκον, οὐδὲ ἐπὶ πλήθει, καὶ φοβηθήσῃ τὸν θεόν σου. ἐγὼ κύριος. καὶ ζήσεται ὁ ἀδελφός σου μετά σου. Hunc locum adduxit Theologus, ut omnino oſtendat, vetare Deum etiã ab extraneo & inquilino uſuram exigere eodem iure quo illam vetat exigi à fratre paupere. Sed non hic ſenſus eorum verborum. Verba hæc, οὐ λήψῃ παρ' αὐτοῦ τόκον, *non accipies ab eo uſuram*, non referenda ſunt ad illum advenam ſive προσήλυτον, ſed ad fratrem ipſum pauperem. Quod autem fratris pauperis ita rationem habendam cenſet ut προσηλύτου ac παροίκου, non eam mentem id habet ut uſuram ab illo fratre exigi ideo Deus nolit, quia nec etiam velit eam accipi ab advena. Ἀντιλήψῃ αὐτοῦ ὡς προσηλύτου καὶ παροίκου, οὐ λήψῃ παρὰ αὐτοῦ τόκον. *Eum apprehendes ut proſelytum & advenam, non exiges ab eo uſuram.* Hoc pacto propitium magis & favorabilem ſe advenis & extraneis Deus oſtenderet, quam Iudæis, ſiquidem æque bene tractandum fratri fratrem præciperet, quam alienigenam & advenam. Quod vel cogitari non poteſt, niſi abſurde. Unde igitur Theologus collegit, hoc loco vetare Deum exigere uſuras ab extraneis eodem

eodem iure quo eas vetat exigi à fratre paupere? Sic paulo poſt verſ. XXXIX, cum dicit Deus, *ſi attenuatus frater tuus apud te fuerit, & venditus tibi ſit, non ſerviet ſervitutem ſervi: ut mercenarius erit tibi, aut advena: Vſque ad annum remiſſionis operam apud te præſtabit*, non intellexit, eodem favore proſequendum eſſe inquilinum atque advenam quo civem ac tribulē, ſive fratrē. Nec aliter ergo intelligendus locus verſ. XXXV eiuſdē capitis. Non enim in uſuris vetandis exæquat fratrē ac tribulē illum cum inquilino & advena, quaſi eodem modo ac iure prohibeat accipi eas à fratre, atq; ab extraneo. Nihil eſſet hoc abſurdius, & verba Moſis ab ea mēte maxime aliena ſunt. Sed pauperem & ad egeſtatē redactum fratrē, & qui ſolvendo non eſt, ita tractandū eſſe à fratre creditore, ut alienigenam & allophylum. Deterior longe fuit conditio apud Iudæos advenæ & peregrini qui inter illos maneret, quam civis ac tribulis. Noluit tamen peſſime tractari inquilinos à Iudæis, nec opprimi, nec iniuria affici, ut diſerte præcipit Moſes Exodi XXII, verſ. XXI. *Et peregrino non inferes vim, nec opprimes eum, quia peregrini fuiſtis in terra Aegypti.* Non dicit, quod notandum, nec alibi uſpiam dictum reperitur in ſcriptura, uſuras à per-

egrino minime eſſe accipiendas. Immo è contra in Deuteronomio expreſſe ſancitur, *extraneo fœnerabis.* Non vim eſſe inferendam extraneo, nec eum eſſe opprimendum, ſolummodo cavet. Hoc ergo voluit Moſes, fratrem qui ſe fratri vendidiſſet, non ſervitutem ſervire apud illum debere, ſed loco eſſe mercenarii vel advenæ. At ſi advena ſe vendidiſſet aut venditus ab ullo fuiſſet Iudæo, pro ſervo aut mancipio habitus ei eſſet. Iudæus vero qui ſe Iudæo auctoraſſet ac vendidiſſet ad precium participandum, non ſervus fratri ſuo emptori extitiſſet, ſed tanquã mercenarius, & advena. Ita ergo verſ. xxxv, cum dicit Moſes, fratrem attenuatum adprehendendũ eſſe fratri ſicut peregrinum & advenam, & ſic cum illo vivere debere, de obærato intellexit qui ſolvere non poterat, & quaſi oppigneratus & addictus apud creditorem ſuum manebat. Nam & apud Romanos utriuſque generis homines fuere, qui ſponte ſua ſe in nexum dabant, & operam ob debitum quod diſſolvere non poterant præſtabant, & qui ſe vendebant ad precium participandum. De quibus multa diſſeruimus in libro de modo uſurarum. Omnino ille locus Levitici de quo hic agimus, de obæratis qui quaſi

quaſi oppignerati & addicti apud creditorem ſuum manebant donec ſolviſſent, accipiendus: ἐὰν πένηται ὁ ἀδελφός σου ὁ μετά σου, καὶ ἀδυνατήσῃ ταῖς χερσὶ παρά σοι, ἀντιλήψῃ αὐτοῦ ὡς προσηλύτου καὶ παροίκου. Nam verba illa, καὶ ἀδυνατήσῃ ταῖς χερσὶ, de eo intelligenda qui ipſe invenire & extricare non poteſt unde ſe liberet. Cui contrarium eſt in eodem capite, εὐπορεῖσθαι τῇ χειρὶ, verſ. XXVI. ἐὰν μὴ ᾖ ὁ ἀγχιστεύων, καὶ εὐπορηθῇ τῇ χειρὶ, καὶ εὑρεθῇ αὐτῷ τὸ ἱκανὸν λύτρα αὐτοῦ. Sed de his nos alibi. Quæ differentia apud Romanos inter illum qui liber ſe in nexum dediſſet, atq; addixiſſet, donec ſolviſſet, & eum qui ſe vendidiſſet aut vendi paſſus eſſet ad precium participandum, nos in aliis docuimus. Utrumque loco peregrini & advenæ eſſe debere apud creditorem ſuum atque emptorem, Moſes præcepit. Falſiſſimum igitur quod Theologus ſcribit, æque ab extraneo ut ab indigena Deum per Moſem prohibuiſſe uſuras. Quod nulla nec auctoritate nec ratione ab eo traditum eſt. Si hac in re pares, ut ille vult, extranei & Iudæi fuere, quod ergo privilegium fuit ac πλεονέκτημα Iudæorum? *Benignius*, inquit, *ac liberalius inter eos agi voluit Deus, ut inter fratres ac cohæredes ex cleruchia terræ Chanaan, neque per-*

 miſit,

miſit uſura premi aut onerari cuiuſquam fratrum ſortem aut poſſeſſionem. Idem paulo ſupra dixerat, *Deum poſſeſſiones Iſraëlitarum in terra Chanaan exemptas eſſe ab uſuris voluiſſe.* Hoc eſt, quod ego negavi iam ſupra me intelligere. Nullibi enim legi, uſura poſſeſſiones premi, aut ab uſuris eſſe immunes. Sed nec uſpiam in ſcriptura legitur, ubi uſura à fratribus exigi vetatur, ideo eam vetari, ut poſſeſſiones terræ Chanaanicæ non ea onerentur. Perſonis ſane, non prediis imponuntur uſuræ. Ideo & in Exodo dicitur, non imponendam eſſe fratri uſuram: ἐὰν δὲ ἀργύριον ἐκδανείσῃς τῷ ἀδελφῷ τῷ πενιχρῷ τῷ παρά σοι, οὐκ ἔσῃ αὐτὸν κατεπείγων, οὐκ ἐπιθήσεις αὐτῷ τόκον. *Et ubi pecuniam mutuam dederis fratri pauperi qui apud te eſt, non acerbus eris exactor, non impones ei uſuram.* Et ſane imponi ei uſuram non vult, cui ſi imponeretur, non agris eius nec fūdis quos haberet nullos, imponi eam liqueret. De eo enim paupere loquitur cui nullus erat fundus relictus, cui & mutuum dandum præcipit ſine uſura. Quamdiu quis ex Iſraëlitis poſſeſſionem ſuam ſibi ſorte datam retinere poterat eamque colere, & fructum ex ea percipere, non habebatur tum pauper, ſed dives, nec mutuo indigebat. In Deuter. xv, mendi-

co

eo mutuum eſſe dandum pignore accepto, iubet Moſes. Mendicus ille ſive πτωχὸς nullam habuit poſſeſſionem, quam venderet aut hypothecæ daret, ſed veſtes tantum ſi forte, aut ſupellectilem, quam pignori poneret. De tali omnino mendico præcipit, ubi pignus captum de illo ſit, ante occaſum ſolis eſſe reddendum ſi non habeat aliud pallium quo de nocte poſſit ſe operire. Cui mutuum datur, & ab eodem uſura exigitur. Nam uſura acceſſio mutui eſt, & ab eo pendet. Non igitur uſura imponitur prædiis, quia nec mutuum. At mutuum præcipue illis dabatur, quibus, ut dixi, non remanſerant ſua prædia, ſed qui iam ea vendiderant, neceſſitate adacti. Hoc quidem privilegium habuere poſſeſſiones Iſraëlitarum in terra Chanaanitide, ut ne vendi poſſent εἰς βεβαίωσιν, ut loquuntur Septuaginta interpretes. Ita mancipabantur emptoribus ac vænibant ab his qui præ inopia eas vendere cogebantur, ut quocunque tempore remancipari poſſent, & liberari, vel à venditore ſi nummos alicunde extricaret, vel ab aliquo genere proximo. Si neutro modo remanciparētur, anno ſeptimo, qui annus ἀφέσεως, redibat in ſuam poſſeſſionem qui eam vendiderat. Hæc

nemini ignota ſunt qui ſacram ſcripturam vel de limine ſalutarit. Sed illud inauditum, uſuras non eſſe impoſitas Iſraëlitarum poſſeſſionibus, atque ideo fœnus vetitum inter Iudæos fuiſſe, ut eorum fundi ab uſurarũ exactione immunes eſſent. Fruſtra etiam teſtem citant ſcripturã, ut probent, non eſſe pauperibus fœnerandum. Pauperibus quippe, vel etiam pauperrimis ac mendicis eſſe dandum ſub pignore, ſi fratres ſint, cum Moſes præcipiat, ex eo concluſio per conſequentiam certa elicitur, ſi extranei ſint, his poſſe in fœnus dari, quia fœnerari extraneis permiſerit, fratribus vetuerit. Præterea pauperum nomine iam docuimus omnes comprehendiſſe Moſem, ac nemini Iudæo ad uſuram dare voluiſſe Iudæum, ſed ideo pauperum expreſſam feciſſe mentionem, quia tunc temporis ſoli pauperes mutuum petere ſolerent, eoque indigere. Sed ponamus, de ſolis revera pauperibus illud legis divinę mandatum eſſe interpretandum. Hanc legem ſi placeat inter Chriſtianos introduci, qua ſanxit Moſes, pauperibus ſolis non eſſe ſub uſuris mutuum dandum, non aliter illa valere poterit, niſi etiam quod ab eodem Moſe conſtitutum fuit introducatur alia lege, ut nemo poſſit pauperem

rem potentem mutuum repellere, & vacuum à ſe dimittere. Sic enim decrevit Deuter. xv, ἐὰν γένηταί σοι ἐνδεὴς ἀδελφὸς ἐκ τῶν ἀδελφῶν σου ἐν μιᾷ τῶν πόλεων ἐν τῇ γῇ ἣν κύριος ὁ θεός σου δίδωσί σοι, οὐκ ἀποστέξεις τὴν καρδίαν σου, οὐδὲ οὐ μὴ συσφίγξεις τὴν χεῖρά σου ἀπὸ τοῦ ἀδελφοῦ σου τοῦ δεομένου, ἀνοίγων ἀνοίξεις τὰς χεῖράς σου αὐτῷ, καὶ δανείζων δανείσεις αὐτῷ ὅσων ἂν ἐπιδέηται, καὶ καθόσον ὑστερεῖται. *Sed aperiendo aperies illi manum tuam, & mutuando mutuabis ei, ad ſufficientiam uſque, id quo eguerit.* Repetit hoc idem paulo poſt: Διδοὺς δώσεις αὐτῷ, ὅσα ἂν ἐπιδέηταί σου, καὶ οὐ λυπηθήσῃ τῇ καρδίᾳ σου διδόντος σου αὐτῷ, ὅτι διὰ τὸ ῥῆμα τοῦτο εὐλογήσει σε κύριος ὁ θεός σου ἐν πᾶσι τοῖς ἔργοις σου. *Sed dando dabis ei, neque malum erit cor tuum quum dederis ei, quia huius rei gratia benedicet tibi Dominus tuus, in omnibus operibus tuis, & in omni re quam tractabis.* Ne negari quidem voluit mutuum poſcenti fratri, ea contemplatione, quod annus ſeptimus adpropinquaret, quo liberatio debitorum competebat. *Cave tibi, ne ſit quidpiam in corde tuo impium, dicendo, propinquus eſt annus ſeptimus, annus remiſſionis, & malignus ſit oculus tuus in fratrem tuum mendicum, ita ut non des ei, clamet autem contra te ad Dominum, & erit in te peccatum.* Impium eſſe pronuntiat & pecca-

peccati adfine, ſi quis vel ſub illud tempus fratri ſuo pauperi & mendico quidquam mutuo dare renuat, quo id ipſum amiſſurus eſt, ingruente nimirum anno remiſſionis. Egregie vero Philo in libro de charitate, huic Moſaicæ legi uſuram inter fratres vetanti eiuſdem aliud præceptum adiungit, ut omnis lubentiſſime omni egeno ſubveniret, qua beneficio, qua mutuo: Καὶ προστάττει μὴ διὰ τοῦτο ἀναδύεσθαι, καὶ συμβάλλειν ὀκνηρότερον, ἀλλ' ἀνειμέναις χερσὶ, καὶ γνώμαις, μάλιστα μὲν χαρίζεσθαι τοῖς δεομένοις, λογιζομένους, ὅτι καὶ ἡ χάρις τρόπον τινὰ δάνειον ἀποδοθησόμενον ἐν καιρῷ βελτίονι ἀνάγκης ἑκουσίῳ διαθέσει τοῦ λαβόντος. εἰ δὲ καὶ μὴ βούλοιτο δωρεῖσθαι, κιχράναι γοῦν ἑτοιμότατα, καὶ προθυμότατα, μηδὲν ἔξω τῶν ἀρχαίων ἀποληψομένους. *Cum vetuiſſet Moſes fratri fænerari, idem etiam præcepit, ne propterea lentiores exiſterent in contrahendo, ac tergiverſarentur, ſed manu atque mente liberali, præcipue quidem gratificarentur indigentibus, illud reputantes, quod beneficium fænoris quodammodo genus eſt meliori tempore neceſſitatis reddendum ex voluntaria accipientis affectione. Si quis autem nolit ſuum donare, ſaltē ut promptiſſime ac lubentiſſime mutuo illud det, nihil præter ſortem recepturus.* Ex quibus clarum eſt ac pluſquam manifeſtum, non debere inter Chriſtianos vetari mutuum uſu-

uſurarium, niſi eadem lege qua iſtud vetabitur, neceſſitas etiam inducatur mutui gratuiti, & ab omnibus & omnibus dandi. At videndum, an lex aliqua talis imponi poſſit hodiernis Chriſtianis, non dicam, ut Gallus Hiſpano mutuum omni petenti det, aut Hiſpanus Gallo, idque neceſſario facere teneatur, ſed, quod plus eſt, Gallus Gallo, Hiſpanus Hiſpano, & Reformatus Reformato. Hoc ſi non poteſt obtineri, fruſtra & illud velis tenere, ut mutuationes fiant ſine uſuris, ubi nulli gratuitæ locus eſſe poſſit, etiam ſi lege imperetur. Simili modo & qui Chriſti lege Chriſtianis uſuras vetitas crediderit, debebit etiam obſervandum omni modo curare illud Chriſti præceptum quod ſolis datur perfectis: *Omni petenti dato, & neminem mutuari à te volentem averſeris.* Trapeziticas præcipue uſuras, & publica auctoritate cõſtitutas, iſta omnino aſſerunt, quandoquidẽ nemo privatus pauperi mutuum ne ſub uſuris quidem dare ſuſtineat niſi pignora pro ſecuritate accipiat. Atqui ne pignora quidem nullius pretii à pauperculo dives aliquis accipere dignetur, aut ſummulam qua opus habebit ei dare mutuam, cui ingentes in arca iacent otioſæ ſummæ quas occupare quærit fœnore. Ergo eſſe oportet,

tet, qui conſtituatur publice ad hoc ut omnibus det, vel mendicis quoque, ad minimas uſque ſummas, & ſub viliſſimis quibuſque pignoribus, ac minimi pretii. Hac porro præterea ratione prohibent pauperes ab auxiliaria iſta mutui copia tam Theologi noſtri quam Canoniſtæ, quod etiam pignora à privatis fœnerantibus accipi iuſtum negant, & divino iuri contrarium id aſſerunt. Quis igitur hac ſublata poteſtate pignorum à paupere accipiendorum pauperi vellet mutuum dare? Sic dare, plane eſſet perdere. Hæc altera tamen ratio eſt qua trapezitas cenſent improbandos Theologi, *quod pignora promiſcue ab omnibus accipiant*. Ergo non promiſcue debent ab omnibus accipere, ſed à quibuſdam tantum. Qui ſunt illi quidam? an divites? Quaſi vero & pauperculi non poſſint pro ſuis opibus & copiis etiam pignus dare? Non eſt gravius & oneroſius pauperi, palliū oppignerare viginti aliquot aſſium, aut ſtragulā veſtem non pretioſiorem, quam locupleti Attalica aulæa magni pretii, aut argentū factū, aut gemmas. Non ab omnibus igitur accipere debent, ſed ab illis tantum qui dare poſſunt. Unuſquiſque enim pro æſtimatione ſui pignoris mutuū accipit, ex quo ſecuritas nimirū fiat trape-

zitæ

zitæ tam pro ſorte quam pro uſuris. Apud Martialem Eques quidam oppignerat ad menſam Cladi annulum, ut cænet:

Hic quem videtis greſſibus vagis lentum,
Amethyſtinatus media qui ſecat ſepta,
Quem non lacernis Publius meus vincit,
Non ipſe Cedrus alpha pænulatorum,
Quem grex togatus ſequitur, & capillatus,
Recenſque ſella linteiſque loriſque,
Oppigneravit modo modo ad Cladi menſam
Vix octo nummis annulum, unde cænaret.

Sic legendus corruptiſsimus in vulgatis hic ultimus verſus. *Cladus* nomen proprium ſervi vel liberti qui menſæ Argentarii erat præfectus. Græculis ut plurimum tunc temporis ad hoc miniſterium utebantur Romani trapezitæ, ut ſub extremo imperio, & Iuſtinani tempore, Iudæis ac Samaritanis. Illum equitem Martialis annulum ſuum ad cænæ ſumptũ oppignerare facile ferrent noſtri Theologi, & trapezitam pignus à tali accipere. Quid ſi famelicus aliquis aut alias mendicus, annulum in via reperiſſet, nonne probarent hoc idem de eo annulo ab eo fieri, ut pro pignore deferret ad menſam ad nummos pro cænæ aut prandii paratu referendos? Numquid mallent eũ cum fame potius luctari? An trapezitam improbũ iudicarent
qui

qui ab huiuſmodi mendico tale pignus acciperet? Quid ſi pannucea quibus carere poteſt, & centunculos inutiles habeat pauperculus? ſervare ea potius erit cogendus, quam ut his oppigneratis famem qua premitur pellat? Si vendere talia illis permittent Theologi, cur non pignori opponere poterunt ad eumdem uſum neceſſitatis levandæ? Levius ſane ex oppigneratis malum quam ex divenditis. Coguntur quippe quos neceſſitas premit minimo ſua addicere. Nam & plus ſæpenumero recipiunt ex menſa. Deinde cum menſæ pignora diſtrahuntur auctoritate publica, ſi pluris vænierint in auctione, accipiunt hyperocham. Si pignora à pauperibus & mendicis accipi poſſint, quod ſcriptura permittit, cur non & his fœnori dari, cum pignus ſecuritatem pro ſorte & uſuris præſtare queat? Atqui ne de pignoribus quidem à divite accipiendis plerique Theologorum tam pontificiorum quam noſtrorum conſentiunt. Quę ſententia manavit à iure canonico, cui ius civile hac in parte contrarium eſt, ut in aliis multis. Sed cum certum ſit, rem uſurariam inter Chriſtianos conſtituendam eſſe ex iure civili, quia uſuræ non ſunt contrariæ iuri divino, miror, pignorum accipiendorum pro-

prohibitionem hodie valere apud eas nationes Chriſtianas quæ ex Reformatione ſua iuri canonico prorſus renuntiarunt. Quid enim rationis eſt, ut licitum ſit, hypothecæ bona ſua ob creditum obligare, & vetitum habeatur, pignora dare pro debiti ſecuritate creditori? Notum eſt, pignori dari mobilia, hypothecæ immobilia. Sed & tutiorem eſſe ex hypotheca rei immobilis quam ex pignore cautionem, ut cautionis plus eſt in utroque qua pignore qua hypotheca quam in perſona fideiuſſoris aut ſponſoris. Et certum eſt, in his ius civile pro norma eſſe debere gentibus omnibus quæ iure illo utuutur, niſi aliquod iuris divini ac moralis naturaliſve præceptum contra ſtet. Quod niſi ſit, nec iuris canonici ullum eſſe reſpectum decet, ubi in iuris divini ac naturalis conſtitutis non eſſe fundatum apparet. Affertur quidem ex ſcriptura, per Moſem Deum præcipere, ut acceptum pignori à proximo veſtimentum ante ſolis occaſum reddatur ei. Exod. XXII, verſ. XXVI, & Deuteron. XXIV, verſ. XIII. Sed illa pignoris redditio cum ſit ex iure civili Iudaico, non poteſt alios populos obſtringere, quam quibus ſpecia-

cialiter præſcripta eſt. Præterea cum ſupraſcriptis locis & apud Ezechielem cap. XVIII, diſerte fiat mentio reddendi pignoris ante ſolis occaſum, ex eo patet, licitum fuiſſe accipere. Non enim redderetur niſi quod acceptum fuiſſet. Et poterat legiſlator, ſi omnino accipi non liceret à proximo pignus, accipiendum vetare potius, quam acceptum reſtitui iubere. Videndum ergo, quale pignus reddi velit, & cui. Non enim de omni pignore id ſtatuiſſe, nec de omni debitore, inde liquet, quod non abſolute vetuit accipi. Atqui id oportuiſſet interdici, ſi omnibus fuiſſet reddendum, & omne pignus. Brevius quippe fuit ac iuſtius, non accipi, quam reddi acceptum ſanxiſſe. Etiam iure civili non omnia licuit pignori accipi, capive. Aratra, boves aratorios, & alia inſtrumenta colendæ terræ, non licebat ab agricola auferri. Athenis arma militis in pignus accipere aut capere vetitum. Et apud Romanos Iuriſconſultos pignori datis generaliter omnibus bonis, excipiuntur tamen quæ veriſimile eſt quemquã ſpecialiter obligaturum non fuiſſe. Excipiebantur igitur ab illa generali obligatione, quæ in uſu quotidiano

no habentur, ut ſupellex, & veſtis, & alia, de quibus agimus cap. XIII de Modo Uſurarum. Videamus igitur, quale pignus, & cui reddi præcipiat Moſes, quod tamen accipi permiſit. Diſerte de veſtimento cavetur Exod. XXII. verſ. XXVI. *Si in pignus acceperis veſtimentum proximi tui, antequam occubuerit Sol, reſtitues illud ei.* Idem etiam de veſtimenti ſtraguli pignore in quo dormiendum eſt debitori expreſſe præcipitur Deuteron. XXIV. verſ. XIII. *Reſtituendo reſtitues illi pignus illud cum occubuerit ſol, ut dormiat in veſtimento ſuo.* Ergo de ſola veſte, & quidem cubitoria ſive ſtragula, præceptum illud datum eſt, reddendam eam eſſe nimirum cum pignori accepta eſt, & quidem ante ſolis occaſum, ut in ea dormire poſſit debitor qui dederat. Sed cur non potius accipi vetavit? Ut aratrum & boves capi pignoris loco vetuere leges Romanę, & arma militis accipi Atticæ. Sic etiam molam & alia circa eam deſervientia inſtrumenta in pignus accipi vetuit idem Moſes. In Deuteronomio cap. XXIV. verſ. VI. *Non accipiet quiſquam pro pignore molam & catillum. quoniam animam ipſe acciperet pro pignore.* Μύλην, ὀυδ᾽ ἐπιμύλιον. Ioſephus vocat, μύλην καὶ τὰ περὶ αὐτὴν σκεύη. Mola duobus conſtat, inferio-

 re par-

re parte, quæ τράπεζα μύλου, in qua ponitur quod terendum eſt, & ſuperiore, quæ premit & terit. Illa μύλη proprie, hæc ἐπιμύλιοι, aliis ὄνος. Sed hæc alibi. Hanc igitur molam omnino vetuit pignori capi, id eſt, de omnibus quicunq; eam habent. Idẽ feciſſet & de pallio ſtragulo, ſi de quocunque id capi in pignus prohibuiſſet. Quod eam reddi iubet, de certis videtur excepiſſe, quibus ob neceſſitatem foret reddenda. Expreſſis verbis ei ſoli reddendam ſanxit, cuius ea eſſet paupertas, ut ſolũ id veſtimentum haberet, cui noctu incubaret, aut quo ſe tegeret dormiens. Deuteron. XXIV, verſ. XII. *Quod ſi vir pauper fuerit, non dormies cum pignore eius.* Nec ſimpliciter pauperem, ſed extremæ paupertatis talem eſſe debere cui veſtimentum reddendum ſit, ex XXII Exod. manifeſtum eſt, ubi ſolum id illi veſtimentum eſſe declaratur. Tum igitur reddi debet, cum aliud veſtimentum pauper ille non habet in quo dormiat: *Si in pignus acceperis veſtimentum proximi tui, antequam occubuerit ſol, reſtitues illud ei, quia ipſum ſolum eſt operimentum eius, illud veſtimentum eius eſt cuti ſuæ in quo dormiat.* De ſolo paupere, & de ſolo veſtimento pignori capto accipiendum id eſſe, etiam Ioſephus monet lib. IV Anti-

Antiquitatum Iudaicarum: ἂν δὲ πένης, ἀποτιθέτω, πρὶν ἡλίου δυσμῶν, καὶ μάλιστα ἂν ἱμάτιον ᾖ τὸ ἐνέχυρον, ὅπως εἰς ὕπνον ἔχῃ τοῦτο, φύσει τοῦ θεοῦ τοῖς πενομένοις ἔλεον νέμοντος. Nec alii igitur reddendum pignus quam pauperi, nec aliud quam veſtimentum, idque ſi ſolũ hoc illi ſuperſit, cui in ſtratis incubet, aut quo ſe operiat, noctu dũ ſomnum capit. Nec aliter accepit Hieronymus ad Ezechielem cap. XVIII, his verbis: *Octavum eſt, pignus debitori reddere. Non omni, alioquin multis occaſio recipiendorum pignorum fiat divitiarum materia, ſed ei debitori, de quo in lege ſcribitur, quod pauper ſit, & proprium oppoſuerit veſtimentum, & ante ſolis occaſum operimentum recipere debeat, ne cruciatus frigore clamet ad Dominum, qui ultor eſt eius iniuriæ. Sin autem iuxta ea quæ ſequuntur panem eſurienti dare debemus, & nudum operire veſtimento, quanto magis ſuum reddere, ſi tamen debitoris indubitata paupertas eſt.* Atque ita plane ſolverunt quidam Canoniſtæ obiectionem quam contra inſtitutionem Montium pietatis alii intentarunt, quod nimirum pignora in his acciperentur contra præceptum divinum quo iubetur pignus reddi. *Reſpondetur*, inquiunt, *quod auctoritas divini mandati de reddendo pignore ante ſolis occaſum, loquitur in caſu extreme*

tremæ neceſſitatis, quoniam aliter non poſſit iuvare proximum qui pignoravit. Quo caſu tenetur quilibet habens facultatem ei providere. Quæ ipſiſſima verba ſunt Bernardini de Buſti Ordinis Minorũ de Obſervantia, ex libro cui titulus, *Defenſorium Montis pietatis, contra figmenta omnia æmulæ falſitatis.* Sed noſtri theologi nihilominus pertendent, trapezitas hodiernos contra illud præceptum committere, *dum promiſcue pignora quævis recipiunt, ac retinent etiam integumenta & indumenta ex lege naturæ aut decori civilis homini neceſſaria, frequenter ne inſtrumentis quidem, qua quis vitam ſuſtentat, exceptis.* Reſpondeo, non eſſe extendenda ad alia quælibet quæ Moſes de ſolo veſtimento coopertorio excepit, & hoc quidẽ pauperi, qui ſolum id habet quo ſe involvat & operiat noctu, reddendo. Nec etiam inde ſequitur, ut trapezita hoc ſenſu peccet, ſi detineat veſtimentum unicum cubitorium pauperrimi alicuius, nec ante ſolis occaſum ex mandato Moſaico ei reddat. Deſcendere illud mandatum ex ſpeciali iure Iudæorum, ſupra docuimus, nec illo obligari eos, quibus non eſt ſpecialiter iniunctũ, quique alio iure civili utuntur. Deinde id in privato fortaſſean locum habeat, qui veſtimentum à paupere in pignus

gnus acceperit, quem noverit carere eo non poſſe, & ſolum id habere ſtragulum quo ſe tegat. In eo vero qui publica auctoritate id muneris exerceat, & per famulos ſuos atque actores id agat, in tanta copia pauperum diverſi generis qui pignora ſua deferunt, ut pecuniam è menſa referant, aliud ius eſſe. Non enim ſcire illum poſſe, quis ex illis qui quotidie ventitant ad menſam ut pecuniam ſub pignoribus mutuentur, adeo ſit pauper ut pignore ſuo carere non queat. Sed nec famulorum eſſe qui huic muneri à trapezita præpoſiti ſunt, ſuper hoc ſollicitius inquirere, quibus hoc tantum ex officio incumbit, pignora ab omnibus recipere, & pecuniam numerare. Poſtremo, ne ſi quidem explorare id vellent, poſſe eos ad verum pervenire. Nam qui pignora adferunt ut argentum recipiant, nunquam faterentur tantæ ſe eſſe paupertatis, ut illud unicum poſſideant veſtimentum quod pro pignore offerunt. Si id dicerent, non alio fini nempe tale quid declararent quam ut veſtimentũ ſuum ante ſolis occaſum recuperarent, non reddito tamen argento quod accepiſſent. Trapezitici inſtitores id captantibus ac deſiderantibus, ne obolum quidẽ darent. Idcir-

co nemo pauperum has nænias trapeziticis miniſtris occinit. Quibus enim magis neceſſaria pecunia quam auferunt, quã pignus ipſum quod deferunt, nollent pignus ſuum domum referre, & cum ea miſeria conflictari ex qua duntaxat poſſunt emergere pignore dato pro pecunia. Poſtremo nemo præſumitur pignori quicquam opponere, quo carere non poſſit, & ſine quo vix vivere queat. Unuſquiſque penſitat neceſſitates ſuas, atque invicem ita eas confert, examinat, acponderat, ut leviorem cedere iubeat graviori. Qui duo veſtimenta habet, mavult unum dare pignori, atque ita æſtive potius veſtiri, dum famem quæ inſtat graviſſimam amoliatur. Inter extremum quidem frigus & extremam famem difficilis foret tanquã minoris mali electio. Sed cũ levi frigore in bilance poſita fames intoleranda, facile tanquã gravius malum poteſt lancẽ in qua eſt inclinare ac deprimere. Tenetur quidem quilibet privatus è Chriſtianis, caritate iubente, nudũ operire, & eſurienti panẽ dare. Sed piſtoris aut veſtiarii negotiatoris inſtitor non debet panem quem vænalem habet dominus eius, aut veſtes pannũve quibus vẽdundis à domino prępoſitus eſt, pauperibus aut mendicis erogare ac donare,

nare. Ita nec famulus trapezitæ pignora quæ à pauperibus accipit, etiamſi ſciat incommodum ex illorum penuria pati debitorem pauperem, poteſt aut deder reddere non reddita pecunia. Ad accipienda pignora tantum deſtinatus eſt, ac tum reddenda debitoribus cum pecuniam cuius gratia obligata ſunt, reſolvunt. An ipſe trapezita reddere illa egentibus iure teneatur, priuſquam liberata ſint, ne moveri quidem poſſe quæſtionem puto. Nec enim ſcire poteſt quinam ex his egentiſſimi in tanta turba pignora deferentium, neque ſi ſciret, ea tamen reddere deberet, cum publica auctoritate hoc fungatur munere omnibus pecuniam dandi ſub pignoribus, nec inter pauperem ac divitem diſtinguendi. Poſtremo hac ſemel patefacta ianua, ac data porta, omnes pauperes irruerēt, ac clamarent, in ea cauſa ſe eſſe ut reddi ipſis pignus deberet. Se enim egentiſſimum eſſe, nemo non quiritaretur, nec poſſe ſuo pignore carere. Sic menſa ſtare non poſſet, & plerique omnes eo ſubſidio privarentur quod inde maximum pauperibus obvenire conſtat. Quis enim talem menſam conducere vellet, cum ea conditione locaretur ut pignora omnibus extremam pauperta-

tem ac neceſſitatem profeſſis redderet non ſoluta pecunia? Non accipere omnino pignora, idẽ eſſet hoc ſenſu, ac reddere accepta, nec liberata. At quis tantarum divitiarum trapezita, quamvis ei tam liberalem ac munificum animum donaveris, qui ſufficere poſſet omnibus pauperibus, ac ſubminiſtrare quod quiſque opus haberet? Sane pauperi pecuniam dare mutuam ſine ſecuritate ac fiducia alicuius pignoris, idem eſt quod donare. Non privatos igitur, ſed reges, talem menſam exercere oporteret. Cæterum non facere contra legem, quæ iubet pignus reddere, hodiernos trapezitas pignora non reddentes, alio, ſed invincibili argumento, iam oſtendam. Qui hactenus crediderunt, pignoris illud genus, quod reddi ante occaſum pauperi iubetur, idẽ eſſe cum illis pignoribus quæ hodie accipiuntur ob debiti ſecuritatem, toto cœlo errarunt. Docuimus in libro de Modo uſurarum, qui nuper prodiit, ſcripturam in Exodo & Deuteronomio, & aliis locis ubi de pignore reddendo loquitur, non eſſe de pignore conventionali accipiendam, ſed de coactivo, quod capiebatur ut compelleretur debitor ad ſolvendum. Clariſſime quippe patere docuimus ex me-

ex mente ſcripturæ de alio pignore eam capi non poſſe, nec de alio intellexiſſe Septuaginta interpretes, qui ἐνεχυράζειν vel ἐνεχυριάζειν de creditore qui mutuum dedit, dixere. Ut in Deuteronomio XXIV, verſ. x. ἐνεχυράσαι τὸ ἐνέχυρον. Nam ἐνεχυράζειν creditor τὸ ἐνέχυρον dicitur, cum capit pignus ex debitore ſolutionem differente. Ipſe vero debitor ex quo capitur, ἐνεχυριάζεσθαι vel ἐνεχυράζεσθαι. Ubi autem pignus accipit in mutuo dando ex conventione ad debiti fiduciam, tum ἐνεχυράζεται vel ἐνεχυριάζεται ipſe creditor, debitor vero ἐνεχυράζει vel ἐνεχυριάζει. Quarum loquutionum rationem reddimus in libro ſupraſcripto de Modo Uſurarum. Pignoris hic capiendi mos de debitoribus ad diem non ſolventibus frequentiſſimus in Græcia fuit, Aſiaque & toto Oriente. Morante enim debitore, ſi res ad creditum recipiendum ſufficiens obligata non eſſet, quod fortaſſe ſolutione præſtituta die non procedente, & uſuris adhuc currentibus, ſumma maior eſſet effecta, ibi creditori licebat domum debitoris etiam abſentis ingredi, & omnia quę vellet inde egerere, ac domũ ſuam portare, poſtea divendere, ac ſic ſuum ex pretio recuperare, vel hoc modo debitorem ad ſolvendũ coge-

gere. In debitoribus Chirographariis præcipue hoc obtinuit, cum ſcilicet nihil de pignoribus aut hypothecis cautum fuiſſet. Apud Romanos etiam idem ius pignoriſcapionum in mora ſolutionis diu viguit. Et conſtitutionibus tamen imperatorum non aliter uſurpari licuit, niſi iudex re cognita pignus capiendum pronuntiaſſet. Alioquin crimen de vi privata incurriſſet qui non præcedente iudicis ſententia pignus cepiſſet. Non enim ſine violentia aliqua pignora ſic capiebantur, cum per vim quaſi extorquerentur & auferrentur à debitore. Multa itaque differentia fuit inter pignus captum propter moram ſolutionis, & pignus acceptum ex pacto convento pro ſecuritate debiti. Qui ab invito pignus rapit, non conſiderat neceſſitatem eius aut egeſtatem cui illud aufert, nec incommodum quod pati poteſt ex re illi ablata. At qui dat pignus ex pactione, volens ac libens id facit, & novit quid ſibi opus ſit, quid minus aut magis neceſſarium ſit, remque illam præcipue oppignerat, qua ſe poſſe carere iudicat. Ideoq; legibus bene conſtitutarũ rerumpublicarũ in pignus eius vaſis vel inſtrumẽti debitori licet cõſentire, & creditori illud ex
conſen-

conſenſu debitoris accipere, quod tamen pignori capere eidem creditori non liceret. Aratrum ab agricola aut boves aratorios pro pignore auferre non liceret. Quid ſi idem agricola aratrum ſuum ipſe oppigneraret ſua volũtate, an non liceret? Immo liceret. Nullum aratrum capi iure de illo poſſet. At ipſe ex pacto pignori dare poſſet ex multis unum quo carere maxime poſſet. Certe vel unicum quod habet ſi daret, pignus valeret. Quid ſi arationi renuntiare vult, & aliam artem capeſſere, & aratrum quod vendere poſſet, oppignerat? Quid ſi eo tempore pignori ponet quo ipſi inutile eſt? Nec enim ſemper aratri uſus eſt agricolis. Scit denique quiſque quid ſibi expediat, nec poteſt impediri re ſua uti vel etiam abuti quomodo velit. At non licet cuivis ea pignora capere de ſuo debitore quæ ablata ipſum in magnum incommodum aut dãnum coniiciant, aut ſine quibus forſitan victum non poſſit quærere. Qui enim capit pignus ut debitorem ſuum ad ſolutionem adigat, nec tempora reſpicit debitoris, nec utilitatem, nec commoditatem, omnium ſecurus, dum pecuniam ab illo ſuam extundat. Aratrum itaque, aut boves, aut alia arandi inſtrumẽta eo tempore ca-

re capere poſſet, quo aratio maxime ferveret. Quibus ereptis ſpem anni totam ipſi adimeret, & proinde vitam ipſam. Ut ecce lege Moſaica molam debitoris non licuit debitori capere pignori, quia, inquit lex, animam hoc eſſet ipſi eripere. Deuteronomii xxiv, verſ. vi. Quod de pignoriſcapione intelligi debet, non de pignoris datione, ut verbum ἐνεχυράζειν oſtendit, quo uſi ſunt Septuaginta interpretes: οὐκ ἐνεχυράσεις μύλον, οὐδὲ ἐπιμύλιον, ὅτι ψυχὴν οὗτος ἐνεχυράζει. Quod Ioſephus reddit ἐνέχυρον λαμβάνειν, id eſt, pignus capere, lib. iv de Antiquitatibus Iudaicis: Μύλην δὲ καὶ τὰ περὶ ταύτην σκεύη μὴ ἐξεῖναι λαμβάνειν ἐνέχυρον, ὅπως μὴ στερῶνται καὶ τῶν πρὸς τὰ σιτία ὀργάνων, μηδ᾽ ὑπὸ ἐνδείας πάθωσί τι τῶν χειρόνων. *Molam, & ad eam pertinentia inſtrumenta non licere per pignoriſcapionem auferre, ne his ablatis priventur cibi parandi facultate, & ob inopiam gravius aliquid patiantur.* Nam ἐνέχυρα λαμβάνειν, & λαμβάνεσθαι de pignoriſcapione etiam Græcis uſurpari, docuimus in volumine de Modo Uſurarum cap. xiii. Molam unuſquiſque apud ſe habebat olim qua frumentum in farinam tereret, cum machinarum huiuſmodi, quæ vento aut aqua verſantur ad molendum, uſus nondum eſſet. Cum igitur

igitur nemo tum carere poſſet eo inſtrumento ad cibum ſibi parandum panemque conficiendum adeo neceſſario, ideo & favorabilior eius cauſa viſa eſt legiſlatori quam veſtimenti inſtratui, ſive veſtis ſtragulæ. Nam omni tempore mola neceſſaria eſt, tam hiberno quam æſtivo. At veſtimento προσκοίτῳ, æſtate quis poteſt carere. Et multi ſub dio tum cubant, præcipue in regionibus calidioribus, ut erat Iudæa. Præterea unica fere tantum mola, ut veriſimile eſt, apud ſingulos fuit, cum veſtimentorum apud lautiores magna eſſet copia. Idcirco molam pignori capi vetuit Moſes ex debitore, cũ veſtimentum coopertorium capi permiſerit, ſed reddi voluerit pauperrimis qui unicum haberent, ut illo ſe poſſent in cubili operire. Cũ mola pignori capi vetatur, de invito nimirũ ac renitẽte, ut in pignoriſcapione fit, intelligendũ: non vetatur autem accipi de volente ac conſentiente, qui eam pro ſecuritate debiti traderet ſuo creditori. Nihil igitur facit illa lex Moſaica de pignore reddendo, ad hoc ut pignus non liceat ex pacto convento accipere etiam à pauperrimis, etiam veſtimentum. Ioſephus porro, de pignore coactivo & involuntario mandatum Dei de pignore reddendo eſſe intel-

intelligendū, non de eo, de quo, ut daretur & acciperetur, inter creditorē ac debitorē convenit, his verbis manifeſtiſſime docet: *ἂν δὲ ἀναισχυντῶσι περὶ τὴν ἀπόδοσιν, μὴ πρὸς τὴν οἰκίαν βαδίσαντας ἐνεχυριάζειν, πρινὴ δίκη περὶ τούτου γένηται, τόδε ἐνέχυρον αἰτεῖν ἔξω, καὶ τὸν ὀφείλοντα κομίζειν δι᾽ αὐτοῦ μηδὲν ἀντιλέγοντα τῷ κατὰ νόμου βοηθείας ἐπ᾽ αὐτὸν ἥκοντα. Si vero debitores circa ſolutionem improbe agant, & eam morentur, non licere domum eorum ingreſſis pignora capere priuſquam iudicis ſententia de eo conſtitutum ſit, pignus autem foris ſtantem flagitare debere, & debitorem illud ad creditorem ferre nihil contradicentem ei qui legis præſidio ſubnixus ad ſe venit.* Hoc ius pignoris apud Iudæos propter moram ſolutionis capiendi explicat verbis ex Deuteronomio iam ſupra citatis cap. XXXIV, verſ. X. quę apud Septuaginta ita leguntur: *ἐὰν δὲ ὀφείλημα ᾖ ἐν τῷ πλησίον σου, ὀφείλημα ὁτιοῦν, οὐκ εἰσελεύσῃ εἰς τὴν οἰκίαν αὐτοῦ, ἐνεχυράσαι τὸ ἐνέχυρον. ἔξω στήσῃ, καὶ ὁ ἄνθρωπος οὗ δάνειόν σου ἐστὶν, ἐξοίσει σοι τὸ ἐνέχυρον ἔξω.* De eo ſolum cavet lex, ne ędes debitoris ingrediatur creditor ad pignus capiendum, ſed foris expectet, donec veniat, & pignus ipſi afferat debitor extra ianuam ſtanti. Nihil autem habet Moſes de auctoritate iudicis, qua fultus creditor debeat pignus capere, quod

quod alias non liceat facere. Hoc tamen colligitur ex verbis Ioſephi, μὴ πρὸς οἰκίαν βαδίσαντας ἐνεχυριάζειν πρὶν ἢ περὶ τούτου δίκη γένηται. *Non domum eius vadentes ad pignus capiendum priuſquam ſuper eo ius redditum fuerit.* Quod ex iuris Romani forma proculdubio hauſit, cui iuri tunc locum in Iudæa fuiſſe, non eſt ambigendum. Quæcunque enim ad cærimonias & religionis ritum pertinebant, Iudæis libera & ſuo modo moreque uſurpanda fuere à Romanis conceſſa. Quæ vero ad ius civile pertinerent, Iudæa in provinciam redacta, & leges Romanas accipere iuſſa, ſecundum ius Romanum apud præſides diſceptabantur. Hinc & illud de pignoribus, quod tunc apud Iudæos ex iure Romano iudicari ſolebat, ne ſcilicet ſine præſidis iuſſu creditor chirographarius per vim debitoris ſui pignora quæ non haberet obligata, capere poſſet. Idque in omnibus provinciis uſitatum tum fuiſſe, clare patet ex collectaneis Pauli lib. v, Tit. xxvi, de vi publica & privata, his verbis: *Creditor chirographarius ſi ſine iuſſu præſidis per vim debitoris ſui pignora, cum non haberet obligata, ceperit, in legem Iuliam de Vi privata committit.* Notabis hæc, *ſine præſidis iuſſu.* Ergo in provinciis omnibus Romanis

manis quæ à præſide regebantur, idem iuris fuit. Nec itaque Iudæa huius iuris expers, ubi imperio ac iuriſdictioni Romanorum ſubeſſe cœpit. Nam antea in Iudæa, ut in toto oriente, licuit pignora debitoris capere, non expectata iudicis ſententia, ut alibi fuſe docuimus. Pignora vero apud ſe depoſita pro credito ex conventione debitori poterat creditor perſequi & vindicare etiam ſine auctoritate iudicis. Magnopere igitur errant, qui ex illo mandato legis Moſaicæ, qua pauperi ſolũ id habenti veſtimentum in quo cubet, ſi pignori captum ſit, ante ſolis occaſum eſſe reddendum ſancitur, nefas Iudæis fuiſſe, & nunc eſſe illicitũ inde Chriſtianis colligunt, pignus ex pacti conventione accipere, aut, ſi acceptum ſit, reddi debere. De pignore involuntario, non de voluntario hæc intelligi par eſt. Pignora ex conventione tradita magis iam ſunt creditoris propria quam debitoris, ideo iure ſuo poteſt ea vindicare. Nam ut ait Philo, in libro de Somniis, τὰ ἐνέχυρα τῶν δεδανεικότων μᾶλλον ἢ τῶν δεδανεισμένων ἐστίν. Similiter quæ iudex cauſa cognita capi permiſerit, plus iam pertinent ad creditorem quam ad debitorem. Quæ vero privatus per vim ceperit ex debitore

ſuo,

ſuo, ut olim ea capi ius fuit in Iudæa & toto Oriente, non adeo ius in his quæſitum creditori fuit, quin meliori ratione ea redderet, ſi ſine his non poſſet vivere debitor. Et tamen hæc capi permiſit Moſes, dum redderentur ei qui carere his non poſſet. Et hoc affine mandatum illi eſt, quo vetatur à proximo nimis dure & acerbe debitum exigi. Quod etiam charitas, non Chriſtiana tantum, ſed etiam humana poſtulat. Quis enim probet Chriſtianus, debitorem moram ſolutioni pecuniæ nectentem omnibus ſuis exui, & culcitam ei detrahi, ac pallia quibus noctu operitur, pignori capi? Hæc tamen hodie fieri leges civiles ſinunt, quinetiam quod durius eſt, in carcèrem compingi permittunt, & ibi in pædore ac miſeria donec ſolverit, confici & enecari. Rogo, an levius ſit in carceris ſordibus obærato conſeneſcere ac contabeſcere, quam reſculas ſuas ad trapezitam portare, quæ non redemptæ poſt annũ, ſi forte, diſtrahantur, & ſuo quidẽ, aut non multum minore, pretio? Quis non mallet vel ſine pallio cubare quã colonũ carceris eſſe? Non hęc mihi placẽt, ſed vulgo & ab omnibus fiunt, atq; etiam legitime, id eſt, ſecundum leges quibus hodie Chriſtiani tenentur. Quanto ma-

gis licitum videri debet, quod cum nullo iure divino pugnat, pignora ac fiducias ad ſecuritatem debiti accipere etiam à pauperrimis? Quod ſi ius tollas, neminem invenias qui pauperi mutuum velit dare. Tunc enim dare & perdere, idem foret. Qui tam præciſe ad ius Iudaicum nos vocant, etiam quod peculiare illi genti & civile fuit, ut in rebus pigneraticiis ac fœneraticiis Chriſtianos obliget, cur non in omnibus, ſed in quibuſdam tantum id fieri æquum cenſent. Ut omnium par ratio legiſlatori fuit, ita nunc omniũ ſi omnes his obſtringuntur, haud diſparilis debet eſſe apud omnes obſervatio. Non iam dico de anno iubilæo, & anno remiſſionis, de quibus alibi ſatis ſuperque dictum eſt, ſed quod ad rem qua de hic agimus attinet, de iſtis ipſis pauperibus, qui non erant ſolvendo. Lex enim Moſaica admiſit, ut qui ad eam egeſtatem redacti eſſent, qua nec pignoris dandi illius unici veſtimenti quod lex captum reddi iubet, facultatem haberent, ut ſe in ſervitutem creditori ſuo addicerent. In Levitico cap. xxv, poſtquam vetuit fratri pecuniam dari ad uſuram, ſtatim ſubiungit: ἐὰν δὲ ταπεινωθῇ ὁ ἀδελφός σου παρὰ σοί, καὶ πραθῇ σοι, οὐ δουλεύσει σοι δουλείαν οἰκέτου. ὡς μισθωτὸς, ἢ πάροι-

κος

κος ἔϛαι σοι. *Si attenuatus, hoc eſt, facultatibus defectus, frater tuus apud te fuerit, & vendat ſe tibi, non ſerviet tibi ſervitutem ſervi, ſed tanquam mercenarius aut advena erit tibi.* Præſcribit modú quo ſervire debeat apud creditorem ſuum debitor, quem non vult tanquam ſervi ære empti eſſe, ſed tanquam mercenarii. Haud multum diſſimilis conditio fuit addictorum ob æs alienum, ſub mediis principibus imperii Romani, qui non ſervi eſſe aut ſervitutem ſervire intelligebantur, ſed in ſervitute eſſe duntaxat. Mercenariorú ſervituti hodie affinis famulorum & ancillarum opera in annum certa mercede conducta. In quibus omnibus, ut ait Cicero, *merces ipſa auctoramentum ſervitutis.* Μισθοδοῦλους eos Græci vocant. Ioſephus δούλους etiam appellat qui huiuſmodi mercenariam ſervirent ſervitutem. Nec ii tantum qui ære alieno obruti diſſolvere illud non poſſent, hoc genere ſervitutis voluntario ſeſe auctorabant, ſed etiam qui multam, qua alicui eſſet condemnatus, diſſolvere non valeret. Ioſephus: ὁ δὲ ἐπιτίμιον ἄπορος διαλύσασθαι, δοῦλος ἔϛαι τοῖς καταδικαζομένοις. *Qui multam ſolvere præ inopia non poterit, ſervus iis eſto quibus eam pendere damnas fuerit.* Idem ſtatuendum eſt de quocunque debitore qui

creditum ſolvere non poſſet. Is ſervus erat apud Iudæos ſuo creditori, ſed eo modo quo ſervire eum voluit Moſes tanquam mercenarium & advenam. Et ſine dubio alluſit Ioſephus ad illa Levitici xxv, *ἐὰν δὲ πένηται ὁ ἀδελφός σου, καὶ ἀδυνατήσῃ ταῖς χερσὶν παρά σοι, ἀντιλήψῃ αὐτοῦ ὡς προσηλύτου καὶ παροίκου, καὶ ζήσεται ὁ ἀδελφός σου μετά σου.* Quæ de fratre debitore, qui ſolvendo non eſt, & addictus eſt creditori ſuo fratri donec diſſolvat quod debet, accipienda eſſe, ſuprà docuimus. Non enim multum diſtabat ita addictus ab eo qui ſe vendiderat, ut alibi demonſtratum eſt. Quæro iam; utrum gravius videatur, hominem pauperem cui nihil ſuperſit quod pignori de ſe capi poſſit, per ſex annos vel venditum vel addictum ſervire, quam qui unicam habeat lodicem, ſi eam in pignus ponat? Qui nolunt, huiuſmodi egenos pignore poſito apud trapezitam egeſtatis onus ſibi levare, an mallent, eos pro ſervis & ancillis operam multos in annos ſervilem apud creditores ſuos præſtare? Atqui in populo illo Iſraëlitico licuit creditori ita debitorem ſuum obæratum ſervum habere donec ſolviſſet. Multo magis licuit, quod longe levius eſſe egentibus fatendum eſt, pignora ab his accipere ex cõventione, aut etiam

etiam per vim capere, ſi ſolutioni moram faceret, ſi de his accipiendis in mutuo contrahendo nihil conveniſſet. Utrumque pariter iure Moſaico Iudæis permiſſum fuit, pignora nempe capere & accipere. De capi ſolitis iam ſatis docuimus. De his quæ ex convento acciperentur cum mutuum contrahebatur, clare id accipi licere ab egeno & mendico, cavit Moſes Deuteron. XV, verſ. VII. *Si fuerit apud te mendicus quiſpiam è fratribus tuis, accepto pignore mutuando mutuabis ei.* In Hebræo eſt: והעבט תעביטנו. *Et mutuando ſub pignore mutuabis ei.* Ita enim omnino ſignificat verbum Hebraicum העביט, in *hiphil*, pignore accepto mutuari. Et עבט eſt pignerari, & עבוט pignus. Inde quoque Arabica vox عوض. Nam illi ſæpe Hebraicum *beth* in *vau* ſuum mutant, & ض litteram ſubrogant pro Hebraica ט. Septuaginta interpretes ſimpliciter dixerunt, καὶ δανείζων δανείσεις αὐτῷ. Quos ſequutus eſt vulgaris latinus. Nec debebant porro id imitari & exprimere in verſionibus ſuis qui præ ſe tulerunt ad Hebraicam veritatem ſe eas excudiſſe, ut noſtri Galli & Belgæ qui nuper Biblia in ſuam linguam converſa recognoverunt. Cum enim העבט, quod in

He-

Hebræo legitur, ſignanter denotet, ſub pignore mutuũ dare, cur illud de pignore omiſerunt, quod tanti eſt momẽti, præcipue in lege ac mandato divino? Si quis diceret, vetitũ eſſe verbo Dei pignus à pauperibus accipere, poſſet hac auctoritate convinci. Cur eam igitur ſubtraxerunt è verſionibus ſuis, quæ tanti eſt ponderis ad refutandos Canoniſtas, qui mutuũ dari ſub pignoribus quaſi lege divina prohibitũ aſſerunt? Apertis pignoribus hæc lex ita reddita ex Hebræo, ut debet, eos confutat. Nec nobis hic opponi debet Septuaginta interpretum auctoritas, quam Hebrææ veritati magis authenticæ prævalere oportere nemo niſi inſanus dicat. Præterea excuſari fortean illi poſſunt, ut videantur ſatis ſubintellexiſſe etiam pignus, quia de mutuo dando mendicis agitur. Quis enim talibus det mutuum, niſi caveant de reddendo quod acceperint, dato pignore? Fruſtra quippe Moſes præcepiſſet dandum eſſe mutuum fratri mendico, niſi & pignus accipiendum permiſiſſet. Etiam ſi non dixiſſet, hoc ipſo quod præcipit ita egenis dandum eſſe mutuum, facile intelligi deberet. Alioquin non mutuum dari oportere pauperrimis huiuſmodi ſanxiſſet, ſed ſtipem. At ſtipem illis plane dat qui dat ſine

ſine pignore mutuum. Sed nec mos Græcis fuit, cuiquam inopi dare mutuum, id eſt, δανείζειν, niſi ἐπ' ἐνεχύρῳ. Si acceptum ex conventione non eſſet, ſæpe capi per vim ſolebat, ceſſante in ſolutione debitore. Sed omnino melius fuit, id exprimi in verſionibus ex Hebræo traductis, cum Hebræum vocabulum eam vim plane habeat. Hæc cum ita ſint, nulla eſt ratio, cur hodie prohibeatur Chriſtianus à Chriſtiano pignus accipere, etiam ob mutui fœnebris ſecuritatem. Licuit Iudæis accipere pignora à mendico fratre, id eſt, ad extremam paupertatem redacto, in mutuo gratuito illi dando. Ergo & in fœnebri Chriſtianis accipienda debent permitti, quia vetita uſura Iudæo non eos obligat. Quidã leguleius nuper ſcripto nugatorio quod incidit in manus meas cũ hęc exararẽ contendit, uſuras eſſe illicitas iure naturali. Quid ita? Quia Hebræis vetitas voluit Deus. At voluit licitas cum aliis gentibus. Nõ ergo iure naturali illicitæ. Non enim rem illicitam iure naturali permiſiſſet populo ſuo, cum cæteris omnibus exercendam. Non permiſit Iſraëlitis mœchari cum extraneis, falſum teſtimonium dicere in extraneos, compilare extraneos, nec alia crimina admittere quæ contra legem

moralem ac naturalem faciunt. Ergo nec permiſiſſet uſuram cum gentibus, ſi illa contra ius naturale faceret. Numquid Logicoiuridicus ille cenſebit contra ius naturale eſſe, debitum repetere ab eo cui credideris? Nihil ſane magis iuri naturali conſentaneum, ut nemo liberetur debito niſi diſſolutum ſit. Huic iuri naturali Deus locum eſſe voluit in populo ſuo, ſi cum extraneis contraherent, ut quocunque tempore repoſcerent debitum ſuum ab illis quibus credidiſſent. Inter fratres ipſos, hoc eſt, Iudæos ipſos, aliam peculiarem legem ſanxit, & illi iuri naturali contrariã. Septimo quippe quoq; anno liberum ære alieno eſſe iuſſit quemcunque fratrem qui fratri ſuo illud deberet. Unde annus ille dicebatur ἔτος ἀφέσεως, annus remiſſionis. Deuteron. XV. Τὸν ἀλλότριον ἀπαιτήσεις ὅσα ἐὰν ᾖ σοι παρ' αὐτῷ, τῷ δὲ ἀδελφῷ ἄφεσιν ποιήσεις τοῦ χρέους σου. Quod repoſci vult creditũ ab extraneis, iuris eſt naturalis: quod vetat à fratre repeti ſeptimo quoque anno, id iuris fuit peculiaris ac civilis Iudæorum. Idem eſt de uſuris. Uſuræ licitæ iure naturali. Ideo permiſſæ populo Dei cum cæteris omnibus gentibus. At quod ipſis Iudæis inter ſe prohibitæ, proprium fuit iuris civilis Iudæorum, & iuri na-

naturali contrarium. Iure illo naturali nunc uti debent Chriſtiani quos Iudaicum non obligat, prężſertim cum ius civile Romanorum hac in parte naturali conſonum, gentes omnes teneret cum ad Chriſti fidem fuere converſæ. Quod ſi hac in parte, quæ uſuras ac fœnus, & res creditas ſpectat, ius Iudaicum inter Chriſtianos reduci ac reſtitui oporteret, omnino etiam & alia pariter eſſent in uſum moremque noſtrum revocanda quæ peculiari lege Iudæis præſcripta à Deo per Moſem fuerunt. Quod iam alio loco me memini dixiſſe. Annus remiſſionis, iubilæus, debitoris qui ſolvendo non eſſet in ſervitutem addictio, venditio, aliaque eiuſdem generis, ex illo iure Moſaico repeti deberent, & inter Chriſtianos conſtitui. Idem iuris ergo debet eſſe Chriſtianis inter ſe in mutuo fœnebri quod Iudæis in mutuo gratuito. Ut iſti dare mutuum licite poterant egenis atque etiam mendicis ſub pignore, dum ne uſuras acciperent, ita Chriſtianus non prohibetur hæc eadem omnia facere in mutuo uſurario dando, quia uſuræ illi non vetitæ verbo divino nec iure naturali. Duo hæc maxima infregimus & validiſſima, ut putarũt, Theologorum argumenta, quibus trapeziticum

fœnus damnare inſtituerant, quod pignora acciperent à quibuſvis, & quod pauperibus fœnerarentur. Neutrum horum cum iure divino pugnare, me puto ſatis iam probaſſe. Alias etiam aliquot rationes afferunt, non ita magni momenti ut propter eas debeant inde eiici trapezitæ ubi conſtituti ſunt, aut non debeant erigi tales menſæ ubi nondum ſunt inſtitutæ. Aiunt, fures res furtivas ad eos deferre. Si fures facerent eiuſmodi menſę, faterer, hoc eſſe valde conſiderandum. Sed ſcio, omnia furum plena eſſe, etiam ubi nulli ſunt trapezitæ. Etiam in illis locis qui eos habent, ſæpius fures argentū & aurum factum furtivum gemmaſque ſurrepticias ad aurifabrorum officinas portare ſolent, ut ibi ea vendant, quam ad menſas trapezitarum. Nam & ex venditis plus accipiunt ab aurifabris, quam à menſariis, ſi pignori ea opponant. Iuſtum enim ferme pretium reddit illis aurifaber, cum menſarius tertiam partem & amplius de æſtimatione pignorum detrahat, ut ſalva ſibi eſſe ac ſecura ſors poſſit cū uſuris unius anni. Atqui hęc maioris reſpectus furta ſūt, quæ in rebus auri & argenti facti ac gemmis committuntur. Præterea æque ius eſt, repeti rem furtivam pro pignore tradi-

tam

tam menſario, quam ab aurifabro, ſi quis indicia adferat, & probare queat, ſibi eſſe ſurreptā, redditis nempe nummis quos dedit pro ea menſarius, aut pretio reſoluto aurifabris. Addunt Theologi, inde occaſionem lurcones ex pauperibus artificibus & operariis arripere ut ſua dilapident, ex facilitate nimirū reperiendorum nummorum ſub rerum ſuarū pignoribus. At mihi compertū eſt, non plures eſſe ex illa hominum opificum fæce ganeones & popinones in illis locis quæ trapezitas habent, quam in illis civitatibus ubi nulli ſunt. Si qui pecuniā non habent ex iſtis lurconibus quam conſumant, veſtes ſuas aut uxorum ipſi tabernario & cauponi oppignerant, aut etiam vili vendunt. Oppigneratas iidem caupones pro minimo pretio retinent, aut aliis addicuntur viliſſimo auctoritate Iudicis. Nunquam deeſt occaſio & facultas profundere ſua volentibus, etiam ſi trapezitarum commoditas eis non præſto ſit. Tametſi hæc menſa impelleret proclives ad tuburcinandū aut eos adiutaret, non propterea tamen ſubtrahenda eſſet bene illa utentibus. Propter abuſum paucorum non debet tolli uſus pluriū. Latro æque enſe accingitur ac viator, hic ad tutelam ſui, ille ad perniciem viatorum.

Non

Non idcirco tamen gladius adimendus viatori, quod eo abutitur latro. Reſtat ultimo examinandum, ſed omnium graviſſimum Theologorum telũ, & in quo vim maximam poſuerunt ad evertendas menſas trapezitarum, uſurarum nimirum improbitas, id eſt, immodicus modus. Theologus noſter in libro ſuo Theologicæ de Uſuris inſtitutionis, capite, niſi fallor, x, ex tribus quas adducit cauſis, quare non tolerandos putet, ſed eiiciendos ex hominum conſortio Longobardos, hanc ſecundam facit, *quod in uſuræ quantitate enormiter peccent, excedendo metas omnes humani iuris.* Addit etiam, *quod ultra duplum fœnus nauticum accipiant, quod ſortem æquat in octo annis & quattuor menſibus.* Non hoc dixiſſet ſi ſciſſet quid ſit fœnus nauticum. Nam vel ex eius modo, ſicut ab Iuſtiniano conſtitutus eſt, & ad centeſimam redactus, poteſt quis in anno quaternas & amplius centeſimas accipere, ut alibi dicturi ſumus. Pro prima cauſa adfert, quod à quibuſvis accipiunt, etiam oſtiatim panem mendicantibus, & ab omnibus pignora accipiunt. Huic rationi iam reſpondimus. Tertia eſt quod unam hanc profeſſionem & negotiationem exercent, *quod illiberale eſſe ac turpe* dicit, *etiam de iure humano, aucupium.* Etiam huic

huic argumento ſatisfactum eſt, & quam nihil ſit ac nullius ponderis, demonſtratum. Media igitur inter illas duas cauſas cur trapezitæ reiici debeant ab eo ponitur, uſurarum quas accipiunt improbitas & exceſſus. At ego miror quid eũ moverit ad aciem ſuorum argumentorũ & rationum hoc ordine inſtruendã. Non enim de hoc quærere ac queri debuit, niſi ante conceſſo, oportere eſſe trapezitas. Si conſtat inter Theologos ac de eo conſentiunt, non poſſe tolerari trapezitas, & eiiciendos omnino eos eſſe ex hominum conſortio, quid, malum, de enormitate uſurarum, quas exigunt, ſibi inquirendum putant, & hoc pro iuſta cauſa cum aliis adferunt cur non debeant ferri? Si hac in parte tantum peccarent, facile de cumulo illo demi poſſet id quod excedit, quo vitioſa redditur & improbanda ea negotiatio. Cæterum cum illicitam in foro conſcientiæ uſuram trapeziticam omnem omnino contendant, nec poſſe licitam fieri per conniventiam aut permiſſionem magiſtratus, fruſtra de modo eius enormi queruntur, quam quocunque modo iniuſtam pronuntiant. In modo aut improbo aut moderato conſiſtit verus uſus aut abuſus rei. At in re quam ſuapte natura totam abuſivam eſſe volunt,

per

per temperatum eius uſum tolli abuſum non poſſe, certum eſt. Furtum vel modicæ rei illicitum. Nullus igitur modus in furto, ut licitum ſit, imponi poteſt, ſic quidem ut liceat furari, exempli gratia, ſex aureos, non liceat duodecim. At in uſuris lege Iuſtiniani ſex in centum capere permittitur, duodecim pro centum exigere vetatur. Modus ille legitimus ſemiſſium uſurarum, hic centeſimæ illicitus, & contra legem. Trapeziticum autem omne fœnus iuxta noſtros Theologos pro illegitimo haberi debet, nec ullo modo poteſt legitimũ fieri. Ergo trapezitam non tolerarent, qui ſemiſſibus uſuris contentus eſt. Quare? Rationem afferunt nullam, niſi quia trapezitica hæc uſura eſt. An quia vetita iure divino? Nihil minus. Non enim hoc poſſunt probare. Nec enim cum Moſes Iudæis ſuis permiſit fœnerari alienigenis, de trapezitico fœnore excepit. Hodieque Iudæi ubique locorum ſollertes ſunt trapezitæ, & Chriſtianis hanc operam qui ea uti volunt, admodum navam & diligentem præſtant, dum non credunt nimirum hoc ſibi fœnus à Moſe vetitum. Nec fuit omnino. Si vetita, cæteris licitis, eſſet trapezitica uſura, aut ratione ipſius creditoris vetita videri deberet,

aut

aut ratione debitoris. Ratione creditoris haud aliter vetita intelligi poteſt, quam, quatenus trapezita eſt qui eam exercet, nihilque aliud artis promittit. Profeſſio ergo ſola in hoc fœnoris genere improba videretur. Sed hoc iam ſatis ſupra refutavimus. Ratione debitoris damnanda veniret, quod pauperibus etiam fœnerantur, non tantum ditioribus. Hoc quoque in ſuperioribus diſcuſſum eſt. Ratione pignorum non poſſe improbam cenſeri fœnerationem trapeziticam, etiam abunde docuimus. Sequitur igitur, quoniam & hoc obiiciunt, ut ſola ratione modi, qui nimius ſit, videantur reiiciendæ ac reprobandæ trapeziticæ uſuræ. Mediocritas itaque fœnoris legitimas eas licitaſque reddet, & ſanabit omne earum vitium. Ubi enim abuſus rei in nimietate conſiſtit, mederi ei poſſumus modo adhibito, & exceſſu in quo peccatur ſublato. Abuſus quippe cum ſit iniuſtus uſus, id quo modum excedit & iuſticiæ æquitatique contrarius eſt, tollitur facile, & ſic ad iuſtum moderatumque uſum reducitur. Ubi ergo uſuræ nocent exceſſu, ut proſint, ad æquiorem modum reducendæ ſunt, non tollendæ. Nec aliter de trapeziticis exiſtimandum quam de privatis. Quinimo

eas

eas permitti tanto magis neceſſe eſt quam privatas, quanto pluribus utiles ſunt. Videndum ergo, quæ ſint moderatæ ac modicæ uſuræ. Eædem, puto, quæ iuſtæ; hoc eſt, mediæ inter graviſſimas & leviſſimas, maximas & minimas. Quod enim iuſtum eſt, neque ἐν τῷ ὑπερβάλλοντι, neque ἐν τῷ ἐλλείποντι conſiſtit, ſed in medio utriuſque, non exceſſu nimirum, neq; deceſſu vitioſũ. Ita Peripatetici δικαιοσύνην ſtatuebant eſſe inter duo extrema mediã, hoc eſt τὴν πλεονεξίαν, καὶ τὴν μειονεξίαν. Iuſtus igitur, qui neque πλεονεκτικὸς eſt, neque μειονεκτικός. Hierax apud Stobæum in libro de iuſticia: Ὁ περί τι, ἤ τινι μήτε πλεονεκτῶν, μήτε μειονεκτῶν, δίκαιος. Hic eſt quẽ ἀκριβοδίκαιον vocat Ariſtoteles, & Iudęi צדיק. Ergo qui in altero extremo eſt, nempe in πλεονεξίᾳ, iniuſtus habetur. An & qui eſt in altero, erit μειονεκτικός? Ita videretur, ſi quidem medium ſecans inter utramque ἀκρότητα proprie iuſtus cenſendus. Ita de eo ſcribit idem Hierax: ἀλλ᾽ εἴ τις βούλοιτο δεομένοις ἐπαρκεῖν, καὶ ὀρφανὰς συνεκδιδόναι, καὶ αἰχμαλώτους λύσασθαι, ταῦτα μὲν ἴσως δυνατός ἐστι ποιεῖν, ἀλλ᾽ οὐ τῷ ὄντι τιμήσει τὴν μεσότητα. *Quod ſi velit aliquis egentibus ſubvenire, & orbas locare, & captivos redimere, poteſt hoc facere, ſed revera quod medium eſt inter utrum-*

utrumque non tenebit. Hunc חסיד Iudæi vocabant, id eſt, pium. Qui talia opera charitatis perfectæ perpetrare nollet, iuſtum, id eſt, Sadik, quia legi tantum obſervandæ ſtuderet, quæ iuſta præcipit, ut antea dicebam. Grçci ἐπιεικῆ illum vocabant, ut ſupra notavi, qui etiã ἐλαττωτικὸς & μειονεκτικὸς, quia de iure ſuo remittit, nec nimis rigide illud exigit ac perſequitur, & iniurias fert, nec vindicat. Nam ut addit ibidem Hierax, πλεονεκτεῖσθαι καὶ μειονεκτεῖν par eſt τὸν ταῦτα ποιεῖν ἀνεχόμενον. Eum ſcilicet qui orbas locat, captivòs redimit, & egentibus opitulatur, ſæpe neceſſe eſt πλεονεκτεῖσθαι & μειονεκτεῖν. Dum aliis concedit, & deteriorem ſuam facit conditionem, eo modo & πλεονεκτεῖται & μειονεκτεῖ. Hunc etiam πραῢν Græci vocarunt, id eſt, modeſtum, humilem, pium, & omnibus concedentem, id eſt, ἐπιεικῆ. Aeoles mutando α in ο ſuo more προῢν dixerunt, ut πόϊς illis qui Græcis παῖς, unde *puer*, deinde inſerto digammate, ut ſolent ſemper in vocalium concurſu, προβώ. Ex quo Latini Aeolum aborigines fecere *probum*. Nam *probus* proprie ἐπιεικὴς & πραῢς, qui de ſuo iure libens decedit, id eſt, μειονεκτικὸς & ἐλαττωτικός. Huic contrarius *improbus*, ὁ πλεονεκτικὸς, qui exceſſu ſem-

per peccat, & plus ſibi tribuit & aſſumit quam par eſt ac iuſtum. Inde & *improbum* iidem Latini dixere, quidquid modum excedit, πᾶν τὸ ὑπερβάλλον. Ita *labor improbus* poetæ nimius & immodicus. *Improbiora labra* Grammatico veteri, quæ nimis grandia, dependula aut craſſa. Quod vitium qui haberent, *labeones* vulgo dicti. *Improbam naturam* dixit alius auctor de enormiore ſtatura. Et *improbe anum alicui extare*, qui promineret. Certe & *improba purpura* non alia ratione poetis appellata, quam ob excellentiam, & eminentiam coloris, διὰ τὸ ὑπερβάλλον τῆς χρόας, ut Græci loquuntur. Inde ergo & *improbæ uſuræ*, & *improbum fœnus* Latinis, quod nimium eſt & iniuſtum, quia πλεονεκτικὸν, & quia tale ſolent exigere πλεονεκτικοὶ fœneratores. Huic fœnori oppoſitæ iuſtæ uſuræ, mediæ utpote inter graviſſimas & leviſſimas. At numquid quæ leviores, etiam iuſtiores? Tales certe quas μειονεκτικοὶ & ἐπιεικεῖς accipiunt. Cæterũ cum iſti neque iuſti proprie ſint, quia τὴν μεσότητα non colunt, quę μεσότης iuſticia eſt inter duas ἀκρότητας, πλεονεξίαν & μειονεξίαν, ſita, viderẽtur & leviſſimæ uſuræ pro iniuſtis accipiẽdæ. Certum tamen eſt, qui nullas accipit, meliorẽ ac probiorẽ eſſe quam qui vel modicas.

dicas. Et iſtum, quam qui iuſtas, qui *δίκαιος* & *ἀκριβοδίκαιος* dicitur. Hunc porro etiam eſſe probabiliorem quam qui iniuſtas exigit. Tantundē autem recipere quantum datum ſit, & ultra ſortem nihil exigere, mera iuſticia eſt, hoc eſt, *ἁπλῶς δίκαιόν ἐστι*. Quod Dominus vocat *τὰ ἴσα* recipere. Vera enim *ἰσότης* & *δικαιοσύνη*, & quę *ἁπλῶς* ita vocatur, in par pro pari recipiendo cernitur. Interdum tamen plus recipere quam dederis iuſtum eſt, non *ἁπλῶς*, ſed *κατά τι*, propter *τὸ διάφορον* eius qui dedit, & pro eo quod eius intereſt pecunia ſua carere. In hac iuſticia *κατά τι* prorſum verſatur iuſticia uſurarum. Videamus igitur, quales iuſtæ ſint, & quis eas tales, aut quid, facere poſſit. Iuſte plane ſunt eæ, quæ legitimæ. Nam *τὰ νόμιμα* etiam *δίκαια*. Quæ à lege conſtituta ſunt, etiam iuſta videri debent. Hoc non quidem perpetuum eſt, cum multa *νόμιμα*, ſi ad ius naturale revocentur aut ius gentium, videri poſſint omnino iniuſta: ſed in contractibus omnibus, & cōventionibus, quæ ad ſocietatem civilem continendam pertinent, quod *νόμιμον*, etiam id *δίκαιον* debet videri. Hoc & in uſuris obtinere debet. Ergo quæ legitimæ, eædem & iuſtæ. Legitimæ ſunt quas lex conſtituit, id eſt,

magiſtratus, qui lege tales eſſe iubet, interim ampliores, interim minores, prout videt id poſtulare civitatis cui præeſt ſtatũ, ex copia rei nummariæ aut penuria, aut commerciorum quæ in ea vigent ratione. Non igitur idem modus perpetuo ſervari debet vel in eadem civitate, quia res mutant & negotia. Magiſtratus eſt ergo providere, quando & quomodo res uſuraria in ſua civitate conſtituenda ſit, utrum intendenda aut remittenda. Si non facit, ipſe uſus hoc facit, & commerciorum ratio. Nam in toto Oriente, nullus unquam fuit uſuris modus ſtatutus, niſi ex voluntate contrahentium. Hodieque voluntas ea pro lege eſt totius orientis fœneratoribus. Sed nec Moſes, cum permiſit Iudæis ſuis fœnus exercere cum omnibus gentibus, de modo quicquam præſcripſit. Cum modus itaque uſuris iure divino poſitus fuerit nullus, non alium nunc obſervari convenit niſi legitimum, iſque pro iuſto habendus quem magiſtratus impoſuerit. Theologus noſter, qui ſolum adprobat modum quem Iuſtinianus cõſtitutione ſua ſanxit, debuit etiam nobis revocare tempora Iuſtinianea, ſtatumque & conditionem illorum temporum, ut ſic maiori ratione nobis probaret, uſuras illas,

illas, quas pius ille imperator voluit eſſe legitimas, nunc quoque nobis pro iuſtis habendas. Atqui vel leviores Iuſtinianeis ſine ulla lege obſervari æquum eſt, & vulgo etiam obſervantur in illis locis ubi magis abundant pecuniæ quam Conſtantinopoli, quo tempore ſemiſſibus uſuris privatos fœnerari iuſſit Iuſtinianus. Amſtelodami, ſi cautionem idoneam darem, poſſem hodie invenire multa millia aureorum uſuris trientibus. Si leviſſimæ uſuræ etiam iuſtiſſimæ & optimæ, cur non uncias potius elegit, quas ſequendas nobis proponeret ex primis Reipublicæ Romanæ temporibus, quam, ex ultimo imperio ac Iuſtinianeo, beſſes? Non putavit, unciarium fœnus eſſe tam leve, quam vulgo eruditi plerique crediderunt, & ego confirmavi. Sed exiſtimat, idem fuiſſe cum centeſima. Quod, per me liceat, æternum credat. At ego illi oſtendam, poſt Iuſtinianum non eundem modum ſervatum fuiſſe circa uſuras quem ille conſtituerat. Nam cum centeſima antiqua duodecim in centum acciperentur, ea centeſima, quę in imperio Græco obtinuit, mos fuit, duodecim in ſeptuaginta duo exigi, & ita reliquæ uſuræ proportione eo tempore exactæ ſunt. Sed nec eandem plane Iuſti-

niani centeſimam fuiſſe cum anteriorum cẽteſima Latinis, docebo in libro de Uſuris Iuſtinianeis. Qui uſuras porro Iuſtinianeas ſolas eſſe iuſtas & temperatas cenſet, cur non ex eodem Iuſtiniano Trapezitas admittit, eorumque uſuras beſſales? Magiſtratus Amſtelodamenſis, qui menſam ſuam, hoc eſt, ſui privilegii, per ſe agit, beſſalem accipit uſuram. In aliis urbibus fœderati Belgii, ubi magiſtratus publicã menſam locat certis hominibus qui pro ipſo τραπεζιτεύουσι, longe amplius exigunt, & binas ferme centeſimas. Quod tamen faciunt ex magiſtratus præſcripto, à quo menſam publicam conduxerunt. Et ratio iuſque poſtulat, ut graviores accipiant uſuras propter ſumptus quos in menſam facere tenẽtur, & onera quę ſuſtinent. Nam & omni ævo & omnibus in locis ubi trapezitę olim fuere publice cõſtituti, ſemper maiores eis fuiſſe permiſſas & uſurpatas uſuras conſtat, quam privatis. Athenis ternas centeſimas capiebant, cum ſeſquicenteſimas tantum vulgo cæteri caperent. Quod ad iſtos attinet, de quibus nunc ſermo eſt, ut menſam enthecatam nummis nunquam deficientibus habeant, pecuniam fœnore ab aliis coguntur ſumere. Eam pecuniam licet levio-

levioribus uſuris accipiant quam ipſi dant, plerumque tamen in damnum eis cedit, dum ea quam habent interim otioſa eſt, quam debent ſub uſura currit. Scio etiã eſſe ex illis multos quos Canones ab omni uſura abſtinere iubent, qui ſuam pecuniam ad menſam centeſimis locare non dubitent. Sæpe enim trapezita cogitur vel graviore fœnore conductos nummos accipere, cum menſæ fundus exhauſtus eſt. Præterea cum omnibus dent indifferenter & promiſcue, ſæpe inde accidit, ut multi ex pauperioribus pignora eis vilia relinquant pro debito, ex quibus nec ſortem pecuniæ ſuæ poſſint recipere ſi vendantur. Falluntur ipſi non raro, aut eorum famuli, in pignoribus accipiendis, ac falſas gemmas pro veris crebro recipiunt. Pretium pignoribus interdum maius æquo per errorem ponunt. Frequẽter etiam cõpilantur à famulis, quos multos ad miniſterium menſæ coguntur alere. Quin & iſtorum ſtipendia miniſtrorum quorum opera utuntur ad exercendam menſam, non parum faciunt ad impenſas augendas quas menſa requirit. Si caſus aliquis ædes tot pignora recipientes incenderit, ex magnis opibus repente nihil poſſident, ac cedere inde foro co-

guntur. Aedes etiam tot rerum, quæ oppignerantur, continendarum capaces, & amplæ, magno ipſis ſunt conducendæ. Quas cum refertas eſſe multa veſte ac ſupellectile ſciant fures, provocantur tanto proclivius ad eas compilandas parietum perfoſſores. Hæc communia hodiernis trapezitis cum antiquis. Accedunt & hæc propria neotericorum onera quæ veteres trapezitæ non agnoſcebant. Pro menſa eis elocata à magiſtratu pendunt annuatim certam ſummam, quæ pro conductæ menſæ auctoramento eſt. Civitatis huius Trapezita ſolvit annua magiſtratui duo florenorum millia, quæ ſunt totidem noſtræ libræ Franciceę. Leovardienſis ſimiliter trapezita eandem penſionem illius urbis magiſtratui præſtat. Delphenſis parem vectigalis ſummam. Hagenſis pendit tantum ſexcentos florenos annuos. Dordracenus, octingentos. Et ita in cæteris civitatibus, perinde ut ſunt populoſæ, & pro numero pauperum qui in illis habitant, carius aut vilius menſa locatur à magiſtratu. In pauperum uſum convertitur ut plurimum hoc τέλος ἐτήσιον quod magiſtratus ex menſæ publicæ locatione percipit. Ad plures annos menſa locatur, alibi ad ſexdecim annos, alibi ad quindecim

decim, alibi ad viginti. Quibus exactis, magiſtratus conducendam menſam publice affixis edictis proponit, & invitat denuo mancipes, & ampliorem pro exercenda mercedem offerenti collocat. Præter hoc annuum vectigal, cuius pretio menſam à magiſtratu ad certos annos redimit trapezita, in contractus introitu aliam ſummam conferunt magiſtratui, quę vocatur Belgice *H.rkenteniſſe*, id eſt, recognitio, vel remuneratio. Nos Gallice vocaremus *Entrage*, intragium. Theologus quidam vir ſummus hoc argumento apud me utebatur, quo probaret, non probari à magiſtratu trapezitas, quia hoc promutuum & illud vectigal annuũ quaſi multam iis imponeret. Quod mihi tunc viſum eſt maxime ridiculum, & etiam nunc videtur. Quis unquam vidit multam irrogari pro delicto quod nondum eſſet commiſſum, ad hoc, ut committendi eius licentia alicui ſcelerato daretur? Sed hæc omitto. Qui monopolia olim exercebant, ſoliti erant magiſtratui qui eis id permittebat certum pretium conferre pro prærogativa eius exercendi, quia ſibi ſolis nimirum dabatur. Hæc menſa quaſi monopolium eſt, non privati tamen alicuius à publico redimendum, ſed prorſus

ſus publicum civitatium. Quod cum uni alicui à magiſtratu publico nomine exercendum ſub penſione annui vectigalis permittatur, etiam certa ſumma à conductore exigitur in introitu contractus, tanquam donativum aliquod ad remunerandam benevolentiam magiſtratus qui illum ad publicam menſam exercendã ſolũ admiſerit. In quibuſdã civitatibus hoc munus, quod in anteceſſum datur magiſtratui ob contractum, & initio contractus, non pœnitendam ſummam efficit. Hagenſis trapezita dat unum & triginta millia florenorum. Leovardienſis, novem millia & quadringentos. Dordracenus novem millia. Delphenſis ſex. Verenſis quinque millia & quadringentos. Leydenſis duo tantum millia. Hæc ſumma etiam pauperibus erogatur, & mendicis invalidis. Auctio publice habetur ad pignora menſæ diſtrahenda quater in anno. Ei præeſt non trapezita ipſe, ſed ille qui publicum hoc munus habet in urbe & officium, ut auctiones curet, iiſque præſit. Haſtæ quaſi magiſter eſt, & vocatur Belgice, *Boelhuyſ-meeſter.* Pignora menſæ diſtrahenda curat, ut & alia bona quæcumque in civitate publice haſtæ ſubiiciuntur. Ex redacta ſumma pignorum divenditorum

ſolvit

ſolvit Trapezitæ ſortem & uſuras. Si quid ὑπερέχει, proprietario, ſi quando adeſt, redditur. Si nullus eſt qui ſuum ex hyperocha pignoris venditi vindicet, auctionis præfectus id tradit alii publico munere, fungenti, qui ab eleemoſynis dicitur, & eleemoſynariæ rei præfectus eſt. Belgæ vocant *Huysſitten-meeſter*. In aliis quibuſdam civitatibus hæc ſumma quæ redit ex hyperocha pignorum diſtractorum traditur in manus perſonæ æque publicæ, cui nomen eſt *Rentmeeſter*. Neſcio an à colligendis urbis reditibus. Utut ſit, omnis ea ſumma in pauperes inpenditur. Hoc etiam damnũ inde ſentit Trapezita, quia ſi pignus divendatur centũ florenis, auctionum magiſter ſolet quinque florenos ex centum ſubtrahere pro emolumento civitatis. Hoc eſt, ex ſingulis libris Francicis ſolidum unum, ex ſingulis florenis ſtufferum. At apud veteres Romanos ipſi Argentarii, ſive Trapezitæ, hoc munus publicum habebant quod hic habet auctionum præpoſitus, ut omnibus nimirum auctionibus præeſſent, non tantum pignorum ad menſam ſuam depoſitorum. Eæque adeo ante tabernas ipſorum celebrari ſolitæ. Hæc omnia onera & ſumptus, quos Trapezitæ ſufferre coguntur

guntur in adminiſtratione menſæ publicæ quam conduxerunt, ut nemo non videt, faciunt ut non tam leves uſuras accipere queant quam privati qui nihil horum ſumptuum atque onerum ſuſtinere & agnoſcere coguntur in locandis ſuis fœnori nummis. Idcirco & Amſtelodamenſis trapezitica menſa, quæ ab ipſo magiſtratu aut ab homine ab ipſis delegato exercetur, minores uſuras exigit. Etenim ſi pignus ſit infra pretium centum florenorum, in annum dantur ſedecim in centena, quæ eſt centeſima uſura cum quadrantali. A centum uſque ad quingentos, novem de centum accipiuntur annui nummi, quæ ſunt dodrantes uſuræ. Quidquid autē ultra quingentos florenos pro eo pignore datur à præfecto menſæ mutuum, de centenis octo tantum nummos uſuræ nomine pendit. Quæ ſunt uſuræ beſſes. Et tales Iuſtinianus, qui ad minimū modum uſuras coegit, trapezitis ſui temporis permiſit accipere, cum privatis tantum ſemiſſes indulſerit, id eſt, ſex in centum exigere conceſſerit. At impenſis omnibus deductis quas illi trapezitæ inſumere in aliis urbibus coguntur quibus ſuam menſam magiſtratus elocat, ea quam accipiunt uſura, non excedit beſſalem.

Et

Et magiſtratus huius urbis mihi affirmavit, examinatis aliquando rationibus trapezitæ, & ſubductis omnibus ſumptibus quos in menſam facere neceſſe habet, comperiſſe ſe, nihil plus ad eum redire ex uſura quam capit, præter octo in centum, quæ eſt, ut dixi, beſſalis uſura. Cum enim quererentur apud ſe concionatores de immanitate uſurarum trapeziticarum, vocaſſe ad ſe trapezitam, & iuſſiſſe omnia computare quæ impenderet in menſam, & quæ pro menſa expenderet, eo fini, ut viderent, an poſſet minores uſuras accipere. Et negaſſe illũ, poſſe leviores à ſe exigi ſine gravi ſuo damno, nec quemquam reperiundum eſſe trapezitam, qui cum huiuſmodi impenſis & oneribus quæ ſubire coguntur, menſam è publico conducere minoris uſuræ accipiendæ pacto queat. Hoc cum ad concionatores retuliſſet magiſtratus, pacatiores eos deinceps contra trapeziticum tale fœnus habuerunt. Scio, & alium trapezitam, idem contendentem & admitti ad ſacram cœnam omni prece obnixe petentem, remiſſum à Synodo fuiſſe ad profeſſores theologiæ Leydenſes: quibus cum rationes ſuas explicaſſet & manifeſtis rebus oſtendiſſet, deductis impenſis ſe non ultra beſſalẽ uſurã accipere, nihil

nihil eos habuiſſe quod contra opponerent, non tamen admittendum cenſuiſſe. Quæſtio hæc facti; & bene ſubducto calculo ſciri poteſt, an ita ſe res habeat ut illi affirmant. Nihil aliud hic poſſim dicere, quam, ſi ita ſit, fruſtra de uſurarum immodeſtia trapeziticarum querelam theologos inſtituiſſe. Nam & in noſtro iure, quod & regula ſenſus communis dictat, non putatur fructuum percipiendorum ratio conſtare, niſi qui deducta impenſa ſuperarint. Si colligo quantum ager mihi reddat, prius ſupputo quid in culturam agri & fructuum perceptionem mihi ſit impendendum. Præterea conſiderandum eſt, hoc trapeziticum fœnus, de cuius nimio modo quiritantur, hebdomadarium eſſe, cuius alia longe eſt ratio quam menſtrui aut annui. Iniquum quippe foret, uſuras hebdomadatim ſolvendas æquales conſtitui menſtruatim aut annuatim dependendis. Ut diarium apud veteres fœnus maximum omnium fuit, quia in diem tantum pecunia petebatur: cuius uſura ſi æque levis fuiſſet ac menſtrui fœnoris, nemo eſſet qui pecuniam ſuam occupare ad unum duntaxat diem voluiſſet. Ecce enim dum argentum alicui meum ad unum diem do mutuum, occaſio forſitan elabetur

elabetur alteri dandi ad menſem vel annum æque bona cõditione. Quam ſi occaſionem hodie amittam, fieri poterit ut in toto anno talis non mihi occurrat. Ita magna ſpe excidam bene locandæ pecuniæ, quæ mihi iners propterea in totum annum iacebit propter unius dieculæ lucrum. Exemplo id planum fiat. Hodie à te mutuatus ſum trecentos florenos, ut craſtino die eos tibi reddam eadem hora, cum unius floreni augmento. Leviſſimum hoc fœnus ad diem, ad annum graviſſimum. Nam ſi ad annuum tempus referretur hæc uſura, in centum florenos ſortis, dat centum & viginti & unum cum tredecim ſtufferis & triente florenos. Ad diarium fœnus relata iſtiuſmodi uſura, ut dixi, leviſſima eſt. Nam antiqui Hemerodaniſtæ longe ampliores accipiebant, ut notavimus in libro de Modo uſurarum. Poteſt autem fieri, ut unus ille florenus, quem uſuræ nomine pro trecentis in diem unum fœnore ſumptis dedi, mihi lucrum apportet plus quam centum florenorum. Ecce enim, cum ſe occaſio offerret, bene emendi vel fundi alicuius, vel mercis, ex quibus magnus ad me rediturus foret quæſtus, nec argentum ad manum eſſet, additus ad ſortem trecentorum floreno-

rum

rum unus florenus hoc mihi peperit compendium. Ita ergo & in hebdomadario fœnore, ſi ad annum computatio eius revocetur, videbitur improbiſſimum: ſi in hebdomadem computetur, ut inſtitutum eſt, non nimium oneroſum videri debet accipienti, ac ſortem non diu retinenti, ſed & plerumque maximarum debitori opportunitatum & compendiorum cauſa eſt. Nam & in minutis ſummis, quales ut plurimum à pauperibus expeti ſolent, locum habet, & non diu ſervandis. Quantulum eſt, ut in hac urbe ſit, in ſingulas ſeptimanas pro floreno uno & dimidio dare unum obolum, id eſt, octavam partem vigeſimæ partis unius floreni, hoc eſt, centeſimam & ſexageſimam eiuſdem floreni partem? Pauperculus plerumque accepto unius floreni mutuo ad unam aut alteram hebdomadem, rem ſuam poteſt ſtabilire, mercede unius aut alterius deutæ, hoc eſt, octavæ partis aſſis unius, ei ſoluta. Si ad annum integrum retineret illud debitum, magna certe inde uſuræ arroſio evaderet. Nam florenus unus pareret quadraginta octo deutas, hoc eſt, ſex ſtufferos ſive aſſes, tertiam circiter floreni partem. Quod fœnus eſt maius Græcorum ἐπιτρίτῳ, & maximum

maximus apud eos τόκ☉ exiſtimatus eſt. Apud Amſtelodamenſes dimidio minor eſt uſura hebdomadaria, & oboli tantum dimidium in florenum hebdomadatim accipiunt, quæ uſura reſpondet ferme Atticorum τόκῳ ἐφέκτῳ, quæ leviſſima apud illos habita eſt uſura, & maxime communis. Ideo Amſtelodami moderatius ex dimidia parte fœnus hoc trapeziticum, quia per ſe exercet menſam magiſtratus. Inde & ſummas illas quas in aliis urbibus conferre tenentur magiſtratui trapeziticæ menſæ conductores, annui vectigalis, & donativi, non agnoſcit eorum menſa, cuius etiā ea re longe minores impēſę. Sed nec illis ędes cōducendæ ſunt menſę exercitio cōvenientes, quas ipſi è publico, hoc eſt, ſuo, ſumunt. Non denique alii ſumptus iis ſufferendi, quos ſuſtinent trapezitæ alii, quibus menſam locat magiſtratus. Non igitur mirum, ſi hebdomadarium fœnus maius eſt menſtruo, & menſtruum annuo, cum & diarium olim apud quos exercebatur, longe exſuperantius eſſet hebdomadario hodierno. Et ratio, ut iam dixi, in promptu eſt. Occupata in diem unum vel hebdomadem mea apud te pecunia, ſic impediar eam forte per annū integrum bene collocare, cum ſi eam poſt

diem aut hebdomadem mihi reſtitueris, poſt id tempus non ſe datura ſit occaſio eã alibi occupandi. In noſtris quoque annuis reditibus, quæ uſuræ ſunt alio nomine, difficilius pecuniam inveniunt mutuam qui ad exiguum tantum tempus eam quærunt, quã qui diu eam ſunt ſervaturi, dummodo cautionẽ idoneam poſſint præſtare. Quin etiam olim ſemper paciſci maiores mos fuit uſuras cum ad breve tempus peteretur, menſtruũ ut puta, vel trimeſtre, quam cum ad annum integrum deſideraretur. Quod etiam nunc multis in locis obtinet. Ne ex his regionibus diſcedamus, in libro Statutorum Friſiæ, tit. IX, de annuis reditibus, ſancitur, *ut omnes negotiatores in illa provincia, qui pecunias dant fœnori, non ampliore fruantur interuſurio quam pro rata ſeptuncium uſurarum, niſi in menſem, duos treſve, eædem credantur. Quo caſu centeſimas pro rata anni parte computandas ſtipulari licet, in ſpatium trimeſtre, nec amplius. Et ſi pecuniæ diutius partium conſenſu apud debitorem maneant, ut in reliquum tempus non maiores quam pro rata ſeptuncium annuarum.* Eapropter in pleriſque menſis quæ in his regionibus agitantur, pro minoribus ſummis, quia facilius ac citius redduntur, maiores uſuræ taxatæ ſunt. Apud

pud Amſtelodamenſem menſam, ſi mutuũ de menſa datum excedat quingentos florenos, non plus captant quam de centenis octonos, quæ ſunt beſſes uſuræ. At ſi mutuum trapeziticum intra centum florenos ſtet, in centenos ut ſedeni capiantur ius eſt. Et ſic tamen pauperes magis gravari certum eſt. Nam præcipue iſti ſunt, qui minores ſummas & intra centum florenos conſiſtentes, de menſa petere conſueverunt. Quo quiſque quippe egentior eſt, eo etiam minoribus eget, & quam minimo poteſt ab egeſtate ſe vindicare. Eodem plane modo & menſa Ultraiectina pro pignoribus ab uno floreno uſque ad trecentos ęſtimatis capit dimidium aſſis ſive ſtufferi in ſeptimanam de libra una Flandrica, hoc eſt, ſex libris Gallicis. In pignoribus autem quorum pretium eſt intra trecentos & mille, tres tantum obolos exigit, hoc eſt, uno obolo minus quam dimidium aſſis. In iis vero quæ mille florenorum æſtimationem excedunt, in centenos ſolummodo accipit duodecim cum dimidio. Quæ uſura paulo maior eſt centeſima. Sic hebdomadarium fœnus ob minores ſummas præcipue inſtitutum, & pauperibus maxime congruũ, quamvis ſit graviſſimum ſi cum annuo comparetur, multis

tamen nominibus deprehenditur egentibus ſatis leve. Primum quod cito ſors in eo reddi poteſt. Et quo citius redditur, eo melius. Cum enim tempore increſcant uſuræ, qui curſum earum impedit, & interrumpit, ſorte ſtatim reddita, multo levius damnum ex tam brevi interuſurio ſentit. Ut qui naſcenti morbo protinus occurrunt, nec per longas moras invaleſcere ſinunt, levius ægrotant. Et quemadmodum melius eſt, gravi & ancipiti morbo ſtatim defungi, quam cum lento diu conflictari, ita moderantius urunt uſuræ graviſſimæ ſtatim interpellatæ ſorte perſoluta, quam leviores diu tractæ & curſu longi temporis plures accumulatæ. Deinde in hebdomadario fœnore hæc etiam commoditas eſt, quia ſi poſt dies aliquot facultas debitori ſuppetat luendi pignoris ac ſolvendæ pecuniæ, non maiores uſuras pendit quam pro una ſeptimana. At in menſtruo qui ad menſem petit pecuniam, ſi ſequenti die eius reddendæ debitori copia adſit, totius menſis uſuram tenetur præſtare. Et idem in annuis uſuris. Maxima itaque utilitas in menſtruis annuiſque uſuris creditoris vertitur, quoniam etiamſi leviores ſtipulatus ſit in menſem vel annum uſuras, quam in hebdoma-

bdomadem, plus tamẽ ex iſtis lucri percipit, pecunia in longius tempus occupata. Quæ ſi citius tempore præſtituto reddatur, nihilominus pactas in illud tempus uſuras recipere debeat. Quod aiunt, uſuram non uſturam tantum, ſed necem eſſe pauperum, id verum quidem eſt, & idem quod ignis facit. Si diutius ignitus carbo parti corporis inhæſerit, tanto magis urit, & dolorem graviorem malumque maius importat. Si ſtrictim tantum attingat, ac protinus auferatur, minorem ſui ſenſum relinquit, aut pæne nullum. Minor certe & minus ignitus carbo diu inſidens plus doloris infert, quã maior ac magis ardens, qui tactu tantum læſerit, non diutula impreſſione. Sic ergo hebdomadaria quamvis gravior menſtrua & annua, eo tamen nomine levior quod in brevius tempus eſt. Trucidare autem uſuras pauperem, ita verum eſt, ut etiam non ſit inficiandũ, ſola ſorte gratuito data plerumq; illum enecari, pluſque inertiam ſuam cuique nocere, ex eo intelligitur, & ſolvendi moram, quam ipſius fœnoris improbitatem. Si fœnus necaret fœnori accipientes, de trapezitico etiam loquor, omnes abſolute eo necarentur. Ignis omnes urit, non hunc vel illum, alios

non. At videre eſt quotidie etiam pauperrimos, per totum annum pecunia è menſa fœnori ſumpta, non tantum ſine pernicie ſua, ſed etiam cum maximo commodo utentes, è contrario plurimos divites vel modicis illis ac legitimis uſuris quę hodie redituum conſtitutorum nomine vocantur, ad ſummam redigi paupertatem. Sua igitur quemque negligentia & inertia perdit, aut prodigalitas, non fœnus ipſum per ſe. Quid quod & multa, hoc tempore & in his locis in more poſita, licita & honeſta habentur, quæ tamen proniore lapſu ad inopiæ præcipitiū protrudunt pauperes quam fœnus trapeziticum? His auribus audivi conquerentem quemdam pauperem artificem, ſe inter unius anni ſpatium uxore ducta, nata ſibi filiola, eademque denata, pæne ad incitas egeſtatis fuiſſe detruſum. Quod multis ſeptimanis laborando quis ac parcendo quæſivit, una dies aufert, ſi filius baptizandus, aut efferendus, aut uxor ducenda. Vocantur amici plures, cognati, vicini, ad nuptias, ad funus, ad baptiſmum. Editur, bibitur ab invitatis id quod ad plures ſeptimanas ſufficeret pauperi ad vivendum. Sic funus unum uno die certius necat pauperem, quam fœnus totius anni vel trapeziticum.

De

De his tamem moribus, adeo pauperum pauperiem intendentibus & incendentibus, ne γρῦ quidem Theologi, qui adverſus trapeziticum fœnus, iudicio pauperum, quorum maxime intereſt, pauperibus maxime utile, plenis buccis quotidie detonant. Ubi leges ſumptuariæ contra nepotinos conviviorũ ſumptus? Ubi aleatoriæ contra aleones? Quæ omnia breviore via perducunt ad egentiam divites iuvenes, quam ullum fœnus, etiam improbiſſimũ. Immo in cauſa ſunt illæ res, ut locus ſit improbo fœnori, quo ſe non apud trapezitas plerumque conficere ſolent, ſed apud privatos & clancularios fœneratores, qui necem illis longe magis velocem & præſentaneam inferunt quam publici. Alea legibus Romanis vetita erat, uſura trapezitica licita. Hæc ob utilitatem quam omnibus præſtat permiſſa, illa ob perniciem inconceſſa. Nunc vices verſæ ſunt, & omnia contraria. Pernicioſa permittuntur, utilia ac neceſſaria vetantur. Eluſeram, immo eliſeram, in Præfatione de Uſuris dictũ illud Catonis, quo dixerat, fœnerari idem eſſe quod hominem occidere. Inter alia argumenta, quibus elevari illud dictum poſſe putavimus, hoc etiam attulimus, quod pro præſentaneo exitio, cuius

metus pauperi imminet, ope daniſtica longinquum donatur. Non placuit hoc ſummo Theologo, & amico, etiãſi nolit, noſtro. Et, *non poſſe id ſe ferre*, ait, *ſi ſerio à me prolatum ſit.* Quid igitur? An putavit, ioco à me dictum? Iterum dico, ſerio ea tunc ratione uſum me eſſe. Si multos occidit fœnus, qui, negligentia ſua, & ignavia, ſerpere & increſcere illud paſſi ſunt, & quaſi gangrænam ad vitalia uſque tandem penetrare, at quam multos fatendum eſt fœnore fuiſſe ſervatos, qui bonum quod in eo eſt ex ope præſenti, uſurparunt, quod malum habet ex diutinæ incubationis mora, evitarunt? Pone etiam, plurimos non ſuo vitio, ſed fortunæ adverſæ, per fœnus enectos fuiſſe. Nimirum ad fœnoris auxilium confugerunt eo tempore, quo pereundum ipſis ſtatim fuit niſi tale ſubſidium occurriſſet. Paulo poſt, in idem exitium præcipitati ſunt, fœnore etiam, ſic enim dixeris, impellente, quo citius in barathrum caderent. Dato illis miſeris mutuo gratuito, forſitan nec eos ſervaſſes. Ad tempus quidem reſpiraſſent, adfuſo hoc refrigerio, ſed poſt paulo denuo recidiſſent. Multos ad inopiam redigi ex mutuo, etiam gratuito, teſtis eſt ſacra ſcriptura, quæ meminit hominis at-

tenu-

tenuati & facultatibus everſi, ſeſe dantis in ſervitutẽ creditori ſuo, quæ & præſcribit quomodo apud eum ſervire debeat. De Iudæo enim loquitur, cui à fratre Iudæo per mutuum gratuitum vult ſubveniri. Quis neſcit porro, plurimos ægros iiſdem remediis refocillari & ad ſanitatem vitamque revocari, quæ alios ne moriantur prohibere non poſſunt? Qui ad mortem ægrotant, nulla ope medica ſanari queunt. Ita plerique ea miſeria laborant quæ nullo levamine poteſt ab inopia fatali liberari. Sed pone, aliquem qui hodie ſine pecunia fœnebri erat periturus, poſt annum in idem pręcipitium relabi ubi ſors cum uſuris ſolvenda eſt. Si ſolum, inquam, mutuum ipſi eſſet reddendum, fortaſſe nec illud poſſet extricare. Tunc non fœnoris vitio rueret, ſed ſuo, id eſt, ſuę egeſtatis. Si non poſſet tum mutuum redhibere, multo minus poſſet uſuras. Nullæ enim unquam uſuræ tam magnæ permiſſæ ſunt, ut intra annum ſortem æquaverint, niſi in nautico fœnore. Cæterum ſi poteſt vel uſuras poſt annum ſolvere, nondum eſt necatus, ſorte apud eum remanente, qua utitur beneficio ſui creditoris. Si non poteſt, multo minus, etiam ſi ſors ab eo repeteretur ſine uſuris, ei ſol-

vendæ foret. Quinam igitur ſunt illi quos proprie fœnus necare Catoni dictum eſt? Tricones nimirum nummarii, ac malæ fidei homines, aut inertes, vel prodigi, qui ab omnibus accipiunt ac nemini ſuum reddunt, & ſic uſuras uſuris adgregari dum ſinunt, magnum earum cumulum fieri non ſentiunt donec eo obruantur. In diem tamen eſt exitium, quod illis ab uſuris ac fœnore imminet, è longinquo minantibus necem; præſens vero malum urgenſque, quod miſeros ad opem daniſtæ implorandam cogit. Ecquis vero non malit tempus illud lucri facere quod in medio eſt, & ad annũ potius quam hodie perire? An non contrariæ optioni opinionique repugnat humana natura? Reponere ſe dicit doctiſſimus Theologus, ut contrarium evincat, ex humanæ naturæ iudicio, nota ac protrita illa. *Non eſt vivere, ſed valere, vita.* Item:

Mitius ille perit ſubita qui mergitur unda,
Quam ſua qui liquidis brachia laſſat aquis.

Quæ quis, inquit, *non videt quadrare optime in illorum ſtatum qui non alias quam fœneratorias habent ſui naufragii tabulas?* Quam bene hæc quadrent neſcio, & alii viderint, ſed ſcio, meum illud manere fixum & immotum, ve-

verumque, naturalius eſſe homini votum, mala & pericula quæ timet differri quam repræſentari. Huic veritati, principiis humanæ naturæ ſe tuenti, nihil opponi poteſt, quo deſtruatur. Multo minus eam evertunt verſiculi à Theologo ad fidem contrariæ ſententiæ faciendam adducti. Quid ad rem pertinet illud Martialis, quo, *non vivere ſed valere vitam eſſe*, dicit? An ut credamus, malum longinquius videri gravius quam quod inſtat, & futurum quam præſens? Nihil tale ex illo verſu probari poſſe video. An valere cenſendi ſunt illi inopes & egeni qui nummulum non habent unde vivant? quibus in præſentiarum nihil eſt quod edant, niſi aut ſtipem rogent, aut mutuum petant? At illud nolunt, quia nunquam mendicarunt, iſtud non poſſunt, niſi fœnus promittant. An ergo felicior eorum vita exiſtimanda eſt quos ultima premit neceſſitas, quam illorum qui ſe fœneratori obnoxios faciunt ut ea liberentur? Atqui vivunt iſti valentque interim, dum illi qui ad hoc ſuffugium nolunt recurrere, vitam trahunt morte miſeriorem. Necabit eos tandem fœnerator. At niſi ad illum eant, iam perempti ſunt. Nihiline facienda videtur hæc medii temporis mora quã interim lu-

lucratur? *Interea aliquid fiet*, inquiebat ille in tali neceſſitatis caſu. Vel hæreditas ipſi aliqua obveniet, vel legatum amicus relinquet, vel congiarium princeps dabit, vel theſaurum inveniet, vel liberi, quos multos habet alendos, & hæc cauſa eius eſt egeſtatis, morientur. Quam multa in medio accidere poſſunt quæ eum ab inopia vindicent, ſi queat expectare? Spes omnis cum re ipſi perit, ſi è veſtigio pereundum eſt. Da illi tempus, quo reſpiret, plane poſtea emerget. Hoc facit plerumque à daniſta data ſub uſuris pecunia. At mitius pereunt quos ſubitus vorat æquore vortex, quam qui fruſtra brachia fatigant natando. Quis tamen nave fracta, & in mare deiectus non natat, etiã ſi ſpem non videat enatandi? Movet brachia quã-diu & quantũ poteſt, & dum vires ſufficiunt, quamvis nihil ſe profecturum ſciat. Hoc natura omnibus inſevit, ut omnia vitæ cauſa, tanta eius eſt dulcedo, faciant, etiam qui eam retinere ſe non poſſe ſentiunt. Nihil tam naturæ conſentaneum eſt quam quod ille cantillabat Mœcenas, qui vitam, vel in cruce ſubſidem, vel ſubſtitem ſibi conſervari volebat, dum viveret ſecurus, non ſollicitus quam bene.

Debi-

Debilem facito manu,
Debilem pede, coxa.
Tuber adſtrue gibberum,
Lubricos quate dentes.
Vita dum maneat, bene eſt.
Hanc mihi vel acuta
Subſidem cruce ſuſtine.

Senec. epiſt. 101.

Ita legenda hæc verba in ultimo verſu apud Senecam depravatiſſima. Quos certa mors manet ex morbo aliquo deplorato, phthiſi aut tabe, medico nihil promittẽte, decumbentes, non ſuorum tantum cura in vita quã diutiſſime ſuſtinere contendit, ſed ipſi etiam lentis paſſibus ad illud extremũ ire malunt, quam citatis. Quam rari ſunt, qui tædio vitæ & quaſi nauſea quamvis afflictiſſimæ, mortem tanquam portum cito occupare cupiant? At mitius fatum ſentirent, ſi ocius veniret. Hoc perſuadeat Theologus ſic ægrotantibus, & vincat. Sæpe multis profuit non deſperaſſe etiam ἐν ἀνελπίστοις. Ideo ſpes omnium ultima miſeros deſerit. Et ille quem cum poëta ſuo Theologus fruſtra brachia laſſare naufragum nollet, forſitan nec fruſtra ea iactabit, ac præter ſpem omniũ ac ſuam poſt tres aut quattuor brachiorum niſus in tabulam aut lignum navis fractæ incidet quo ad littus enatabit. Et iſte quem

quem medicus condemnavit, ex ancipiti valetudine, naturæ aut fati ope potius quam medentis opera, ſervabitur. Hoc vidit etiam noſter Theologus, ſed caſum fingit talem, quo beneficium fœneratoris inopem ex ultima egeſtate eripientis, non ſolum elevare conatur, ſed etiam in maleficium convertere. *Finge*, inquit, *caſum, in quo aut fame moriendum ſit hodie, aut victitandum neceſſario toxicato pane, quem coxerit veneficus piſtor, reliqua omni abſumpta annona in obſeſſa urbe. Toxicatum panem quis non eligat pro morte præſenti, ſpe protollendi illam in dies, aut forte ſi copia aliqua adſit, in ſeptimanas plures, quia etiam poſſit accidere, Deo averruncante vim toxici, quod etiam Mithridati evenit. Finge etiam, idem evenire revera, ut iſtius panis beneficio Deus vitam proroget ac ſervet, ut, qui moriturus fuerat, obſidioni ſupervivat. Quid? interim non licebit vocare homicidam piſtorem illum qui pani miſcuiſſet toxicum? cogemurne toxico illi commodare nomen pharmaci?*

Eſſet hic vox populi, quid ni vox Dei?

--- Careat ſucceſſibus opto

Quiſquis ab eventu facta probanda putat.

Non poterat meliori comparatione ac ſimilitudine uti præſtantiſſimus Theologus, ut everteret quod niſus eſt adſtruere

&

& noſtra confirmaret. Omnia in ea comparatione claudicant, ſed per eam tamen recto ſtant talo quæ diximus. Hæc parabola nobis ſolum id eſſe conſiderandum proponit, quod inopi melius eſt, & quod ille mallet. Præferret obſeſſus in extrema fame panem toxicatum nulli, & mortem protollendam præſenti. Ergo præſtat in urbe obſeſſa panem eſſe veneno infectum quam nullum, ſiquidem eo ad tempus vivere præoptarent obſeſſi quam ſtatim penuria panis emori. Sic ad inopiam extremam redactus, & iam iam periturus, vitam prorogare mallet, ope fœneratoris, quam protinus eam perdere. Melius eſt igitur eſſe tales fœneratores qui egentiſſimis in extremo caſu opem hanc qualemcunque ferant, quam non eſſe. Quid ille piſtor venenarius faciat aut hic fœnerator improbus, ſpectandum non eſt, ſed quid pauperibus conducat aut obſeſſis. Satis eſt, ſi ratio habeatur eius quod neceſſarium eſt egentibus, ut conſtet, illud melius adeſſe quam abeſſe. Nunc videndum, quid interſit inter piſtorem illum veneficum qualem finxit Theologus, & hunc fœneratorem qualis à magiſtratu conſtitutus eſt. Primum quod ad homicidium attinet, quod utrique affingit
vir

vir Theologiæ ſcientiſſimus, nemo homicida eſt niſi qui hominis occidendi animum habuit. Medicus qui propinavit ægro pharmacum ad eum ſanandum, ſi eo interiit, non poteſt pro homicida plecti, ſi animo ſervandi, non perdendi hominis hoc fecit. Nec minus eſt hoſtis aliquis, cum, voto occidendi inimici, eum ſanavit, ac ille, qui in prælio vomicam hoſtis gladio impreſſo aperuit, à medicis pro incurabili relictam, cum eum interficere cogitaret. Deniq; piſtor ille quẽ imaginatur Theologus, aut ſciens neſcientibus panem toxicatum vendidit, aut ignarus. Si ſciens, & obſeſſos perdere deſtinans, in gratiam obſidentium, talem panem coxit, & obſeſſis vendidit, pro perduelle puniendus eſt, quamvis prorogata ad tempus vita qui eo uſi ſunt, tandem etiam poſtea tali ope vixerint & obſidioni ſuperſtites fuerint, alias fame perituri. Hoc exemplum piſtoris Theologici nullo modo convenit cum fœneratore, & opem ab eo implorantibus miſeris & extrema inopia confectis. Sed afferam iam alium piſtorem, qui optime cum tali fœneratore quadret. Quid ſi piſtor aliquis in urbe obſeſſa pani ſuo ſemen indiderit, quo putaret ſaporem ei conciliari, vel vim maiorem nutriendi,

&

& poſtea cognoverit mortiferum eſſe, ſi nullum alium habeat, & inexpugnabili adigente neceſſitate ipſe cum ſuis eo victitare cogatur? Nonne certum eſt, in ultima fame obſeſſarum urbium quoſdam & humanas carnes ediſſe? nec hoc tantum, ſed etiam matres ſæpe liberos necaſſe ut iis veſcerentur? Quid ergo, ſi eadem fame preſſi ab illo piſtore panem toxicatum accipere velint, cum ſcirent & eſſe talem? Nemo quippe ignorat, etiam venenata animalia, lacertas, & ſerpentes, ſine ulla ſtomachi recuſatione aut averſione epulatos aliquando ac libenter quidem fuiſſe, quos talis eſuries urgebat. An piſtorem igitur, qui panem huiuſmodi venenatum, quo & ipſe veſcitur, civibus ſuis vendiderit, mortem præſentem longinquiore tali cibo redimentibus, homicidam vocare licebit? Nihil minus. Et huic piſtori comparandus noſter fœnerator venit. Non ille neſcientibus quid agatur, aut quid detur, letiferum aliquid dat, quo homo occidatur, ſed indigẽtibus & opem ſuam poſcentibus quod illi expetunt porrigit. Nolentes ad hoc non cogit, non fallit ignorantes quid agant, aut quid petant, aut quid ipſis offeratur. Pro eo quod dat, accipit mercedis loco id quod

eum accipere vult magiſtratus. Ab eo huic muneri præpoſitus eſt ut egentibus opituletur, non ut illos enecet. Si aliqui hoc modo pereunt, ſuo id vitio & culpa patiuntur, qui rem ſalubrē, ut ſibi exitialis ſit, procurant. At plurimis ſaluti fuit fœneratorem in promptu habuiſſe à quo auxilium flagitarent. *Tam occidit*, inquit Theologus, *qui cicutam propinat ſitienti, à qua forte annum non queat ſuperviνere, quam qui hodie gladio νitam aufert duello decernens. Quæſo uter magis infamis?* Vis hoc ſcire, & quanta vis ſit tuæ comparationis intelligere? Quæro viciſſim à te, uter magis infamis, qui fœnore ſemetipſum occidit, an qui gladio incumbit, ut ſibi necem conſciſcat? Nam ſi vera illa tua ſimilitudo agentis reſpectu, etiam debet valere ad patientem. Si fœnerator, quem ſimilem facis ei qui cicutam ſitienti propinat, tam occidit quam qui gladio alteri per duellum vitam adimit, neceſſe eſt, ut videatur æque ſemetipſum interficere qui per fœneratorem hoc facit ſponte ſua, quam ille qui ſuo gladio incumbit. Ut enim qui cicutam ipſe ſciens bibit quo moriatur, æque ſui homicida eſt, atque ille qui ferrum in pectus adigit: ita qui ſeſe volens fœnore trucidat, non minus erit habendus

dus ex vero auctor ſuæ ſibi necis, quam qui eam vi ſibi conſcivit. Nam theologus cicutam propinanti adſimilat cum, qui gladio interficit. Dixeram in eadem Præfatione, qui neminem ad ſe invitum venire compellit, qui neminẽ bonis evolvit niſi volentẽ, non poſſe illũ culpam ſuſtinere mali quod fecit rogatus invitanti: haud ſane magis, quam ſi quis, ut olim ſæpe, mortem ſibi inferre cupienti, nec audenti, manum commodaret. Provocare ad me ipſum ſe dicit maximus theologus, *an non hæc oratio flagitet retractationem.* Se autem cenſere, *Davidis iudicio, ſcelus illud mala morte* θεηλάτῳ *multantis, nos ſceleri iſti quod ille à ſe factum nuntiabat, non debere* συνευδοκεῖν. Ego quoque idem cum eximio theologo cenſeo. Cum enim in populo Dei nefas eſſet ſibi ipſi manus inferre, ut etiam apud nos qui Chriſtiani ſumus id pro ſcelere habetur, qui manum talia agitanti commodaret, parum aut nihil abeſſet ab eo qui homicidii reus eſſet habendus. Apud veteres Romanos Græcoſque non eadem opinio circa eos qui ſibi manus violentas attuliſſent. Sæpe, ac multis, id laudi datum memini, ut Catoni aliiſque quos hiſtoria Græca & Romana ſuggerit. Nemo ex Iudæis aut Chriſtia-

nis dixit fœnerari idē eſſe quod hominem occidere. Catonis ſenioris hoc dictum fuit. Ut igitur illi reſponderem ex opinione quæ tunc valebat inter Romanos, negavi, magis homicidā videri qui hominē fœnore necaret, quā eum qui manū occidere ſe volenti, nec audenti, cōmodaret. Multos opera ſervorum ad hoc uſos eſſe conſtat, qui maximam à ſuis dominis gratiam hoc facto iniverunt. Aliquis decreverat ſemetipſum interficere, quia iudicabat omnino hoc ſibi honeſtum eſſe ac glorioſum potius quam carnificis manu perire. Qui adiuvaſſet, mori ſic cupientem ac debere ſe putantem, ſed non ſatis fortem ad ferrum iugulo demittendum, amici officio functus credebatur. Ita Nero adiutus eſt ab Epaphrodito à libellis. Et nonne hoc ipſi conſultius fuit, prout tunc homines opinabantur, ut ſe ex contumeliis crudelis ac turpis ſupplicii eriperet, quam cervice furcæ inſerta, ad necem virgis cædi? Idem cum in illa neceſſitate percuſſorem cuius manu periret requiſivit, nemine reperto, *nec amicum ſe habere, nec inimicum*, queſtus eſt. Quia nempe amicum non reperiebat qui hoc ſibi officium præſtare vellet, nec inimicum qui vitam ipſi adimeret. Quo caſu amicus

cus eſſe tunc exiſtimabatur qui alicui mori volenti, & mortem ſibi neceſſariam putanti, nec præ animi imbecillitate hoc per ſe patrare ſuſtinenti, manum ſuam ipſe offerret ac daret. Nulla igitur opus retractatione habet illa oratio. Contra paganum iis utor argumentis quæ tunc apud paganos valebant. Si cum Chriſtiano agerem, aut cum Iudęo, apud quos alia ſedit ſentētia, non tali ratione niterer. Hæc adhuc premamus de hominum necatione per fœnus, quia eam intorquent ut validiſſimum telum, fœnoris adverſarii. Si non ferēdi trapezitę, quia fœnus necat, nec ulla uſura videtur admittenda, quia Cato, qui primus hoc dixit, non de argentariis & trapezitis intellexit tantum, ſed de privatis maxime fœneratoribus, ut ex Ciceronis loco ubi hoc refertur manifeſto apparet. Sed nec reditus illi annui permittendi, quia uſurarii revera ſunt, & multos etiam ditiorum conſtat, qui huiuſmodi reditibus ſe ac ſua bona obnoxia fecerint, per eos fortunis everſos eſſe. Concedamus tamen, fœnus trapeziticum illi Catonis dicto maxime eſſe obnoxium, & eo homines necari. Hæc occiſio metaphorica eſt, & plane iconica, non vera. Nihil peius poteſt facere trapezita diviti

 ſua

ſua menſa vel peſſime utenti, quam ut pauperem eum tandem reddat, nec pauperi quam ut pauperrimum ac mendicum. Uſq; adeone miſerũ eſt eſſe egenum? Egenis Chriſtus promittit regnum cælorum. Non tamen propterea excuſandus, cuius opera aliquis ad egeſtatem compulſus ſit. Chriſtum oportebat pati crucis ſupplicium pro ſalute generis humani. Nec idcirco ille per quem traditus eſt ad necem, recte feciſſe putandus: de quo ipſe Dominus pronunciavit, melius illi homini fuiſſe ſi natus non eſſet. Sed hoc volumus, in comparatione duorum horum malorum longe levius videri egere, quam necari. Tametſi daretur, Trapeziticam egenos facere, quæ ad eos iuvandos ac levãdos potius publice inſtituta eſt, nõ deterior tamẽ eſſet illa profeſſione quę homines legitime occidit. Nã & trapezitæ ſi ad inopiam detruderent homines, legitime hoc facerent, ut pote à magiſtratu conſtituti. Trapezita hominibus bona adimit, ut putant Theologi. Ergo ad hoc publice poſitus. Miles vitam hominibus eripit. Idcirco principi ac Reipublicæ ille ſacramentum dicit, atque auctoratur ut hoc iure faciat. Laudatur, ornatur, donatur præmiis, qui quamplurimos fra-

tres

tres in prælio occiderit, non dico, Chriſtianus Chriſtianos, ſed quod plus eſt, Pontificius Pontificios, Reformatus Reformatos. Non militia tamen damnanda eſt, quinimmo reipublicæ neceſſaria eſt etiam Chriſtianæ, eo iure & iis moribus quibus nunc vivitur inter Chriſtianos. Si omnes Chriſtiani tales eſſent quales eſſe deberent, uſuris non eſſet locus. Sane nec militiæ. Utramque artem hominum legitime occidendorum, in bello gladio, & ad menſam fœnore, neceſſariam reddidit hominum improbitas. Neutram tamen iure divino vetitam liquet. Tã trapezitæ, quã milites ferẽdi, ſi hi ſuis ſtipẽdiis cõtẽti ſint, illi fœnore legitimo & ſibi licito per magiſtratum à quo conſtituti ſunt. Ita & publicanos, vel fœneratoribus haud paulo deteriores, admittebat ad pœnitentiam & baptiſmum Iohãnes, hac ſola conditione impoſita ut nihil παρὰ τὸ διατεταγμένον acciperent. Idem etiam eadem lege militantes ad lavacrum pœnitentiæ recepit, ſi neminem concuterent, nec quicquam ultra ſtipendia ſua vellent. De omnibus militantibus intellexit Lucas, non de ſolis præſidiariis aut emeritis, ut nuper cenſuit ad eum locum ſacer Exercitator. Verba hæc eius ſunt cap. III. ἐπηρώτων δὲ

αὐτὸν οἱ στρατευόμενοι, λέγοντες, καὶ ἡμεῖς τί ποιήσομεν. Ibi ſummus vir Beza notaverat, στρατευομένους dici pro στρατιώταις. Nam & Hebræos uti ſæpe participiis loco nominum quæ Grammatici verbalia vocant. Quod eſt veriſſimum. Cæterum nec Hebræi ſolum hæc participia uſurpant vice nominum, ſed Græci, Latini, atque etiam Arabes. Græcis οἱ μεταβαλλόμενοι pro μετάβολοι vel μεταβολεῖς, & πραγματευόμενοι pro πραγματευταί. Ita & ἐρῶντες pro ἐρασταί. Quomodo & Latinis *amantes* pro amatoribus. Et *negotiantes* pro negotiatoribus. Quod ſæpe occurrit in veteribus inſcriptionibus. *Negotians ærarius & ferrarius. Negotians frumentarius. Negotians ſagarius.* Qui aliis locis vocantur *negotiatores ferrarii, ſagarii, & frumentarii.* Sed & *militantes* pro militibus, hoc eſt, στρατευομένους, etiam dixit Lampridius in vita Alexandri Severi, ſic ubique quantum ſibi eſſet militum ſciviſſe, *ut in cubiculo haberet breves, & numerum & tempora militantium continentes.* Nihil tritius eſt. Recte itaque Beza. Non placuit hoc Exercitatori. *Non neceſſe*, inquit, *erat, ut τοὺς στρατευομένους, quorum hic mentio, aut vocis rationem ex Hebræo eruditi peterent.* Ita modeſte Bezam deſignat. Quales ergo vis eſſe ô Critice iſtos στρατευομένους Lucæ? *Ordina-*

Ordinarii ſunt, inquit, *ac præſidiarii, & plerumque qui in eodem loco ſubſiſtunt, quales ii quorum præfectus ὁ ϛρατηγὸς τῶ ἱερῶ in Actis, ipſi milites κυϛωδία Matthæo dicuntur.* Sed quis tibi auctor huius expoſitionis, ut ϛρατευόμενοι hic debeant accipi pro ſolis præſidiariis? An Helleniſta aliquis? Certe quantum eſt Græcorum auctorũ non aliter uſurpant verbum ϛρατεύεσθαι, niſi pro eo quod profitentur quicunque militant, & quomodocumq; ſive in præſidiis ſint, ſive in ſtativis morentur, ſive caſtra moveant, ſive in acie ſtent. Et hoc quidem quod ad vim verbi & notionem attinet. Nunc quæ cauſa eſt ut ϛρατευομένους iſtos de ſolis præſidiariis intelligamus, qui ad Iohannem baptizandi acceſſere? An non potuere & alii quam pręſidiarii & in eodem loco ſubſiſtentes cuſtodiæ gratia pœnitentiam agere, & venire ad Iohannem ut baptizarentur? Certe & milites habuit Herodes, & alii Tetrarchæ, de quibus hos ϛρατευομένους interpretari poſſumus. Video etiam, *ordinarios* cum *præſidiariis* à Critico pro iiſdem poni, dum neſcit, quid vox hæc ſignificarit antiquis. Nam *ordinarii* vel pro manipulariis, ut monet Feſtus, vel pro ordinũ ductoribus, ut poſterior Latinitas, accepit. Atque ita apud Vegetium

 nomi-

nominantur, & in veteribus inſcriptionibus. Qui præſidiarios & in uno loco ſubſiſtẽtes ita vocarit, neminem ex veteribus novi. Suſpicari videor, quid illum in errorem impulerit, ut putaret, *στρατευομένους* hic eſſe exponendos de eo militũ genere, qui diu in eodem loco ſubſiſterent, ut ſolent præſidiarii. Apud Heſychium legit *στρατεύεσθαι, διατρίβειν.* Hoc ille ſtatim arripuit, ſecurus an congrueret huic loco Lucæ illa interpretatio. Sed nec vidit mendum eſſe in Heſychio, & ipſius Heſychii errorẽ, qui deſcripſit ex libro vitioſo, ubi ſcriptum erat, *στρατεύεσθαι* pro *στραγεύεσθαι* vel *στραγγεύεσθαι.* Nam in libris capitali charactere exaratis iſtæ litteræ ita affines ſunt ut ſæpe confundantur. ΣΤΡΑΓΕΥΕΣΘΑΙ, & ΣΤΡΑΤΕΥΕΣΘΑΙ. At *στραγγεύεσθαι* eſt *διατρίβειν,* pro quo in aliis etiam auctoribus memini ſæpe legere *στρατεύεσθαι,* cum hac ſignificatione morandi, & in uno loco conſiſtendi, ſicut pluribus ad ipſum locum Lucæ oſtendam. Addit Criticus: *Sed nonnunquam veteranos ſive emeritos τοὺς ἀποστρατευομένους ita dicebant.* Quid audio? Hoc potuit dicere vir qui ſe adeo doctum in Græcis haberi vult, ut vel principatum in ea litteratura iure ſibi vindicet? An *στρατεύεσθαι* idem quod *ἀποστρατεύεσθαι?*

ϑαι? Militare & militia abire, ac cingulum deponere? Non Helleniſtam aliquem huius ſententiæ fundum habet, ſed eruditiſſimũ Stephani Gloſſarium: Στρατεύομαι, *milito, emereor.* Item: *Emeritus,* ἀπολελυργήκως, ἢ ἀποςρατευόμενος. Ergo ſecundum hoc vocabularium, cuius auctoritate id evinci vult, ςρατεύεσθαι idem quod ἀποςρατεύεσθαι. Quod ſi conſulere maluiſſet illud Lexicon quod contumeliæ cauſa ita ſemper ſolitus eſt appellare, ſibi melius conſuluiſſet. Nam ex eo didiciſſet, maximum hæſiſſe vitium in illo Gloſſario Stephani, & pro *emereor*, legendum eſſe *mereo.* Nam *æra merere*, & ſimpliciter *merere*, dicuntur qui militant ac ſtipendia merent. Nam & *equo merere* dicitur qui equo militat, & *pedibus merere* qui pedes. Inde *emeriti* qui non amplius merent, veterani ac miſſicii. οἱ ἀποςρατευόμενοι. Et recte in iiſdem Gloſſis, ἀποςρατεύομαι, *emereor.* Non ergo idem ςρατεύομαι & ἀποςρατεύομαι. Hoc *emereor*, illud *mereo.* Certe & ςρατευσάμενος eodem ſenſu dicitur quo ἀποςρατευσάμενος, quia ςρατευσάμενος eſt qui militavit & non amplius ςρατεύεται, id eſt, militat. Sic qui fuit, non eſt: qui vixit, non vivit: qui militavit, non militat. At ἀποςρατευόμενοι ſunt qui militiæ renuntiarunt.

tiarunt. Cæterum ϛρατευόμενος eſt adhuc militans & miles. Ἀποϛρατευόμενος non amplius militans. Sic νηϛίζεσθαι eſt ieiunare, ἀπονηϛίζεσθαι ieiunium ſolvere. Hæc nota vel lippis. De his tamen emeritis ac veteranis potius putat accipiendos iſtos Lucæ ϛρατευομένους, contra verbi Græci notionem certiſſimam, & contra ipſam auctoris expreſſiſſimam ſententiam ac mentem. Quomodo enim ſanus aliquis de emeritis & his qui non amplius militant, interpretari hęc Euangeliſtæ verba poſſet, cum Iohannes iſtos ϛρατευομένους à ſe quærentes, quid facere deberent, iubet eſſe contentos ſuis ſtipendiis? Ἀρκεῖσθε τοῖς ὀψωνίοις ὑμῶν. Atqui emeriti ſtipendia non amplius accipiunt. Hanc de emeritis expoſitionem idem ſe probare fatetur præ illa altera de præſidiariis. *Quia*, inquit, *ſi certos milites quales erant de quibus diximus, intellexiſſet, cauſæ nihil erat, cur non οἱ ϛρατευόμενοι dicerentur.* Ergo cum Lucas non dixerit οἱ ϛρατευόμενοι, ſed ſimpliciter ϛρατευόμενοι, ex eo liquet, non de certo genere militũ quales ſunt præſidiarii illum intellexiſſe, ſed de omnibus militibus emeritis & veteranis. Hæc mens eſt Critici, ut videor illam ex verbis eius ſatis certo collegiſſe. Sed quæ ſequuntur, prorſus non

capio,

capio, nec ipſe certe, quid diceret, ut puto, intelligebat, quæ & neminem eſſe interpretaturum ſatis ſcio: *Nam ςρατευόμενοι ſunt qui tales ſunt, quales dixi, præſidiarii nempe, aut emeriti, vel ex iis quidam; οἱ ςρατευόμενοι, plerumque certi qui deſignantur, quod intelligunt qui Græce ſciunt.* Si Græce ſcientis ſunt quæ ad illum locum ſcripſit, ego quid ſit Græce ſcire, plane neſcio. Hæc omnia incerta, obſcura, ambigua, inter ſe pugnantia. Vera buttubata Nævii. Specta Critici levitatem, qui ex duabus falſiſſimis interpretationibus alteram hauſit ex depravato Heſychii loco, alteram ex Gloſſario æque corrupto. Nec attendit, utrum alterutra illarũ enarrationum conveniret auctoris ſacri menti quem interpretabatur. Verum de his alibi. Iohannes, ut videmus, milites admittebat ad pœnitentiam & baptiſmum, modo ne quemquam concuterent, nec calumniarentur, ſed ſuis tantum ſtipendiis contenti eſſent. Veteres quoque Chriſtianos primitivæ Eccleſiæ militaſſe, certum eſt, ut ex Tertulliano in Apologetico conſtat, idque aliis patrum teſtimoniis confirmari poteſt. Si qui enim militum in exercitu fidem Chriſtianam eſſent amplexi, non propterea militiam deſerebant. Et poterant manere Chriſtiani

ſtiani & milites, quamvis in commilitio paganorum. At ſi qui melius inſpirati & à gratia divina ad perfectiora vocati cingulum depoſuiſſent & militia ſe abdicaſſent, non licebat illis eam repetere. Quod ſi feciſſent, pœnitentiæ publicæ pœnæ ſubiiciebantur per multos annos. Et quod mirum, etiam ſub principe Chriſtiano Conſtantino, qui ſynodo interfuit, hoc decreverunt patres Nicæni Concilii, Canonemque ſuper eo ſanxerunt eiuſdem Synodi XII. *οἱ προσκληθέντες μὲν ὑπὸ τῆς χάριτος, καὶ τὴν πρώτην ὁρμὴν ἐνδειξάμενοι, καὶ ἀποθέμενοι τὰς ζώνας, μετὰ δὲ ταῦτα ἐπὶ τὸν οἰκεῖον ἔμετον ἀναδραμόντες, ὡς κύνας, ὡς καί τινας ἀργύρια προέσθαι καὶ βενεφικίοις κατορθῶσαι τὸ ἀναστρατεύεσθαι.* De huius Canonis mente multi multa dixere, & nemo eam adhuc aſſequutus eſt. De his enim ſancitus eſt, qui militiæ depoſito cingulo, ut meliori vitæ vacarent, & Chriſtiano homini convenientiori, poſtea mutata ſententia, ut in eam cum honore aliquo iterum adſcriberentur, vel largitione vel beneficio ducum & prȩſidum laborarunt. Vel hȩc verba, *καὶ βενεφικίοις κατορθῶσαι τὸ ἀναστρατεύεσθαι*, dȩ vera militia eſſe capiendum Canonem, indicant. Nam *ἀναστρατεύεσθαι* non poteſt accipi niſi de eo qui ſecundo vult *στρατεύεσθαι*,

ἐσθαι,

σθαι, & iterum militiæ nomen dare. Deinde illud *βενεφικίοις κατορθῶσαι* nomen huic rei proprium, de his qui ad militiam revocati, beneficio tribunorum aut ducum aliquem gradum in militia obtinebant. Unde & *Beneficiarii* dicebantur. Hinc *veteranus Beneficiarius* in veteri inſcriptione. Et *Beneficiarius tribuni*, & *Beneficiarius Ducis*, & *Beneficiarius laticlavius*, qui laticlavii honorẽ per beneficium impetraſſet. Niſi potius legendum ſit *Beneficiarius laticlavii*. Non igitur capienda verba Canonis de his qui ſuſcepto pœnitentiæ voto cum habitu, ut mos fuit poſterioris ævi, ſeculo renuntiaverant, & poſtmodum reſumpta ſæculari veſte, ad vomitum ut canes redibant. Ita quidem nonnulla concilia ſequioris ęvi, & patres aliquot videntur illum Canonem expoſuiſſe, ſed perperam. Nec probo de his accipi, qui perſecutionis tẽpore, propter fidem, militię cingulum abiecerant, & poſtea fidẽ ejerantes pecuniis ac donis priſtinum militiæ honorem recipiebant, rurſumque ad Eccleſiam redierant. Nihil enim hic Canon dicit de fidei abiuratione aut regreſſu in Eccleſiam. Simpliciter quippe conceptus eſt, ac ſtatutus in eos, qui gratia inſpirante divina, cingulo militiæ depoſito,

to, quo melius & perfectius vitæ inſtitutum magiſque Chriſtianum capeſſerent, poſtmodum illud reſumerent & denuo ſe militiæ ſacramento obligarent. Non abſolute damnarunt militiam illius temporis patres, nec milites qui ex neceſſitate ei nomen dediſſent improbabant, ſed eos non excuſarunt, immo & pœna dignos eccleſiaſtica iudicarũt, quibus cum iam liberum eſſet non militare, ab ea utpote iam dimiſſis ac ſacramento ſolutis, iterum ad eam redire placeret, ut ſolent canes ad votum. Nemini tunc licebat militiam detrectare. Tironum præbitio onus tum fuit patrimonii, potius quam perſonale munus. Veteranis, qui filios armis gerendis habiles non ſponte ſua militiæ obtuliſſent, haud impune fuit, lege Valentiniani & Valentis. Iidem imperatores ſtatuerunt, *flammis ultricibus comburendum, eum qui ad fugienda ſacramenta militiæ truncatione digitorum damnum corporis expetiſſet*. Multi enim illo tempore, quia neceſſitate ad bellum cogebantur, præ ignavia ſibi pollices truncabant, ne militarent. Inde *pollice truncos* hodieque pro ignavis & imbellibus dicimus, ſed truncata voce *poltrones*. Militiæ autem munus illius ævi patres non propter ſacramentum Chriſtia-

ſtiano homini idolalatriæ cauſa fugiendum, ſed propter ſolam hominum trucidationem cenſuerint. Sub imperatore, enim Chriſtiano, ut fuit Conſtantinus, non fuit verendum ne iuramentum militiæ nomen dantibus imponeretur alienum à fide Chriſti & profeſſione. Non igitur illo Canone Nicænæ Synodi patres militia ſecunda interdicunt Chriſtianis, quatenus ſignum eſſet idololatriæ, & quam non niſi diſpendio fidei Chriſtianæ exercere poſſent, quod immolare nimirum diis milites cogerentur. Vita Conſtantini, qui & Synodo interfuit, & ea quę in favorem Chriſtianorum in imperio ſuo ſanxit, hæc refutant. Propter ſolam inquam hominum trucidationem fugienda illis viſa eſt ſecunda militia, quia de prima non poterant interpellare, ut pote ex imperii legibus neceſſaria, & neceſſario obeunda. At cum ad ſecundam nemo cogeretur, noluerunt ſine cenſura Eccleſiaſtica, & quidem graviſſima, abire qui ſponte ſua & non coacti illam repeterent. Lactantius qui eo tempore vixit, & in extrema etiam ſenectute Criſpum Cæſarem Conſtantini filium in diſciplinam ſibi traditum inſtituit, Epitome divinæ inſtitutionis cap. VI, ita ſcribit: *Quid tam horribile,*

ribile, tam tætrum, quam hominis trucidatio? Ideo bella execrabilia ſunt. Et capite VII. *Vetus præceptum eſt, non occidere. Quod ſic accipi debet, non tanquam iubeamur ad homicidium tantum, quod etiam legibus publicis iubetur, manus abſtinere, ſed nec iuſſione interpoſita.* Sed idem clarius, quis fuerit ſenſus ac ſententia patrum illius ævi circa cædẽ, etiam in prælio ex officio faciendam, ſignificat lib. de Iuſticia cap. V. de Iuſticia Chriſtianorũ: *Cur enim naviget* (Chriſtianus) *aut quid petat ex aliena terra cui ſufficit ſua? Cur autem belligeret ac ſe alienis furoribus miſceat, in cuius animo pax cum omnibus perpetuo verſetur? Scilicet peregrinis mercibus, aut humano ſanguine delectabitur, qui nec lucrum ſciat appetere, cui ſufficit victus, & non modo ipſe cædem facere, ſed intereſſe facientibus, & ſpectare ducat nefas! Sed omitto iſta, quoniam fieri poteſt, ut vel invitus ad hæc ſubeunda cogatur.* Nimirum ad cædem faciendam, dum militare cogitur. Nam illo ævo, non ſolum ſub imperatoribus gentilibus, ſed etiam Chriſtianis, cum delectus tironum ageretur, quibus militaris ætas ac ſtatura eſſet, & qui eius erant conditionis uti militiæ vacationem non haberent, ad militare ſacramentum adigebantur, nec illud defugere poterant. Qui ſemel autem ei ſacramento dixiſſent

ante

ante emenſa ſtipendia, & niſi ex iuſta ac merita cauſa impetrata miſſione, diſcedere à ſignis non habuere fas. Qui aliter militiam deſeruiſſet, capite plectebatur. Ergo illi ſunt, quos invitos ad militiam, id eſt, trucidandorum hominum legitimam artem ſubeundam, ex neceſſitate legum cogi dixit Lactantius, & quos propterea excuſandos tam ipſe inſinuat, quam patres concilii Nicæni. Qua excuſatione carebant qui depoſito cingulo & miſſione impetrata militiam repetebant. Non enim ad hoc cogebantur, ſed ſua voluntate ad vomitum tanquam canes redibant. Hi ſunt igitur de quibus intellexit ille canon XII concilii Nicæni, & quos pœnitentiam tam longam eo nomine agere iuſſit. Eam fuiſſe patrum in illo canone ſanciendo ſententiam, oſtendit etiam Theophanes, qui Conſtantinum inter alia conſtituiſſe dicit, δεύτερον δὲ χριστιανοὺς μόνους μὴ στρατεύεσθαι, ἐθνῶν δὲ καὶ στρατοπέδων ἄρχειν. *Solos Chriſtianos ſecundo non militare*, hoc eſt, ad militiam non revocari, *provinciarum tamen & exercituum præfecturas gerere.* Prorſus iuxta Canonis mentem, ſanxit ſolos Chriſtianos non debere ſecundo militare, nec revocandos eſſe ad militiã, quibus tamen exercituum ducatus, & provincia-

 rum

rum præſidatus committi denuo poſſent. Δεύτερον στρατεύεσθαι Theophani, quod in Canone eſt, ἀναστρατεύεσθαι. Videri poſſet huic conſtitutioni Conſtantini contrariũ, quod apud Theodoretum legitur lib. 1 Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ubi narrat, hunc imperatorem *optionem dediſſe Chriſtianis qui ab exercitu eiecti eſſent ab imperatoribus gentilibus, vel priſtinum locum retinendi, vel cum honorata dimiſſione otio perfruendi.* Sed interpres Latinus fallit. Non enim ſimpliciter ſcriptum eſt in Græcis, τοῖς στρατείας ἀφαιρεθεῖσιν, ſed τοῖς στρατείας τινός, id eſt, quibus quæcunque dignitas erepta fuerat. Nam στρατεία hic ἀξίωμα, ut ſupra diximus. Multi etiam veterani ad militiam ſecundam evocabantur, ſed non cogebantur. Inde *Evocati*. De quibus nos alibi. Patres igitur primitivæ Eccleſiæ, qui non damnabant militiam primam, quia ex neceſſitate per leges imperii deſcendebat, ſecundã quæ ex voluntate proficiſcebatur, prorſus condemnarunt, ne homines aliquis Chriſtianus non coactus trucidaret. At iidem nec publicis fœneratoribus, id eſt, trapezitis, nec privatis, qui plerumque peiores erant publicis, pœnam ullam Eccleſiaſticam impoſuiſſe leguntur, quamvis placeat noſtris Theologis ex Catonis dicto

dicto fœnerationem eſſe hominis trucidationem. Nunc vero Chriſtianitas omnis militibus utitur cum laude & gloria fratres ſuos trucidantibus, & cum adprobatione etiam Theologorum id patrantibus. Sæpe etiam cives ſuos, & pro quorum partibus ſtant, ac ſic tanto magis fratres, ſpoliant, diripiunt, vexant, ad paupertatem redigunt, nec propterea tamen hic aut illic ab altaribus arcentur, aut à Cœna Dominica prohibentur. Publicanos deterrimũ hominũ genus, quia publica auctoritate huic muneri præſunt, non minus quã milites, καταπρείοντας καὶ συκοφαντοῦντας, nemo Theologus Pontificius, aut Reformatus ab aris ſuis, aut mẽſa Chriſti abigit. Theocritus interrogatus olim quænã ſæviſſimæ eſſent ferarũ, reſpondit, ἐν μὲν ὄρεσιν ἄρκτοι καὶ λέοντες, ἐν δὲ πόλεσι τελῶναι καὶ συκοφάνται. *In mõtibus quidem urſi & leones, in urbibus autẽ publicani & ſycophantæ.* Non dixit, fœneratores & calumniatores. Dixiſſet, ſi ex mente noſtrorum Theologorum loqui voluiſſet, qui cum eos ἀτίμους καὶ ἀκοινωνήτους faciunt, non reſpiciunt, ſi in hac profeſſione crimẽ eſt, facinus eſſe magiſtratus, pœnã trapezitæ. *Aemilius fecit, plectitur Rutilius.* Non recte etiã idem magnus Theologus in invidiam me adducere voluit, ea de cauſa, quod in illa

Præfatione ſcripſerim, non ſolum profeſſores artium litterarumque, ſed etiam altaris miniſtros ex alieno vivere. Neget hoc verum eſſe, ſi poteſt, aut, ſi non poteſt, quia verum eſt, abſtineat me hoc nomine criminari. *Non fert*, inquit, *illud* σχῆμα λέξεως *uſus loquendi magiſter in quacumque Theologorū ſchola, ut hoc de ſe uſurpari ſinant, qui non ſunt ſuæ exiſtimationis prodigi, & qui fide divina credunt, ſe panem ſuum* ἐπιούσιον *Dei benedictione ipſis admenſum edere.* Quid his velit, neſcio, ita obſcura ſunt. Nullum σχῆμα λέξεως quod ferre nequeant Theologi, in meis verbis. Simpliciter dixi, omnes profeſſiones ex alieno vivere, quia obiectum fuerat, fœneratores ex alieno divites eſſe. Quidam vivunt tantum ex alieno, quidam etiam diteſcunt. Ex abundanti, qui ex alieno ditantur, etiam vivere intelligendi, & ἐπιούσιον ſuum panem à Deo admenſum habere. Quis enim dives, non adminiculante divina gratia? Hoc amplius iſte habet, quod facilius vivit; ille autem difficilius qui pauper eſt, & modio iniquo ventrem ſibi ſuum caſtigare cogitur. Si quis ſponte ſua ad hunc parcum modum ſe demittit, nec curat divitias quæ ſuperfluant, tanto beatior eſt. Nulla enim Deo accepta, niſi ſpontanea & læta pauper-

pertas. Hæc ſane perfectior vita, & A-
poſtolicæ propior, quæ voluntariam pau-
pertatem ſectatur, & hoc tantum quærit
ut vivat, ſatiſque illud habet, eoque con-
tenta eſt, ſupervacuis neglectis. Unde
illud Pauli, *qui victum habent ac veſtitum,*
debere eſſe contentos. Plurimi ex altari tan-
tum vivunt, quibus ſi daretur ex eodem
altari diteſcere, non illud ἐπίμετρον aſper-
narentur. Unde in Eccleſia Romana
pinguia illa & opima quæ vocantur be-
neficia, in Sacerdotiis, Prioratibus, Abba-
tiis, Epiſcopatibus, & Archiepiſcopati-
bus, niſi ex altari? Altari hæc data fuere
quæ miniſtros altaris ditarunt. Innocen-
tiſſima & ſanctiſſima Apoſtolorum vita
etiam ex altari ſuſtentabatur. Qui inter
eos ad perfectiſſimam ſectam enitebantur,
non de alieno, ſed de ſuo tantum ſervie-
bant altari, ac manibus operabantur, pro-
prioque labore victum quærebant, ut Pau-
lus & Barnabas. Cæteri ex Euangelio ſe
tuebantur. Hoc eſt, eorum ſumtibus qui-
bus Euangelium prædicabant. *Neſcitis,*
inquit Paulus, *quoniam qui de ſacrario operan-*
tur, de ſacrario edunt, qui altari deſerviunt,
cum altari participantur? Ita & Dominus
ordinavit iis qui Euangelium adnuntiant, ut
de Euangelio vivant. Non ita tamen fecit

Paulus, ſed quamvis hoc idem ſibi liceret, quod reliquis Apoſtolis, ne cuiquam oneri eſſet, propriis manibus unde viveret ſibi parabat. Quod teſtatur alio loco de ſe, his verbis: *Neque gratis panem manducavimus ab aliquo, ſed in labore & fatigatione, nocte & die operantes, ne quem veſtrum gravaremus. Non quaſi non haberemus poteſtatem, ſed ut nos ipſos formam daremus vobis ad imitandos nos.* Exemplo igitur ſuo voluit alios ad idem faciendum invitare, ne Eccleſias gravarent, dum ſuo labore viverent, nec ab iis quibus euangelizabant, ſumerent quod ederent, οὐκ ἐργαζόμενοι. Hanc Pauli & Barnabæ ἀποστολικὴν πολιτείαν ſibi imitandam & ſequendam propoſuerunt primi monachi, tanquam perfectiſſimum βίου καὶ πολιτείας exemplar. Hæc autem loquutio, ex altari vivere, ab ſacerdotibus Iudæis manavit & Levitis, qui carnibus hoſtiarũ quæ mactabantur, veſci ſolebant. Quod & ſacerdotibus gentilium moris fuit. Hoc, ex alieno erat vivere, quia privatorum qui ſacra faciebant, hæ victimæ fuere. Ex quibus partes habebant ſuas ſacerdotes. Quod Paulo dicitur θυσιαστηρίῳ συμμερίζεσθαι. Inde & Apoſtoli qui ex Euangelio vivebant, quaſi ex altari vivere cenſebantur, quia Euangelii prædicatio

eos

eos nutriebat, nihil operantes. Similiter & qui hodie verbum Dei prædicant, vel ex publico ſtipendio, vel ex privatorum ſumptu vitam ſuſtinent. Utroque modo ex alieno, non ut Paulus & Barnabas ex ſuo, quia ſuis manibus opus faciebant ad victum quærendum. Quod qui facit, ſine dubio perfectior eſt illo, qui ab alieno pendet. Non iſte male facit, quia licet, ſed ille melius, quia minus quam licet, ut tendat ad perfectioris vitæ ſpecimen. *Nam quis*, inquit idem Paulus, *militat ſuis ſtipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Militavit tamen ipſe qui hæc loquitur ſuis ſtipendiis cum Barnaba, dum gratis Euangeliũ adnunciarent, ſuis tantum debentes manibus, & proprio labori, id quo vivebant. Sic nulla ars, nulla profeſſio, quæ non ex alieno vivat, ne illis quidem exceptis quibus ſacrum demandatum eſt miniſterium, ſi aliter quam Paulus & Barnabas eo munere fungantur. Qui gratis & ſine uſura pecuniam ſuam daret pauperibus, eandem omnino πολιτείαν affectaret atque ille qui gratis militaret, gratis doceret, gratis medicinam faceret, gratis advocationem præſtaret, & gratis merces ſuas

 uni-

unicuique divideret, non venderet. Quæ omnia pretio facere ac mercede ita licet, ut non prohibeantur opem ſuam, vel opes, vel operas gratuitas aliis præbere, quibus libet affectare viam vitamque perfectiorem. Sic fœneratori ſua pecunia alienam parit, ut opifici ſua ars alienum argentum adquirit, mercatori merces ſuæ alienum ſimiliter adplicant, & ſimiliter de omnibus. Quæcunque igitur ars, quicunque quæſtus, quodcunque munus & officium, ſacrum aut civile, emolumentum aliquod ſuo artifici, ac profeſſori refert, id omne ex alieno, & ἄρτȣ ἐπιȣσίȣ nomine cenſeri poteſt, ſiquidem placeat eum panem, qui ἐπιούσιος in Oratione Dominica dicitur, & quem petere à Deo patre Chriſtus Dominus nos docuit, interpretari. Quam eſſe falſiſſimam interpretationem, quoniam nos eo provocaſti, obiter hic docebimus. Non enim cenſeo, ita eſſe exponendam eam vocem ut vulgo faciunt, & antiqui non pauci acceperunt, ut de pane quotidiano ad victum neceſſario intelligatur. Quo nomine quidam etiam celeberrimi Theologi, quidquid ad vitam homini neceſſarium eſt, intelligendum eſſe putarunt, uxorem, liberos, opes, dignitates, imperia. Melius mea ſententia illi

ex

ex patribus Græcis Latiniſque veteribus, qui ſpiritaliter interpretati ſunt, de pane illo ζωοποιῷ, qui Chriſtus eſt. Qua de re minus dubitaſſent, ſi veram vim ac ſignificationem vocis ἐπιέσιος noviſſent. Sed cum Græci, quid eſſet ἐπιέσιος, ignorarent, Latini *quotidianum* in antiqua verſione redditum reperiſſent, multi ex eo adducti ſunt carnaliter eum locum exponere, partim de ſolo pane, partim de cæteris ſub nomine panis requirendis. Verum ut ſic intelligatur, neque ratio vocabuli patitur, neque mens Domini admittit. In ea precationis formula ſuis tradenda reprehendit orandi morē gentilium, eorumq; βαττολογίαν, quod putarent, in multiloquio ſuo ſe ab numine citius exaudiri. Quod illud multiloquium? Dum plurima nimirum in precibus ſuis à Deo peterent quæ ſibi neceſſaria exiſtimarent, caſtam uxorem, pulcros liberos, divitias, fundos, ædes, amicos fidos, ſervos fideles, dignitates, honores, & alia. Cum tam multa peterent ac requirerent, non poterant breviter concludi eorum preces. Hinc πολυλογία & βαττολογία in orando. Non enim illi pauca poſcebant, nec paucis. Præ cupiditate impetrandi quæ à Deo peterent, ſæpius eadem repetebant. Quæ

βαττο-

βαττολογία eſt, id eſt, ταυτολογία. Βάττος quidem proprie qui non poteſt plane eloqui quod vult, uti ſunt qui dicuntur μογιλάλοι. Sæpe enim unam ſyllabam multis vicibus iterant priuſquam unam vocem queant integrare. Inde & βαττολογεῖν etiam dicuntur qui eadem ſæpius repetunt in loquendo. Non igitur vult aſſimilari gentibus in precibus Deo fundendis Chriſtus ſuos diſcipulos, nec eorum πολυλογίαν & βαττολογίαν imitari in iis poſcendis quæ ſibi uſui ſunt. Μὴ οὖν ὁμοιωθῆτε αὐτοῖς. Οἶδε γὰρ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὧν χρείαν ἔχετε πρὸ τοῦ ὑμᾶς αἰτῆσαι αὐτόν. *Novit enim pater veſter quid opus ſit vobis antequam petatis eum.* Quid clarius, quam nolle Chriſtum ea à Deo patre peti quorum noſter indiget uſus, quia Deus ſcit, quid nobis opus ſit, ut non neceſſe habeamus hoc ab illo flagitare. Tradit deinde formulam precationis qua ſuos diſcipulos uti cenſet, longe diverſam ab illa gentiliũ, qui neceſſaria ad victum quæcumque à ſuis Diis poſcebant. Non igitur veriſimile eſt, Chriſtum in tã compendioſa oratione ſub nomine panis peti à ſuis voluiſſe neceſſaria ad vitam, vel ſolum victum, cum tam expreſſe nolit eos imitari πολυλογίαν gentilium in orando, qui ea petebant, quæ ſibi uſui

uſui eſſent, & longe aliam precandi formulam eis ſe preſcribere dicat. Sed & quæ ſequuntur toto illo capite Matthæi, arguunt, nihil minus in mēte Domino fuiſſe, quam, ut per ἐπιούσιον ἄρτον, præciperet panem, id eſt, victum, à Deo in precibus petendum. Præcepta quippe illius capitis longe alio ducunt, ut ne nimirum ſolliciti ſimus animæ, id eſt, vitæ noſtræ, quid manducemus: neque corpori noſtro, quid induamus. *Nonne*, inquit, *anima pluris quam eſca? Et corpus pluris quam veſtimentum?* Deinde caput ipſum ita cōcluditur ab Euangeliſta, his verbis Domini, quæ manifeſto oſtendunt, ac luce quidem meridiana clarius, non eũ ἄρτου appellatione ἐπιουσίου omnia ad victum neceſſaria, aut panem ſolum deſignaſſe. Sic enim ibi loquitur Dominus: *Nolite ergo ſolliciti eſſe, dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes requirunt. Scit enim pater veſter quia his omnibus indigetis.* Ita concludit Chriſtus ut cœperat. Non eſſe nimirum gentes imitandas, petendo ea quibus indigemus ad victum & veſtitum. Deum enim optime ſcire quod his indigeamus. Sponte igitur ſua etiam non rogatum nobis illa eſſe elargiturum. Ac proinde non eſſe eum huiuſmodi preci-

bus

bus ſollicitandum. Quid igitur ab illo præcipue deſiderare debemus, ac precibus noſtris poſcere? Ζητεῖτε δὲ, inquit, πρῶτον τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, καὶ τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ, καὶ ταῦτα πάντα προστεθήσεται ὑμῖν. *Quærite ergo primum regnum Dei & iuſticiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Quærenda itaque cæleſtia tantum & inprimis iubet, & terreſtria ſequutura promittit, etiam non quæſita. Sibi ipſe igitur contrarius eſſet Chriſtus, ſi, cũ hæc omnia dicat, in orationis tamẽ formula quam pręſcribit ſuis, *panem quotidianum*, id eſt, omnia ad vitam conducentia, peti à Deo iuberet. Addit denique pro clauſula, quæ pani illi quotidiano ſive craſtino rogando prorſus adverſantur: *Nolite ergo ſolliciti eſſe de craſtino. Craſtinus enim dies ſollicitus erit ſibi ipſi. Sufficit dies ſuæ maliciæ.* Hæc omnino probant, panem illum ἐπιούσιον non eſſe panem craſtini diei. Nã qui vetat nos cogitare de craſtino, non iuberet in ea comprecatione nos poſtulare repræſentari nobis à Deo panem craſtinum. Quæ petitio eſſet ſtultiſſima. Et certe nemo eſt ex veteribus interpretibus omnium linguarũ qui in verſione ſua expreſſerit illam craſtini ſignificationem. Ineptum quippe hoc foret, & abſurdum: *Da nobis hodie panem noſtrum craſtini diei.* Alii

Alii ἐπιούσιον interpretati ſunt, ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ ἡμετέρᾳ ἁρμόζοντα, *ſubſtantiæ noſtræ convenientem.* Alii *panem indigentiæ noſtræ*, ut Syrus. Alii *panem ſufficientem nobis*, ut Aegyptius & Arabs. Cyrillus Hieroſolymitanus, Catecheſi v, de ſancto pane, id eſt, Chriſto, interpretatur, & ἐπιούσιον exponit, τὸν ἐπὶ τὴν οὐσίαν τῆς ψυχῆς καταταττόμενον, ita enim veteres libri eo loco legunt, *ad ſubſtantiam animæ ordinatum.* In aliis ſcriptis legi: ὁ δὲ ἄρτος ὁ ἅγιός ἐστιν αὐτὸ τοῦτο, ἐπὶ τὴν οὐσίαν ψυχῆς τρεπόμενος, καὶ ἐμμένων τοῖς καθαροῖς. *Qui revera in ſubſtantiam animæ convertitur, & in ſanctis puriſque manet.* De quo nos alibi. Quidam etiam Græcorum καθημερινὸν interpretati ſunt, niſi ex Latina verſione veteri id hauſerint. Hieronymus denique correcta veteri illa Latina verſione quæ *panem quotidianum* τὸν ἐπιούσιον reddiderat, repoſuit, *panẽ ſuperſubſtantialem.* Atque ita hodie extat in verſione vulgari: *panem noſtrum ſuperſubſtantialẽ da nobis hodie.* Ἐπιούσιον nimirũ accepit quaſi ἐπὶ οὐσίᾳ, *ſupra ſubſtantiã*, ut ἐπίμετρον dicitur, quod eſt *ſupra menſurã.* Sed ἐπουσιον Græci hoc ſenſu dicerent, non ἐπιούσιον. Ita ergo ad Mattheũ ſcribit: *Quod nos ſuperſubſtantialem expreſſimus, in Græco ἐπιούσιον habetur. Quod verbũ Septuaginta interpretes, περιούσιον frequentiſſime uſurpant.*

Car-

Carpit hic Hieronymum Criticus ſacer, *quod ἐπιούσιον idem eſſe putarit atque Helleniſtarum περιούσιον, vel quia non ſatis aſſequeretur quid eſſet ἐπιούσιον, vel quia exiſtimaret durum.* Pſeudohelleniſtæ iſti ad delirium uſque coëgerunt eum deſipere. Subiicit ſtatim: *Quæ vox hodie quod ſciam non extat apud Helleniſtas, ac potius adſubſtantialem denotaret.* Fallitur non ſemel. Nam & περιούσιον extat apud illos quos habet pro Helleniſtis, & aliud omnino ſignificat quam *adſubſtantialem.* Quod quid ſit, ego non poſſum divinare. Περὶ enim in compoſitione idem plerumque notat apud Græcos quod ſuper vel ſupra. Unde περίαλλα, *ſuper alia, ante alia.* Sed & περὶ abſolute τὸ περισσὸν, vel περισσῶς. Sic περὶ πάντων apud Homerum, ὑπὲρ πάντας, περισσότερον πάντων. Et περὶ grammatici notant idem ſignificare quod ὑπέρ. Idem & ἐπί. Inde ergo & περιούσιον, quod idem eſt atque ſuperabundans, præcipuum, eximium. Ideo & ἐπιούσιον Hieronymus exiſtimavit idem eſſe quod περιούσιον, quod additur ad id quod eſt, vel ſuperadditur, quaſi ſuperſubſtantiale. Hebræum סגלה Septuaginta ita reddiderunt, quod eſt alicui peculiare, ſingulare, proprium, rarum carumque. Unde λαὸς περιούσιος in Exodo &

Deu-

Deuteronomio. Quibus in locis teſte eodem Hieronymo Symmachus verterat, ἐξαίρετον. Ita igitur ille: *Conſideramus ergo quod in Hebræo, ubicunque illi* (Septuaginta) περιούσιον *expreſſerunt , nos invenimus* סגלה *. quod Symmachus* ἐξαίρετον, *id eſt, præcipuum vel egregium tranſtulit, licet in quodam loco, peculiare interpretatus ſit. Quando ergo petimus ut peculiarem vel præcipuum nobis Deus tribuat panem , illum petimus qui dicit: ego ſum panis vitæ qui de cœlo deſcendi*. Addit, & poſſe intelligi *ſuperſubſtantialem* , qui ſupra ſit omnes ſuſtantias, & ſuperet omnes creaturas. Ut ut ſit, ἐπιούσιον putavit ille doctus pater idẽ eſſe ac περιούσιον. Quod tamen ἀπὸ τῆς οὐσίας non eſt deductum aut compoſitum, ſed à verbo περιεῖναι deſcẽdit, quod eſt ὑπερέχειν, & *ſupereſſe*. Unde τὸ περιὸν, *ſuperfluum* , *ſuperabundans*. Hinc & περιούσιον , quod idem ſignificat, & περιουσία, *ſuperabundantia*. Nam ἐκ περιουσίας apud Græcos, & τὸ ἀναγκαῖον differunt. Idem ἐκ περιουσίας, & ἐκ περιόντος. Quod ſuperſit & abundat. Ut, vivere eſt neceſſarium : bene vivere, ἐκ περιουσίας. Hoc idem quod ἐξ ἐπιμέτρου, ἐκ πολλοῦ. Heſychius, περιούσιον, πολὺ, περισσόν. Non igitur ab οὐσία compoſita nomina περιουσία & περιούσιον, ſed ita fiunt ἀπὸ τοῦ περιεῖναι, ut παρουσία à παρεῖναι, ἀπουσία ab ἀπεῖναι,

μετουσία à μετεῖναι. At ἐπιουσία Græce non dicitur, quia ἐπιεῖναι non eſt in uſu, ſed ἐπεῖναι. Nec igitur ἐπιούσιον poteſt venire, ἀπὸ τῆς οὐσίας, ſed ab alio verbo venit quam à ſubſtantivo εἶναι, quod eſt *eſſe*. Priuſquã aperiamus quid noſtræ ſit ſententiæ, excutiamus alogias & ineptias expoſitionis quam Criticus Sacer commentus eſt. Nihil ille quidem novi protulit quod ſit alicuius momenti. Nam eius interpretatio eo recidit, ut ἐπιούσιος ἄρτος ſit quotidianus panis. Quomodo id probare adlaboret, videamus. Sibi perſuadet, ἐπιούσιον ἄρτον eum dici qui in Numeris IV. VII. vocatur לחם התמיד. *Et ſuper menſam facierum expandent pannũ hyacinthinum, & panis ille iugis ſuper eam erit.* Numquid Septuaginta ibi reddiderunt ἄρτον ἐπιούσιον pro pane illo iugi qui perpetuo ſuper menſa hærere debebat? Ita illi reddunt: καὶ οἱ ἄρτοι οἱ διὰ παντὸς ἐπ' αὐτῆς ἔσονται. Ergo ex concluſione Critici, ἄρτος ὁ διὰ παντὸς, & ἄρτος ἐπιούσιος res eadem. Quid ita? *Venuſte*, inquit, *in divina hac precatione Dominus eo alluſit.* Quas nobis hic alluſiones narrat, quas venuſtates in Domino? Quia venuſtus ipſe eſt & urbanus, & divinus vir à ſuis adulatoribus vocatur, quibus & credit, inde putat bene divinitati ac venuſtati conveni-

convenire. Quod etiam infra repetit. *Ita ut urbane interim & venuſte* לחם התמיד*, de quo in lege mentio, alludatur.* Quod alio loco, nimirum & cap XIX Exercitationum ſacrarũ, etiam Gabrielẽ Archangelum urbanum facit, minus id miratus ſum, quandoquidem hic & Chriſto urbanitatem tribuit. Nihil reſtat niſi ut Deum patrem etiam aliquando nobis urbanas alluſiones ac venuſtas facere tradat. Sic autem ſcribit de Gabriele dicto loco: *In ſalutatione Angelica cum χαῖρε κεχαριτωμένη dicitur, præter ea quæ de voce hac notamus, ad τὸ* חנה *Hanna ſcilicet, quo nomine uxor Elcanæ ac Samuelis mater dicta fuit, alluſiſſe, ſed urbane & occulte, is Angelus videtur.* Quaſi ſcilicet non ſatis iuſta magnaq; cauſa fuerit Angelo cũ virginem κεχαριτωμένην ex vero appellandi, niſi frigidas & inſulſas alluſiones, quæ tamen ſuaviſſimæ Critico videntur, captaret! Sed taceo, ne erumpam in ea dicenda quæ illo digna ſunt. Veneres ſibi ſuas ac venuſtates ſervet venuſtulus ἀνθρωπίσκος, nec eas divinitati tantæ adfingat & adplicet in re tam ſeria & tã ſancta. Quid facit hic alluſio in re adeo diverſa? & ubi idem ſpiritus utramque præcepit? Panis hic Chriſtus eſt, quem ipſe Chriſtus à patre ſuo petendum eſſe monſtrat, & nihil

habet affine huius Chriſti panis appellatio qua Chriſtus deſignatur ἐπιούσιος, cum illo pane qui perpetuo in menſa poſitus eſſe debebat, qui לחם תמיד dicitur, id eſt, iugis vel perpetuus. Quid enim commune quantum ad ſignificationem τῷ ἐπιουσίῳ cum τῷ διαπαντός? Hoc ipſum ſtatim nos docebit Criticus. Ἐπιούσιον ἄρτον vult eſſe panem τῆς ἐπιούσης, diei craſtini panem. Primum, ἐπιούσιος ab ἐπιοῦσα vix poteſt formari, ſed eſſet ἐπιουσαῖος. Deinde etiamſi in uſu ἡ ἐπιοῦσα dicatur de poſtero die, ſubintelligendo ἡμέρα, non tamen ab eo bene deduceretur ἐπιούσιος pro craſtino. Nam ἐπιοῦσα non abſolute eſt dies craſtinus, ſed venturam, aut futuram quamcunque rem denotat. Nam ἐπιοῦσα eſt ἐπερχομένη, ut ἐπιὼν, ἐπερχόμενος. Nam & ἐπιοῦσα ἑορτὴ dicitur de die feſto venturo, etiamſi poſt plures dies ſit adfuturus. Poſtremo, nihil eſt ineptius quam *panem craſtini diei* nobis quotidie poſtulare. Quid habebit craſtinus dies. ſi panem illi diei deſtinatum hodie comedamus? An iterum ſequenti die petemus & panem ſubſequentem, & ſic ſemper indeficientem panem habebimus? Quanto ſimplicius fuit ita concipi verba cõprecationis, ut, quomodo etiam Latinus vertit interpres, panẽ nobis τ̃ καθημε-

ϑημερινὸν dari in ea petamus? Sic optime ille ἄρτος καθ' ἡμέραν vel καθημερινὸς reſponderet illi Hebraico לחם התמיד. Nam & Septuaginta תמיד interdum exponunt καθ' ἡμέραν. Nullus certe, quod dicebam, veterum interpretum expreſſit illum craſtinum panem in ſuis verſionibus. Sed cum non intelligerent quid vellet illa vox ἐπιούσιον, alii aliter eam reddiderunt. Et quia panem illum quoties precamur nobis exhiberi cupimus, ſingulis autem diebus precari debemus, ideo propter σήμερον reddidit interpres Latinus, *panem quotidianum*. Ut efficiat Criticus, ἐπιούσιον, id eſt, craſtinum, etiam eſſe cõtinuum, ita lepide argutatur. *Quemadmodum apud Hebræos* תמיד *nonnulli quaſi* תעמד, *hoc eſt, inſtans, exponebant.* Quis illi Hebraice peritus dixit, aut perſuaſit, תמיד, quod eſt *iuge*, & *perpetuum*, à nonnullis exponi *inſtans*, ut inde colligat, etiam Latinis inſtans eſſe continuum? Inſtans eſt præſens. At plerumque quod inſtat ſtatim præterit, nec perpetuum eſt. Iocularis plane eſt hæc Critici hallucinatio. Reperi enim quid illi hunc errorem obiecerit, ut crederet, nonnullos expoſuiſſe illud תמיד pro inſtante. Conradus ille Kircherus, à quo voces omnes Græcas collectas in

Concordantiis veteris Teſtamẽti iſte Criticus pro Helleniſticis habet, in verbo תמיד, ſcribit ex Sancto Pagnino, תמיד, quaſi eſſet תעמיד, ſignificare *iuge, continuum, perpetuum inſtans*. Diviſit Criticus hæc vocabula & legit, *perpetuum, inſtans*. Inde ergo habet, quoſdam expoſuiſſe illud תמיד *inſtans*. Quod eſt falſiſſimũ. Nam perpetuum inſtans, vel perpeuo inſtans ille intellexit. Etymũ vocis תמיד Pagninus ita explicabat, quaſi eſſet idem quod תעמיד. Quod ſignificat, *ſtabile eſſe, durare, perſeverare, ſtare*. Ergo quod perpetim inſtat vel ſtat, id eſt תמיד, non vero inſtans per ſe denotat, eo ſenſu quo accipitur pro præſenti, quod Græcis eſt ἐνεστώς. Pergit tamen Criticus, & miras inde elicit cõcluſiones. *Inſtans*, inquit, *Latinis, continuum, nec minus præſens quam futurum, ut* ἐνεστὼς *Græcis*. Hæc mira monſtra ſunt, ut inſtans idem ſit quod continuum, nec minus præſens quam futurum, & ita etiam Græcis ἐνεστὼς accipiatur. Inſtans pro præſenti eſt Latinis, ut & ἐνεστὼς Græcis, nec pro futuro accipitur, multo minus pro continuo. *Quemadmodũ*, inquit, *cum Tacitus præterita, inſtantia, futura cõnectit*. Certe non Tacitus magis quã tempus tacite labens, præterita inſtantibus, & inſtantia cum futuris una ſerie

ſerie connectit. Dies heſternus in præteritis, hodiernus inſtans eſt, craſtinus in futuris. Quid ex eo colligit Criticus? *Inſtantem* accipi pro futuro & continuo apud Latinos. Ergo etiam eodem argumento & pro præterito ſumeretur. At ἐπιούσιος craſtinus eſt. Quomodo ergo pro inſtanti præſentique & hodierno capi poterit? Hoc etiam explicat Criticus. *Helleniſtæ*, inquit, *futuri ratione, quia dies diem ducit, & ſequentes continuo ἐπιόντες dicuntur, ἄρτον ἐπιούσιον, forma τοῦ ἐνιαύσιον, quamquam alia formatione, dixerunt.* Si huic homini tanquam magno & idoneo auctori de illis Helleniſtis iniurato & ſine teſte crederemus, nimium nobis imponeret. Neſcit quid Græce ſit ἐπιούσιος, & audet id nomen tranſcribere neſcio quibus Helleniſtis qui in rerum natura non fuerunt. Quia dies diem ducit, & poſterior ſequitur priorem, ergo futurus pro inſtante, & uterque pro continuo? Egregia ratio. Tot per annos expectavimus illas Notas, ut hæc tandem legeremus? Sed nondum finis inſtantium nugarum. Nam & hic ſane etiam nugæ nugas ducunt, ut dies diem, & ita continuæ fiunt. Ita igitur ſubiicit: *Nazaræi qui Matthæi Euangelium quod ſecundum Hebræos B. Hieronymo dicitur, habebant, cum hanc neceſſi-*

 tatem

tatem vertendi ſibi impoſitam viderent, panem craſtini ſive ἄρτον ἐπιούσιος, convertebant. Perplexa & involuta hac oratione quid velit non aſſequor, ſed per caliginẽ tantum video, eum velle Matthæi Euangelium in Hebraicum ſermonem ex Græco à Nazaræis fuiſſe converſum. Quid enim aliud illa tinniunt, *cum hanc neceſſitatem vertendi ſibi impoſitam vident?* At quæ neceſſitas illis impoſita vertendi? Quia nimirum Hebræi erant qui Græce non intelligebant, ideo Matthæi Euangelium Græcum Hebraice vertendum curarunt. Hæc mens Critici, quæ nulla illi fuit cum hæc ſcriberet. Quis neſcit, Euangelium Matthæi Hebraice primo ſcriptum fuiſſe ab Euangeliſta? Hieronymus aliique veteres qui id teſtãtur non ſinunt id ignorare, niſi rerum omnium & totius antiquitatis imperitiſſimos. Quis in Græcum illud tranſtulerit, non ſatis certũ eſſe, ſcribit idẽ Hieronymus in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum. At commentario in Matthæi XII dicit, illud Euangelium Matthæi quo utebantur Nazaræi & Ebionitæ, & vocabatur à pleriſque authenticum Matthei, ſe de Hebraico in Græcum ſermonem tranſtuliſſe. Plenius fuit quam Græcum quod hodie extat. Ideo πληρέστατον fuiſſe

